Anal.

DISSERTATIONES

PHILOLOGAE

VINDOBONENSES.

VOLUMEN ALTERUM.

PRAGAE F. TEMPSKY. VINDOBONAE F. TEMPSKY, LIPSIAE G. FREYTAG.

BIBLIOPOLA ACADEMIAE LITTERARUM CAESAREAE VINDOBONENSIS.

MDCCCLXXXX.

VINDOBONAE, TYPIS DESCRIPSIT ADOLPHUS HOLZHAUSEN.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

QUAESTIONES NIGIDIANAE

SCRIPSIT

ANTONIUS SWOBODA

Buechelerus in fine commentationis, qua anno h. s. LVIII. in 'Museo Rhenano' de P. Nigidii Figuli fragmentis quibusdam egit, haec dixit: '*Möge sich endlich einmal verwirklichen der mehrfach gehegte, durch mehre und darunter treffliche Arbeiten erleichterte Plan einer alle Fragmente umfassenden Monographie über den mehr kenntniss- als geistreichen Mann.....!*' sed optata haec qui expleret, nemo adhuc exstitit, quamquam nonnulli, velut iam anno h. s. XXXXV. Menzelius quidam in litteris ad Mart. Hertzium missis, Ios. Kleinius in 'quaestionibus Nigidianis' anno MDCCCLXI. editis p. 7, se in ingenii illius viri inter Romanos iuxta Varronem doctissimi monumentis congerendis disponendis illustrandis versari professi sunt. nimirum reliquiae Nigidianae pro multitudine librorum, quos ille scripsit, perpaucae eaeque maximam partem tenuissimae sunt, ut vix unius e multis illis libris argumentum accurate circumscribere possis neque, si in posterioris aetatis scriptoribus doctrinae Nigidianae vestigia indagare velis, nisi si fragmento ipsius auctoris nomen additum sit, habeas, ubi tuto pedem ponas. neque cur tam pauca fragmenta ad nos pervenerint, causa in obscuro erit, si respexeris ea, quae Gellius Noct. Att. XVIIII, 14, 3, quo loco Nigidii obscuritatem subtilitatemque vituperavit, dixit: 'cum Varronis quidem monumenta rerum ac disciplinarum, quae per litteras condidisset, in propatulo frequentique usu ferrentur, Nigidianas commentationes non proinde in volgus exire'. et rectissime Hertzius in libello, quem anno h. s. XXXV. 'de P. Nigidii Figuli studiis atque operibus' conscripsit, p. 45 Nigidii, quamvis doctissimus fuerit, quamvis omnium fere eruditionis humanae disciplinarum gnarus, obscuram vitam fuisse ait, obscuriorem memoriam, hoc tamen ita, ut summam doctrinae famam retineret. me quoque, cum omnia Nigidii fragmenta denuo post Rutgersii syllogam anno MDCXVIII. Lugduni Batavorum in 'Variarum lectionum' l. III. cap. XVI. (p. 246—298) editam colligenda corrigenda enarranda susciperem, spe, qua magnum ex hac opera fructum ad litterarum Romanarum historiam redundare posse opinatus sum, falsum esse confiteor. nonnulla tamen aut iis, quae cum alii tum Hertzius in commentatione illa, qua materiam propositam tantum non exhausit, invenerant, addenda aut corrigenda inveni. de his igitur accuratius exponam, ea autem, quae iam alii, inprimis Hertzius, de singulis

Nigidii operibus recte exposuerunt, cum acta agere nolim, non repetam, praesertim cum nuper, hoc opusculo iam maximam partem confecto, in lucem prodierit Arminii Roehrigii libellus, cui inscripsit 'De P. Nigidio Figulo capita duo', diss. inaug. Lipsiensis. is enim priore huius libelli parte, quem fragmentorum editionis futurae prolegomena esse voluit, inquisivit, a quibus scriptoribus et quo modo Nigidii doctrina adhibita esset: neque tamen quamquam singulos deinceps scriptores perscrutatus est, multum profecit; nimirum in tanta fragmentorum raritate operum Nigidianorum propagatio plerumque dispici nequit. altero capite Roehrigius 'de Nigidii studiis operumque doctrina et singulis rebus' egit; sed plurima in hac parte aliis debet, de suo admodum pauca addidit. ceterum et in 'quaestionibus' et in fragmentorum 'enarratione' ea, quae Roehrigius proposuit, ubi ex re esse videbatur, respexi.

I.

De grammaticis Nigidii studiis quidquid ex parcis fragmentis erui potest, Hertzius l. l. p. 9—23 exploravit. opus Nigidii grammaticum — cuius reliquias praeter Rutgersium Eggerus collegit in 'Serm. lat. vet. rell.' p. 50—58, — librorum fuit minimum undetriginta; undetricesimus enim a Gellio X, 5 commemoratur. quos libros 'commentarios grammaticos' inscriptos fuisse locorum Gellianorum, quibus inscriptionis mentio fit, consensu comprobatur, contra quem nihil facit, quod Nonius, cuius in talibus rebus minima est auctoritas, aliquot locis aliam praebet inscriptionem.

Hoc opus Hertzius certo aliquo ordine, quod 'systema' vocare solemus, caruisse, immo libros singulos non ex singulis commentariis, sed unumquemque e multifaria observationum seu capitum vel commentariolorum farragine compositum fuisse contendit, hac in re, ut mihi quidem videtur, iustum modum egressus, id quod iam Mercklinius in 'Berl. Jahrb. für wissenschaftl. Kritik' a. MDCCCXXXXVI., tom. I, p. 630 animadvertit, qui rectissime mihi haec dixisse videtur: '*Eine eigentliche* ars *scheint, wie auch der Titel ausspricht, des Nigidius Werk nicht gewesen zu sein, ebensowenig mag das Princip der Analogie, zu dem er sich bekannte, überall das leitende gewesen sein, aber auch so schimmert durch den zerrissenen Bau seiner Commentare eine Ordnung und Entwicklung hindurch.*'

Sed videamus, quibus argumentis quo iure Hertzius, cum contrarium contenderet, nisus sit.[1]) ac primum neglegendum non est, ipsum p. 21

[1]) Roehrigius p. 40 Hertzii sententiam ita comprobare studuit, ut res similes, quas in eodem libro tractatas fuisse exspectes, dissipatas, dissimiles in eodem libro interdum confusas fuisse adparere e fragmentis inter se collatis: Suetonii rell. p. 289, 1 (= I. syllogae meae) et Non. p. 437, 23 (III.); Gell. XIII, 26 (25), 1—3 (XXXV.) et Gell. ibid. 4 (XXXVI. sqq.) perperam contenderet.

concedere, ampliore expositione Nigidium 'de natura atque ordine litterarum, quas grammatici vocales adpellant' (Gell. N. A. XVIIII, 14) disseruisse et praecepta de casibus, qui dicuntur, declinationis libro XXIII. proposuisse. tamen reliquias sine libri, cuius quaeque sunt, notis servatas ulla cum probabilitate in ordinem redigi posse, ita ut ad singulos libros, quorum fragmentis similitudo quaedam cum illis esset, singulae referrentur, negavit, duplici commotus ratione, et quod ex certorum librorum reliquiis nullo modo certi quicquam de singulorum librorum argumento elici posset, et quod Gellii verba, quae N. A. XVII, 7 leguntur, praecipuum suae sententiae adminiculum praeberent, ut Nigidius, 'prout aliquid notatu dignum ipsi obvenisset, hoc nullo ordine per argumentum ipsum praescripto in commentarios rettulisse putandus esset, qui deinde vel per ipsum vel postea ex schedis eius essent evulgati' (l. c. p. 16). Gellius enim, cum Nigidii sententiam profert ex 'tertio vicesimo grammaticorum commentariorum' anguste perquam et obscure illum disserere dicit, 'ut signa rerum ponere videas ad subsidium magis memoriae suae, quam ad legentium disciplinam'. hanc igitur de scribendi ratione sententiam Hertzius collato loco s. comm. XVIIII, 14, 3 ad id opus universum rettulit. sed ille locus, ubi comparatio inter Varronem et Nigidium 'doctrinarum multiformium variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columina' (ut Gellii verba mea faciam) instituitur, ipse eum docere potuit ea verba non tantum ad grammaticos commentarios, sed, ut recte Mercklinius l. c. statuit, omnino ad Nigidii genus dicendi vel potius docendi pertinere. itaque solis fragmentis, quibus numeri librum significantis index additus est, in hac quaestione tractanda nobis utendum est.

Iam, quae nobis de singulorum librorum argumentis innotuerunt, enumerabo Hertzii verbis, ubi ab eo dissentio, additis. egit Nigidius

in l. IIII. de significationis differentia vocum synonymarum 'sempiternum' et 'perpetuum'; vid. fragm. I. syllogae meae = Suet. rell. p. 289, 1.

in l. VIIII. et X. de verbis incohativis, quae dicuntur, vid. fragm. II. = Non. p. 127, 11 ('irascere') et fragm. III. = Non. p. 437, 23 ('vetustiscere'). Hertz. p. 10 sq.: 'libri VIIII. fragmentum de activa verbi alicuius deponentis agit forma, l. X. de verbis derivatis in 'sco' exeuntibus'.

in l. XI. de adiectivis in 'osus' cadentibus; vid. fr. IIII. = Gell. IIII, 9, 1 sq.

in l. XVIII. de verbo 'tintinnire'; vid. fr. VIIII. = Non. p. 40, 12. quod fragmentum Hertz. (p. 11, adn. 1) non ad hoc opus rettulit.

in l. XVIIII. de significationis discrimine inter formas 'fit' et 'facitur'; vid. fr. X. = Non. p. 507, 12. Hertz. p. 11: 'de forma 'facitur', quod argumentum ei, quod ex libro nono deprompsimus, est affine'.

in l. XX. de adverbiis in 'im' desinentibus; vid. fr. XI. = Non. p. 104, 27 Hertz.: 'de adverbiis motus'.

in l. XXIII. de tempore, quod 'esse' et 'erit' significarent, cum participio praeteriti coniuncta; vid. fr. XXXIIII. = Gell. XVII, 7.
in l. XXIIII. de accentu et orthographia, ita ut similes declinationis formas distingueret; vid. fr. XXXV. = Gell. XIII, 26, 1 sqq.
in l. XXV. de verbis derivatis in -urio; vid. fr. XXXX. = Non. p. 144, 18.
in l. XXVIIII. de etymo vocabulorum 'avarus' et 'locuples'; vid. fr. XXXXII. = Gell. X, 5, 1.

Hunc indicem fragmentorum qui perlegerit, facile intelleget systema, quod vocamus, inesse nullum. neque tamen, puto, negare licet Nigidium per singulos vel etiam per plures commentarios singulas quasdam materias sibi tractandas sumpsisse. nam neque eodem libro de diversis rebus neque de unius eiusdemque modi rebus diversis libris eum egisse, quantum quidem ex his fragmentis cognoscitur, probabile fit. dolendum sane est, quod non plura ex certo quodam libro nobis servata sunt: sed vel sic vestigia longioris de materiis quibusdam disputationis hic illic inesse videntur. veluti quae Nonius p. 127, 10 (M.) s. v. Irascere ex libro VIIII., et quae p. 437, 25 s. v. Vetustiscere ex libro X. refert, ea ita inter se cohaerere opinor, ut utroque libro Nigidium de verbis incohativis disputavisse statuendum sit. ad librum XI., quo teste Gellio IIII, 9, 1 de voce 'religiosus' Nigidius egit, ea etiam referenda esse videntur, quae apud eundem III, 12 de adiectivis 'bibax' et 'bibosus' e Nigidio proferuntur. sed num recte Mercklinius ind. lect. Dorpat. a. MDCCCLXI. p. 15 omnia fere praeterea, quae de adiectivis in 'osus' terminatis vel apud Gellium VI, 12, VIII, 12 vel apud Nonium leguntur p. 113, 3 s. v. Formidulosum, p. 133, 22 s. v. Laboriosum, p. 168, 22 s. v. Suspiciosum, p. 172, 23 s. v. Somniculosus; p. 126, 3 s. v. Invidiosum, p. 21, 29 s. v. Virosae, p. 28, 24 s. v. Mulierosi, p. 305, 23 s. v. Famosum, p. 433, 26 s. v. Morosa, p. 463, 2 s. v. Disciplinosus, — num haec, inquam, omnia Merklinius recte ad Nigidii l. XI. rettulerit, maxime dubium est. etenim si hos locos singulos accuratius examinamus, primum prorsus temere Mercklinium Gellii locum VI, 12 huc adscivisse videmus, nulla alia de causa quam quod ibi in verbis quibusdam Scipionis, quae ad illustrandum huius capitis, quo de 'tunicis chiridotis' agitur, argumentum a grammaticis disquisitionibus alienissimum adferuntur, duo adiectiva 'vinosus' et 'virosus' leguntur, quorum prius Nigidium exempli causa posuisse Gellius III, 12 auctor est. Nonianorum deinde locorum quattuor primos e Gell. VIIII, 12 sumptos esse Kretzschmerus dissert. 'de auctoribus A. Gellii grammaticis' conscriptae p. 31 (edit. alt. a. MDCCCLXVI.) perspexit, qui etiam animadvertit, cetera, quae cursim Gellius ibi adnotat, a Nonio esse relicta. quod contra Mercklinius dicit, Nonium 'invidiosum' versibus Lucilii, qui apud Gellium non leguntur, illustrare, ibi ita explicat Nonius ('quod sit vitabile ad videndum'),

ut adpareat, hoc exemplum non cum illis, quae apud Gellium l. c. et apud Nonium locis ex eo capite Gellii haustis leguntur, coniunctum fuisse. Gellius enim ibi de verbis, quae 'in utramque partem significatione adversa et reciproca' dicantur, agit. quae cum ita sint, iam quasi fundamento caret coniectura, qua Mercklinius hunc Nonii locum, qui est s. v. Invidiosum, Nigidio tribuit, eos autem quattuor locos, de quibus Kretzschmerum recte iudicasse dixi, Nonium Gellio debere negavit.

Sed iam in caput Gellianum modo saepius commemoratum inquiramus, ut, quid in eo conscribendo compilator ille a Nigidio mutuatus sit, cognoscamus. profert quidem ille Nigidii verba ad originem et rationem verbi 'infestum' explicandas: 'Infestum est a festinando dictum: nam qui instat alicui eumque properans urget opprimereque eum studet festinatque aut contra de cuius periculo et exitio festinatur, is uterque infestus dicitur ab instantia atque imminentia fraudis, quam vel facturus cuipiam vel passurus est.' at num eodem modo Nigidius etiam de adiectivis in 'osus' desinentibus disputaverit, ut duplicem eorum significationis rationem explicaret, quam maxime dubito, cum Gellius l. c. §. 9 exemplo Sallustiano utatur, quod Nigidium non adhibuisse constat, et ex loco N. A. IIII, 9 id tantum adpareat, Nigidium statuisse omnia illius modi adiectiva, ut 'vinosus', 'mulierosus', 'religiosus', 'copiam quandam immodicam' alicuius rei significare et idcirco, ut Gellius ait, 'in culpas cadere'. impugnat vero Gellius ibidem sect. 12 miram hanc Nigidii explicationem, quam, si re vera totum cap. 12 libri VIIII. e Nigidio sumptum esset, ipsius verbis potuisset refutare. exemplis autem Nigidianis cum alia, quae bono tantum sensu dici possint, tum 'disciplinosus' opponit. itaque exemplum ex Catone depromptum, quo Nonius huius vocabuli notionem p. 463, 2 illustrat, certe non Nigidius attulerat. neque ea Nigidii esse possunt, quae Nonius p. 305, 23 sqq. profert: 'Fama est rursus infamia; unde et famosum dictum est infame'. nam exemplum proponitur ex Aeneidis l. IIII. neque, id quod gravius est, ipsa explicatio ad Nigidianam quadrat.

Restant igitur tres loci Noniani, quos a Nigidio profectos esse a probabilitate non abhorret: p. 28, 24 'Mulierosi[1]) dicti mulierum appetentes. Afranius Vopisco: 'Homo mulierosus confert alio me ilico'; p. 21, 30 'Virosae mulieres dicuntur virorum appetentes vel luxuriosae. Lucilius satirarum lib. VII.: 'Dixi: ad principium venio: vetulam atque virosam | Uxorem cedam potius, quam castrem egomet me.' Afranius Divortio:

[1]) Idem verbum in fragmento Nigidii apud Gell. IIII, 9, 2 servato commemoratur; itaque de hoc loco Mercklinio non sum oblocutus, quamquam P. Schmidtius 'De Nonii auct. gramm.' p. 96 parum caute dicit Gellium l. c. ita de eodem verbo disputare, ut nulla cum Nonio adpareat communio. certe notanda est huius loci Noniani et alterius, cuius lemma est 'Virosae', similitudo magna, vix casui tribuenda.

'Vigilans ac sollers, sicca, sana, sobria: | Virosa non sum; et si sim, non desunt mihi, | Qui ultro dent: aetas integra est, formae satis'; p. 433, 26: 'Morata, Morigera et Morosa hanc habent distantiam, quod ⟨morata est bene instituta,⟩ morigera ⟨morem gerens, obsequens, morosa⟩ contrariis et perversis moribus. Afranius Vopisco: 'Dum ⟨me⟩ morigeram, dum morosam praebeo, | Deinde aliquid dedita opera controversiae | Concinno, laedo interdum contumeliis.' sed vel de hoc, quem novissimum posui, loco dubitationem movet id, quod sequenti exemplo e 'M. Tullii de senectute' libro sumpto certe Nigidius uti non potuit. contra probabilior fortasse coniectura, qua hic locus ad Nigidium refertur, ei videbitur esse, qui respexerit, hunc quoque locum, ut primum eorum, quos modo attuli, ad Afranianorum exemplorum ordines pertinere, de quibus cf. Paul. Schmidtium 'De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis' p. 95 sq.

Sed ut iam eo, unde deflexi, revertar, in libro XX. Nigidius de adverbiis in 'im' exeuntibus egit. cuius verba apud Nonium p. 104, 30 haec leguntur: 'cuius modi genus adverbiorum, a verbis motus quod venit, ut expulsim, cursim.' huius disputationis, qua de adverbiis in 'im' cadentibus egit, reliquias dispersas apud Nonium deprehendisse mihi videor. loci enim Noniani, ubi huius modi frustula Nigidiana exstant, et ille, quem modo commemoravi, et hic, qui legitur p. 40, 21 sqq.: 'Canatim, suatim, bovatim canum et suum et boum genere. Nigidius commentariis grammaticis: 'sunt etiam adsimulanter dicta haec: canatim, suatim, bovatim, quae ab animalibus sumuntur,' hi duo loci iis adverbiorum ordinibus continentur, quos ex capitibus primis duobus Nonianis depromptos P. Schmidtius in egregia dissertatione s. c. p. 115 sqq. sub uno conspectu proposuit et e glossario quodam, quod in undecimo quoque capite Nonius in usum vocavit, manasse recte statuit. in iis autem adverbiorum ordinibus, qui in duobus primis capitibus leguntur, inter XXXXVIIII adverbia non minus XXIIII sunt, quae in 'im' exeunt, quorum exempla, quae adferuntur, praeter unum ('Indiscriminatim' p. 127) e Varron. de l. L. XVIII. prolatum omnia ex scriptoribus Nigidio aetate superioribus sumpta sunt.[1]) accedit, quod inter adverbia illa V sunt a 'verbis motus' i. e. motum significantibus, non, ut Mercero visum est, transitivis, derivata: 'expulsim' p. 104, 'fluctuatim' p. 111, 'incursim' p. 127, 'properatim' p. 155, 'tractim' p. 178. praeterea id memoratu dignum est, quod Schmidtius l. c. p. 118 observavit: in his adverbiorum ordinibus exempla proferri ex scriptis, quorum apud Nonium aut nusquam alibi aut tantum in cap. XI. 'de indiscretis adverbiis' mentio fit, id quod mihi indicio esse videtur, Nonii in his partibus auctorem non solum a reliquis fuisse diversum, sed etiam fontibus bonis atque antiquis usum esse,

[1]) Cf. infra p. 15 et ibid. adn. 1.

inter quos Nigidii commentarios fuisse. ea saltem, quae sub lemmate Expulsim iis Nigidii verbis, quae supra attuli, praecedunt, sumpta e Varronis 'Sera parecte' (sive 'Serapi') satira, et ipsa iam a Nigidio adlata esse videntur. itaque non sine probabilitate conicias, primarium illius adverbiorum glossarii fontem Nigidii opus fuisse, licet talia exempla, qualia sunt p. 127 s. v. Insanum ex Sallustii hist. l. II. et p. 147 s. v. Obsecundanter e Nigidii de diis lib. I., e Nigidii commentariis grammaticis hausta esse nequeant atque etiam adverbiorum in 'im' desinentium praeter illud 'indiscriminatim' exempla nonnulla aliunde petita sint. id vero non ita dico, quasi putarem, exemplum p. 178, 26 s. v. Tractim a Nonio ex Plauti Amphitruone prolatum ex commentario Sisennae petitum esse, quem Plauti interpretem eundem Amphitruonis locum (I, 1, 157 'quid si ego illum tractim tangam, ut dormiat?') tetigisse comperimus ex Charisio p. 221, 9 Keil.: 'tractim' Plautus in Amphitruone; ubi Sisenna 'pro lente', inquit, 'non ut Maro Georgicon quarto "tractimque susurrant" inquit'. atque aliis etiam duobus locis Nonius cum Sisenna conspirat:

Non. p. 9, 4:	Sisenna ap. Charis. p. 198, 24:
'Examussim' dicitur examinate ad regulam vel coagmentum: est enim amussis regula fabrorum, quam architecti, cum opus probant, rubrica inlinunt. Plautus Amphitruone e. q. s.	'examussim' Plautus in Amphitruone: 'examussim est optima'. ubi Sisenna 'pro examinato' inquit. amussis autem est tabula rubricata, quae dimittitur examinandi operis gratia, an rectum opus surgat.
Non. p. 179, 30:	Sisenna ap. Charis. p. 221, 6:
Tuatim, tuo more. Plautus Amphitruone: 'ecce rem iam tuatim facit.'	tuatim. Plautus in Amphitruone. ubi Sisenna 'ut nostratim. significat autem tuo more'.

ipsum autem Sisennae commentarium Nonio praesto fuisse recte Schmidtius l. s. s. p. 41 negat, quod 'Tractim' lemma non ex commentario Plautino, sed ex adverbiorum glossario Nonius hauserit, neque 'Tuatim' in ordine Plautino est. atque hoc quidem argumentum verissimum est. non autem quadrat alterum, quod profert Schmidtius, argumentum, quod auctoribus Varrone recentioribus Nonius usus sit. quam ob rem ei, cum 'aliquam, ut dicit, Nonianarum λέξεων cum Sisennae fragmentis communionem' subesse negari nequeat, veri simile esse videtur, Nonium libros excussisse Sisenna multo recentiores, qui tamen ab eius scriptis magnam partem duxerint originem. videmus igitur Schmidtium vulgatam sententiam a Ritschelio Parerg. p. 376 sqq. et 385 expositam secutum Sisennam Plauti interpretem eundem atque L. Cornelium Sisennam oratorem et rerum Romanarum scriptorem ducere. sed recte Bergkius Philologi t. XXVIIII., p. 328 in 'thes. philol.' haec contendit: '*Der Grammatiker Sisenna,* inquit, *darf nicht*

mit dem Historiker verwechselt werden.' porro Buechelerus 'Lat. Decl.' (a. 1879) p. 122, adn. 3 hunc, de quo agimus, Sisennam aetate Hadriano inferiorem fuisse statuit.[1]) certe suo iure Teuffelius hist. litt. Rom. p. 247 (ed. IIII.) dicit, quicumque sine opinione praeiudicata locum Charisii, quem supra exscripsi, p. 221, 9 legerit, non posse non intellegere, iam Sisennam Vergilium respexisse. sed mittamus haec atque ipsis Nonii et Sisennae locis inter se comparatis exploremus, num ille, vel, ut rectius dicam, auctor illius, huic sua debere possit. nam hoc modo duas simul res me evicturum esse spero: neque Sisennam, sive ille historicus, sive posterioris aetatis grammaticus fuit, Nonii fontem esse potuisse, et falsum esse Ritschelium, cum hunc Sisennam veterem rerum scriptorem esse eo comprobare studeret, quod inter quinque Sisennae reliquias apud Charisium servatas tres essent, quibus de adverbiis in 'im' exeuntibus ageretur, quae L. Cornelium Sisennam in historia sua adamasse Gellius XII, 15 narrat.

Atque ea sane, quae apud Nonium p. 179, 30 leguntur, ita comparata sunt, ut in iis Sisennae verba in brevius contracta esse videri possint. sed nequaquam id in reliquos locos Nonianos cadit. immo verbi 'tractim' explicatio, quae apud Nonium legitur: 'ut sensim, id est diutine, longo tractu', et amplior et melior est, quam Sisennae: 'pro lente', quod male loco verbi 'sensim' positum esse videtur. quod autem ad locos Nonii et Charisii attinet, quibus 'examussim' explicatur, utriusque explicationis adparet et consensus in verbo 'examinate' sive 'examinato' et discrepantia in definitione rei, quae 'amussis' dicitur, quae differentia tanta est, ut recte cum Keilio verba 'amussis autem ... surgat' non Sisennae, sed Charisio (vel Iulio Romano) tribuas; antecedentia autem Sisennae verba 'pro examinato', si cum Nonianis 'examinate ad regulam vel coagmentum' conferas, compendium redolent. praeterea, dum Charisius Sisennae ad Amphitruonis locum adnotationem simpliciter refert, apud Nonium tres adferuntur loci Plautini: ex Amphitruone, e Milite (III, 1, 37), e Menaechmis, denique duo Varroniani ex satura, quae inscribitur: 'πατρὸς τὸ παιδίον' et ex 'quaestion. Plautin.' lib. II. ne autem exemplum ex Amphitruone petitum primarium, reliqua subsiciva esse putes, in ordine exemplorum Plautinorum 'Examussim' lemma ita positum est, ut adpareat, locum Militis gloriosi esse primarium exemplum, quod Schottmuellerum (symb. philol. Bonn. p. 809) secuti germanice '*Stammcitat*' adpellamus, cf. Schmidt. l. c. p. 20. itaque si Plauti interpres, quo Nonius usus est, Sisennae commentarium in usum vocavit, miros nos habere debet, quod id non in explicando eodem Amphitruonis loco, quem Sisenna explicaverat, fecit. iam nihil aliud restat,

---

[1]) Ante Iulium Romanum (saec. III. init.) eum fuisse constat, cum huius scrinia Charisius locis commemoratis compilaverit.

quam ut utrumque Plauti interpretem, et Sisennam et eum, quem Nonius adhibuit, communi fonte[1]) usum esse sumamus, unde num etiam exempla illa, quae modo commemoravimus, praeter Varronis locum ex quaest. Plaut. l. II., quem certe ex alio fonte additum esse arbitror, hausta sint, decerni nequit. 'Tractim' lemmatis explicatio unde hausta esse mihi videatur, supra p. 9 indicavi. idem fortasse de lemmate 'Tuatim' pronuntiare licet. apud Nonium enim p. 40, 21 sqq. haec legi memineris: 'Canatim, suatim, bovatim, canum et suum et boum genere. Nigidius commentariis grammaticis: sunt etiam adsimulanter dicta haec: canatim, suatim, bovatim, quae ab animalibus sumuntur.' in quibus Nigidii verbis 'adsimulanter' non idem significat, quod nostrum *'in ähnlicher Weise'*, ut Georges id in lexico suo interpretatus est, quae est vis verbi 'adsimiliter', Plaut. Bacch. v. 951 exstantis, sed adsimulationem aliquam fieri i. e. aliquid vel ad exemplum quoddam conformari vel cum exemplo comparari indicat. unde consequitur, adverbia, de quibus antea Nigidium egisse e verbis 'etiam adsimulanter' intellegitur, et ipsa a morum similitudine sumpta fuisse. et cum ea, quae Nonius l. c. profert, ab animalium nominibus derivata sint, ea, quae antecesserunt, ab hominibus sumpta fuisse putanda sunt. huius modi autem esse adparet 'tuatim, nostratim'. itaque etiam 'Tuatim' lemma e Nigidio et in Sisennae commentarium et per glossarium illud adverbiorum in Nonii librum abiisse existimo idque eo magis, quod lemma 'Tuatim', cum sit in Nonii cap. II. sub littera T septimum decimum, non magno spatio a lemmatis, quae sunt ibidem 4. 'Taxim' ... 7. 'Tractim', a Schmidtio p. 117 in adverbiorum ordines receptis distat. neque enim neglegendum est in adverbiorum ordinibus Nonianis simillimum lemma inveniri 'Rusticatim' p. 166, 20 et alia, quae a rebus quidem sumpta, tamen non dissimilia sunt: 'Frustatim', 'Ossiculatim', 'Testatim', 'Visceratim'. opinari porro aliquis possit, sed argumento comprobari nequit, ex hoc Nigidii libro XX. etiam sumpta esse, quae Donatus, qui etiam duobus aliis locis Nigidium auctorem commemorat,[2]) ad Terent. Phorm. I, 4, 13 ('Protinus in pedes') adnotat: 'Protinam fuit, et sic Nigidius legit', unde colligendum esse Nigidium commentarios in Terentii fabulas scripsisse cum alii negaverunt tum Ritschelius Parerg. p. 364.

Mea autem de huius operis indole sententia haud scio an confirmari possit, si respicimus, qualia Nigidii fragmenta in singulis libris Gellius proferat. ac iam Mercklinius monuit, et fragmenta disputationis de adiectivis in 'osus' (III, 12; IIII, 9) et etymologias adiectivorum 'infestus' (VIIII, 12)

---

[1]) Hunc Nigidium fuisse vel ab eo pependisse ne suspicari quidem audeo.

[2]) Certe inde, quod Nigidium a Donato tantum in adnotationibus ad Phorm. act. I. (4, 4; 4, 13) et II. (1, 3) commemoratum invenimus (v. fr. LVIIII....LXI.), nequaquam, id quod Roehrigio p. 28 videtur, Figulum 'de his Phormionis versibus', quamquam res, de quibus agitur, diversae sunt, tamen in uno eodemque capite exposuisse consequitur.

atque 'locuples' et 'avarus' (X, 5) in libris inter se excipientibus servata esse. sed paulo plus etiam ea, quam indicavi, ratione adhibita enucleari posse existimo. Gellius enim XVIIII, 14, 4 se ea quae infra 'ad demonstrandum scripturae Nigidii genus' exempli gratia protulit e libro, quem fusiorem expositionem, non solum, ut Hertzius p. 21 dicit, 'de vocalibus', sed omnino de litteris continuisse ex ipsis fragmentis a Gellio adlatis intellegitur, paulo ante legisse dicit. quae verba nisi, ut ea, quae Gellius XVII, 2 de Quadrigarii libro I. dicit: 'quem librum legimus biduo proximo superiore', ad iteratam lectionem pertinent, id quod nisi certa eius rei argumenta adsunt, statuere vix licet, indicio sunt gravissimo primum in Nigidii opere materiam non ad artem[1]) redactam fuisse; deinde Gellium, cum dudum 'Noctes Atticas' scribere coepisset, Nigidianos commentarios legisse atque inde quaedam excerpsisse et suo operi inseruisse.[2]) quod recte nos concludere adparere puto e fragmentorum, quae Gellius servavit, indice infra posito, quo simul meam de singulorum Nigidii librorum compositione sententiam comprobaturus sum. quorum librorum numeros, ubi a Gellio proferuntur, ibi adposui, ceteris locis librorum numeris non illustratis notam ? adscripsi; simul locos ad eundem Nigidii librum vel ad libros inter se arte cohaerentes referendos uncis coniunxi.

E Nigidii libro:	in Gellii libro:	argumentum:
XI. {	III, 12	de adiectivis 'bibax' et 'bibosus'.
	IIII, 9	de adiectivis in -osus exeuntibus.
XXVIIII. {	VIII, 14	de etymo adiectivorum 'vanus' et 'stolidus'.[3])
	VIIII, 12, 6	de etymo adiectivi 'infestus'.
	X, 4	'verba non positu fortuito, sed quadam vi et ratione naturae facta esse.'
	X, 5	de etymo adiectivorum 'avarus' et 'locuples'.
	X, 11, 2	de primaria significatione vocis 'mature'.
?	XI, 11	quid differat inter 'mentiri' et 'mendacium dicere'.
XXIIII. {	XIII, 6, 3	'rusticus fit sermo, si adspires perperam.'
	XIII, 26	de accentu et orthographia.
?	XIII, 10, 4	de etymo 'fratris' vocabuli.
?	XV, 3, 4	de etymo verbi 'autumo'.
XXIII.	XVII, 7	de tempore quod 'esse' et 'erit' significent cum participio praeteriti coniuncta.

---

[1]) In ea de linguae elementis primo loco erat agendum, quod a Nigidio non factum esse, e Gellii verbis supra commemoratis adparere videtur, cum Gellius iam, antequam XVIIII. librum conscripsit, Nigidii opere usus sit.

[2]) De Gellii excerpendi more in universum cf. eius praef. § 2. 11 sqq.

[3]) Cf. infra p. 18.

E Nigidii libro:	in Gellii libro:	argumentum:
?	XVII, 13	de particula 'quin'.
?	XVIIII, 14, 6 sqq.	de litteris.

videmus igitur inter quindecim locos ne duos quidem argumenti prorsus similis inveniri, qui longiore spatio inter se distent, sed fere omnia huius modi fragmenta vel eodem libro Gelliano vel finitimis libris contineri, quod fieri vix potuit, si neque singuli libri Nigidiani ampliore de singulis materiis expositione constitissent neque Gellius iis ita, ut supra dixi, usus esset, sed ordinem eorum neglexisset, id quod sane per operis sui rationem facere potuit. qua in re noli mihi opponere Gellium iam XII, 14, ubi se vocabuli 'saltem' explicationem in commentariis Nigidii nusquam invenisse dicit, non incuriose eos se legisse adfirmare, et XVII, 4, 11, se, 'cum adulescentulus Romae praetextam et puerilem togam mutasset' (cf. § 1), a Sulpicio Apollinari monitum, etyma vocum 'vanus' et 'stolidus' scripta esse in libris Nigidii, ea requisivisse et repperisse dicit: de quibus locis quid existimandum sit, infra p. 19 sq. ostendam. fragmentum autem, quo de prava adspiratione agitur (XIII, 6, 3), quod ad Nigidii l. XXIIII. rettuli,[1]) cave cum illius de litteris praeceptis potius quam cum iis, quae de accentu et orthographia praescripsit (cf. Gell. XIII, 26), coniungere malis. nam Nigidium 'h' non esse litteram, sed notam adspirationis tradidisse a Mario Victorino t. VI., p. 8, 16 Keil. edocemur.

Sed coniectura mea falsus essem, si recte Kretzschmerus l. c. p. 57 ea, quae Gellius II, 3 tradidit, ad Nigidium auctorem revocasset. sententiam enim de adspiratione singularem, quae hoc capite exponitur, a Varrone, de quo cf. Charis. p. 73, 17, alienam potius Nigidio convenire putavit. sed ipsa ratio, qua mos h litteram 'plerisque vocibus verborum firmandis roborandisque' inserendi explicatur 'studio et exemplo linguae Atticae', cum ut a Varronis, ita a Nigidii ingenio, quippe qui etiam vocabulorum origines in ipsis stirpibus Latinis quaerere solitus sit,[2]) prorsus abhorreat, argumento est Gellium h. l. auctorem recentiorem secutum esse.

Fragmentum X, 4 servatum Eggerus l. c. p. 50 primo loco posuit, sed verbis illis etymologiae, quam Nigidius l. XXVIIII. tractavit, quasi fundamentum iaci consentaneum est. quod si Kretzschmerus p. 55 haec dicit: 'si quis ex sequenti capite librum undetricesimum supplere velit, nisi argumento aliunde petito ducatur, videat, ne nubem pro Iunone captet', mihi argumentum haud spernendum index locorum supra descriptus praebere videtur, ita ut hoc fragmentum ad l. XXVIIII. vel (propter Gellii verba: 'in eam rem multa argumenta dicit') ad proxime antecedentem referre non dubitem.

Quinque loci Gelliani certis Nigidii libris tribui nequeunt. quorum tres (XI, 11, XV, 3, 4, XVIII, 14, 6 sqq.) in libris Gellii leguntur, qui alia

---

[1]) Cf. etiam adnotat. ad hoc fr. (XXXVIIII).

[2]) Cf. Hertz. l. s. s. p. 20.

Nigidiana omnino non continent, duo (XIII, 10, 4, XVII, 13, 11) cum fragmentis in iisdem libris servatis nullo cognationis vinculo coniuncti sunt; nimirum complures Nigidii libros continenter Gellius legit. sed vel ex his duobus locis unus, qui exstat N. A. XIII, 10, 4,[1]) ita comparatus est, ut Gellium vocis 'fratris 'etymon 'sororis' explicationi, quam ex Antistio Labeone protulerat, de memoria sua adiecisse probabiliter statuas, qua re simul causa explicatur, cur libri titulus et numerus non indicentur, id quod Mercklinius ann. philol. suppl. III., p. 653 ea coniectura explicare studuit, ut etiam Nigidii sententiam ex Antistio Labeone transvectam esse censeret. sed Antistium in eis, quae sect. 3 secuntur, a Gellio respici Kretzschmerus l. c. p. 66 negavit, idque suo iure; nam, quamquam Mercklinius ann. philol. a. MDCCCLXI., p. 717 contrarium contendit, Nigidii illud veriloquium nequaquam ut ovum ovo simile est Antistii definitionibus etymologicis vocabulorum 'sororis' (h. l.), 'viduae' (Dig. L., 16, 242), 'matronae' (Gell. XVIII, 6, 7, cf. Kretzschm. p. 66), quippe quae aperte prodant iuris consulti indolem.

Quae supra p. 4 de formis 'facitur' et 'fit' dixi, cum mea de hoc Nonii loco (p. 507, 14) restituendo sententia cohaerent. Nigidii enim verba corruptissima ibi haec leguntur: 'id, quod dico, huius modi est: tui facit ποιετα facitur tinaetaee'. ultimas syllabas sensu cassas omittebant editores ante Mercerum, quos secutus est Quicheratius, qui cum Rutgersio (p. 262) et Eggero (l. c. p. 51) scripsit: 'id quod dico, huius modi est: ποιεῖ, facit; ποιεῖται, facitur', quasi Nigidius Graeca verba Latinis, non Latina Graecis explicasset! melius, si sententiam spectas, sed audacius coniecit Rothius: 'uti facit ποιεῖ, ita facitur ποιεῖται est'. obscurarum autem illarum syllabarum, quae in fine enuntiati exstant, nemo certam adhuc medelam invenit. ego quidem, ut Rothius, duas in iis latere voces puto, quarum alteram 'est' fuisse e codicis Parisiensis 7667, qui est praecipuus, scriptura 'tineta ('tinetea' expuncto altero 'e') esse' colligo, altera verbi Graeci forma passiva, quae vocatur, in -ται terminata fuisse videtur. itaque, ut brevis sim, scribendum censeo: 'id quod dico huius modi est: uti facit ποιε⟨ῖ, i⟩ta facitur τιμᾶται est', ut Nigidius, quae erat eius consuetudo,[2]) significationis discrimen inter 'fit' et 'facitur' statuisse idque verbis Graecis illustrasse putandus sit. quod discrimen sane verum non est; sed Nigidius cum alia de verborum significatione temere statuit, tum ad hanc sententiam Titinii loco adduci potuit, quem fortasse ipse attulit. nam Figulum praeceptis suis exempla pleraque addidisse, id quod per se probabile est, e Gellii verbis XVIII, 4, 11: 'Quas...repertas cum primarum significationum exemplis...,' et IIII, 9, 1 'Nigidius...versum ex antiquo

---

[1]) 'Fratris' autem vocabulum P. Nigidius, homo impense doctus, non minus arguto subtilique ἐτύμῳ interpretatur: 'frater, inquit, est dictus quasi fere alter.'

[2]) Vide fragmenta I. (Suet. rell. p. 289, 1), III. (Non. p. 437, 23), XXXXIII. (Serv. Dan. ad. Georg. I, 47), XXXXVIIII. = Gell. XI, 11.

carmine refert' adparet;[1]) Titinii autem hunc locum, quem post Nigidii explicationem Nonius posuit, ab ipso Figulo adlatum esse, eo veri similius fit, quod Titinianorum exemplorum apud Nonium nulli ordines inveniuntur. sunt igitur Titinii verba, quae Nigidium respexisse puto, haec: 'stúltitiá cupídinís | Petúnt consílium, bóna bonórum grátiá | Parvi út faciátur'.

Magis autem in ea re ab Hertzio dissentio, quod non dubito, quin ea, quae Nonius p. 40, 15 s. v. 'Tintinnire' e Nigidii libro XVIII. operis nomine omisso adfert, ad hoc opus grammaticum referenda sint, quamquam Hertzius l. c. p. 11, adn. 1 hoc fragmentum a Rutgersio l. c. p. 286 inter reliquias librorum 'de diis' recte positum esse putavit. ac falsum esse Rutgersium constaret, si verba, quae antecedunt, ex Afranii 'Vopisco' sumpta: 'Tintinnire ianitoris impedimenta audio' iam a Nigidio, ad quem exemplum ex eadem fabula s. v. 'Mulierosi' prolatum referendum esse videtur, adlata fuisse firmis argumentis ostendi posset; sed neque hoc certum est neque ex ipsis fragmenti verbis certa elucet sententia. nihilo minus tamen fortasse, ad utrum Nigidii opus probabilius id referatur, coniectura enucleari potest.[2]) sunt enim verba haec: 'itaque ex re in saliaribus adtanus tintinnat, id est sonat'. in his explicatio 'i. e. sonat' potius Nonio quam Nigidio tribuenda esse videtur. pro scriptura 'adtanus' prorsus obscura Rutgersius restituit 'Altunus', nomen non minus obscurum, Lipsius 'Albanus', quod pro 'Albano monte' positum esse putavit; 'altanus' autem, quod significat speciem venti,[3]) quae quid h. l. sibi velit, non adsequor, iam editiones Aldina et Iunii exhibent. vides igitur, cum obscura pro obscuris substituendo res non clarior fiat, praestare nihil nos de hoc verbo aut explicando aut emendando scire confiteri. neque hoc mirum est in re tantis tenebris circumfusa, ut Iordanus, postquam in libro, cui inscripsit '*Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache*' p. 211—224 de reliquiis carminis Saliorum egit, sub finem disputationis haec profiteatur: '*Im Uebrigen tappen wir im Dunkeln, nur dass durch Bergks glänzenden Scharfsinn der Anfang aufgehellt zu sein scheint.*'[4])

---

[1]) Cf. praeterea fr. VIIII. (Non. p. 40, 12) et LX. (Don. ad Ter. Phorm. I, 4, 13).

[2]) Hoc fragmentum Roehrigius p. 52, adn. 1 cum Lipsio ad opus 'de diis' rettulit et sic scribi iussit: 'Itaque ex aere in Saliaribus Albanus tintinnat.' 'Nam,' inquit, 'Albae quoque Salios fuisse C. I. L. VI. 2170 sq. saep. confirmatur (cf. Marquardt. 'Roem. Alt.' VI. p. 410; Preller. I. p. 347).' quasi his comprobaretur Nigidium verbis 'in Saliaribus' non simpliciter Romanorum, sed Albanorum sacra significasse.

[3]) De hoc vento cf. Vitruv. I, 6, 10 et Suet. rell. p. 233, 3 (Reiff.).

[4]) In hac rei obscuritate verbi illius, quod adhuc crux interpretum fuit, explicationem quandam, quae mihi in mentem venit, non sum ausus supra commemorare, sed hoc loco proponam. fortasse scriptura optimis codd. tradita retinenda est ita, ut tantummodo 'attanus' pro 'adtanus' scribamus. cuius vocis interpretationem adsequi mihi videor adhibitis et Festi loco, qui est p. 18, 11 Muell., et glossis quibusdam, partim iam a Muellero in Festi adnot. commemoratis, quarum accuratiorem notitiam Goetzii, quem de earum origine litteris adieram,

tenuissimum autem priscae illius Saliorum poesis fragmentum hoc, de quo agimus, loco Nonius nobis servavit. persuasum enim habeo, ad verba 'in Saliaribus' non 'sacris', ut Rutgersio aliisque visum est, sed 'carminibus' intellegendum esse. certe pluralem non minus quam singularem numerum, qui dicitur, in huius modi exemplis proferendis adhiberi potuisse, e locis Varronianis inter se collatis de ling. Lat. VII, 26 'in carmine Saliorum', VIIII, 61 'Saliorum carminibus' adparet. 'carminis' autem vel 'carminum' vocabulum omitti potuisse, praeter Festi locum p. 325 A 15: 'qui deus in Saliaribus Saeturnus nominatur', etiam ea Varronis verba argumento esse videntur, quae sunt de 'de l. L.' VII, 27, ubi boni codices omnes haec praebent: 'ab eadem voce 'Canite', pro quo in Saliari versu scriptum est 'Cante' hoc versu: 'divum empta cante, divum deo supplicante'. 'versu' hoc modo bis a Varrone poni non potuit. sed cave credas Andreae Spengelio, qui p. 128 editionis a se recognitae 'fortasse', ait, 'hoc versu — supplicante' ab alio addita sunt'. offensio autem illa ut vitaretur, iam is, cuius cura in codicis B littera insigniti lectionibus variis cognoscitur, quas Victorius in editione Gryphiana adnotavit, pro priore 'versu' scripsit 'carmine'. ego autem 'versu', ut quod e proxima linea irrepserit, expungendum, sed 'carmine' mente tantum supplendum censeo; et sic iam Iordanum '*Krit. Beitr.*' p. 222 tacite hunc locum correxisse video. ex Saliorum igitur carminibus Nigidium hoc,

---

liberalitati maximae debeo. legimus igitur in Pauli Festo: 'Athanuvium est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani.' adnotat Muellerus: 'athanuvium] boni codd., quantum intelligo. 'atanuvium' vg. Lindem., quod a Graeco ἄττανον i. q. τήγανον deduxit Dac. at τήγανον non est poculum, et praestat confiteri, priorem vocabuli partem obscuram videri. ultimae syllabae eaedem sunt, quae in voc. 'simpuvium', alius vasis pontificalis nomine.' hoc de ultimis syllabis rectissime adnotavit, non item, quae de prioribus contra Dacerium statuit. nam etiam 'poculum' ita, ut Graecorum ἄττανον (*'Tiegel, Napf'*) conformatum esse et a forma nomen accipere potuisse negari nequit. codicum autem auctoritas obstare non debet, quominus 'tt' pro 'th' scribamus. quod si facimus, formam nanciscimur, quam ab 'attani' voce derivatam esse puto. quae coniectura commendatur quam maxime Philoxeni, quem vocant, glossa p. 22, 15 ed. Vulcanii = Corp. gloss. lat. vol. II., p. 22, 47: 'Atnanulus αγιον. ϊερεωσ. σκευοσ κειμηλιον,' ubi Scaliger bene correxit ἀγγεῖον, sed temere pro 'atnanulus' 'atanuvius' scripsit Pauli habita ratione. immo 'athanulus' subesse adparet neque nos discrepantia inter Pauli Festum et Philoxeni glossarium ex optimis fontibus haustum miros habere potest. en habes attani formam deminutivam, cuius cum 'attanuvium' vocabulo fere eadem est cognatio, quae inter 'simpulum' et 'simpuvium' intercedit. nam generis diversitas contra nihil valet; cf. Kuehneri gramm. §. 107, I. β p. 302, Neue I², 321, Appel 'de genere neutro intereunte'. ceterum cf. gloss. Salomonis: 'Attanubo: genus vasis' et Papiae 'Attanuba: genus vasis', unde pendent glossae Isidori p. 669 et 670 ed. Vulcan.: 'Atanulum: genus vasis', et 'Attanabo: genus vasis', et glossa apud Maium Class. auctt. VI, p. 509: 'Atanulum: genus vasis'. harum glossarum forma genuina 'attanulum' utrum e Pauli 'attanuvium' orta (cf. Loewe Prodr. p. 234) an ex alio fonte, qui certe non liber glossarum fuit, sumpta sit, dubitari potest.

de quo agitur, loco verba protulisse statuo. ex quo, si verum est, efficitur, ut falsi sint, qui pro codicum scriptura 'ex re' editionis Aldinae lectionem 'ex aere' receperunt, veluti Lipsius Rutgersius Eggerus. sed ne temere me illud statuisse putes, vide, si non de carmine Saliari, sed tantum de sacrorum Saliarium caerimonia mentionem fieri sumamus, quam inepta sint verba 'ex re', quam parum apta, si grammaticas dicendi normas spectes, correctio 'ex aere'. contra negari nequit verba ex Saliorum carmine adlata 'ex re' dicta adpellari potuisse, ita ut 'ex re' idem sit quod 'quemadmodum postulatur ipsa re', sive sequentibus verbis 'adtanus titinnat' significata, si e libro grammatico hoc fragmentum excerptum est, sive ante enarrata, si in libro 'de diis' Nigidius haec dixit, et significatione non multum ab adverbio 'apte' differat. quae cum ita sint, sequitur, ut, quoniam ea, quae apud Nigidium antecesserunt, ignoramus, ex verbis, utri operi adsignanda sint, decernere non possimus, etsi facilior ea explicatio esse videatur, ut ad grammaticum librum haec referamus neque abundanter 'ex re' iuxta 'itaque' dictum esse sumamus. sed alia nobis circumspicienda sunt argumenta, quibus haec sententia fulciatur. neque iis nos destitutos esse sentio. ac primum huius modi enuntiato in libro 'de diis' XVIII. locus non esse videtur, cum e fragmento apud Macrobium Sat. III, 4, 6 servato, ubi de 'Penatibus' Nigidius agit, intellegatur eum materiam, quam teste Arnobio 'adv. nat.' III, 40, p. 138, 5 Reiff. libro XVI. tractavit, libro XVIIII. nondum reliquisse. deinde animadvertendum est, quod e lemmatis a Schmidtio l. c. p. 108 sqq. congestis adparet, lemma 'Tintinnire' in uno ex iis verborum ordinibus positum esse, in quibus duae etiam Nigidii reliquiae grammaticae insunt s. v. 'Irascere' p. 127, 8 et s. v. 'Nixurire' p. 144, 18. quae cum diserte e commentariis grammaticis sumptae esse dicantur, veri est dissimile glossatorem, ut hoc verbo utar, si quando titulum omiserit, non idem opus intellegi voluisse, cum in adverbiorum ordinibus, ubi p. 147, 24 s. v. 'Obsecundanter' fragmentum non e commentariis grammaticis, qui p. 40, 24 et p. 104, 30 commemorantur, sed e libro 'de diis' sumptum legitur, id ipso operis titulo significatum sit. hoc argumentum sane non valeret, si quis cum Hertzio librarii errore post 'Nigidius' verba 'de diis' excidisse statueret; quae coniectura sane audacior tum demum accipi posset, si gravioribus argumentis comprobaretur. quod secus esse vidimus.

Porro etiam coniecturae ratio mihi reddenda est, qua nisus supra p. 12 Gellii N. A. VIII, 14 etyma adiectivorum 'vanus' et 'stolidus' exposita fuisse indicavi, quamquam in capitis lemmate, quod solum nobis servatum est, hae voces non commemorantur. at legimus alio loco, XVIII, 4, 11: 'etyma quoque harum vocum ('vanus' et 'stolidus') et origines scriptas esse dicebat (Sulpicius) in libris Nigidianis. quas requisitas ego et repertas cum primarum significationum exemplis, ut commentariis harum noctium inferrem, notavi et intulisse iam me aliquo in loco commentationibus istis existimo.' id quod

factum esse VIII, 14 dudum viri docti intellexerunt; caput enim illud origines vocabulorum a Nigidio exploratas continuisse lemmate edocemur. quod autem Schmidtius p. 143 maiorem loci Noniani, qui est sub lemmate 'Vanum' p. 416, 22, partem Gellio tribuendam esse Hertzium ann. phil. a. MDCCCLXII, p. 789 demonstrasse dicit, neque prorsus convenit Hertzii sententiae neque ea res ipsa vera est. nam Hertzius commotus et similitudine, quae intercedere ei videbatur inter Nonii definitiones 'Vanum est leve, inane', 'Vanum est mendax' et Gellii verba XVIII, 4, 10, quae ex Apollinari se audivisse dicit[1]), et dissimilitudine, quae ceteroqui intercedit, in Nonii opus h. l. Nigidiana quasi per rivulum aliquem fluxisse contendit, quem Gellii ipsius libri VIII. caput XIIII. fuisse posse non negavit. verum non solum id negandum est, sed negandum omnino a Nigidio illas explicationes Nonii repetitas esse, collatis Gellii verbis, quae supra exscripsi, 'quas... cum primarum significationum exemplis...' (exemplorum certe apud Nonium nec vola nec vestigium est, sed loci Vergilii Sallustii Ciceronis inveniuntur), atque accuratius inspectis ipsis Gellii verbis, quibus Hertzius nisus est, e quibus luce clarius adparet 'veterum doctissimos' unam significationem primariam 'trügerisch' (vel 'prahlerisch'), non vero eam, quam Nonius primo loco profert, 'leve, inane', huic vocabulo adsignasse.

De Nigidii apud posteros auctoritate si quaerimus, Verrii Flacci nulla fere ratio est habenda. is enim tantum in historicis, ut ita dicam, libris 'de orthographia' saepius Nigidium respexisse videtur (cf. enarrat. fr. LVI = Mar. Victorin. art. gramm. I, 4, tom. VI, p. 8, 16 Keil.). in libris 'de verborum significatu' eum paene neglexit. certe in Festi epitoma doctrinae Nigidianae praeter unum locum p. 90, 7 M., ubi e duobus 'fratris' vocabuli veriloquiis alterum Nigidio deberi iam Muellerus coll. Gell. XIII, 10 animadvertit, nulla adparent vestigia. nam duo loci, quos praeterea Roehrigius p. 4, adn. 3 Hertzium secutus attulit: Paul. ex Festo p. 226, 20 s. v. 'Protinam' (coll. Nig. fr. LX = Don. ad Ter. Phorm. I, 4, 13); Paul. ex Festo p. 119, 2 s. v. 'Locupletes' (coll. fr. XXXXIIII = Gell. X, 5, 2), huc non faciunt. quorum altero loco id tantum comprobatur etiam Verrium vel ignotum eius auctorem in versu Terentiano non 'protinus', sed 'protinam' legisse; de altero loco ipse Hertzius p. 18 concessit fatendum esse 'in universum similia omnes fere, qui de hoc vocabulo 'locupletes' locuti essent, proferre'.

Plurimas autem 'grammaticorum commentariorum' reliquias Gellio et Nonio debemus. quorum hic quibus praeter Gellium usus sit auctoribus, nescimus, illum ipsum commentarios Nigidii legisse crederemus, etiamsi non ipse diceret his locis: XII, 14, 4; XVIII, 4, 11; XVIIII, 14, 4. primus autem

---

1) 'vanos' proprie dici, non ut vulgus diceret, desipientis aut hebetes aut ineptos, sed, ut veterum doctissimi dixissent, mendaces et infidos et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.

horum locorum Hertzio vanae opinationis ansam dedit. dicit enim Gellius s. 3 sq.: 'erat, qui diceret legisse se in grammaticis commentariis P. Nigidii 'saltem' ex eo dictum, quod esset 'si aliter', idque ipsum dici solitum per defectionem, nam plenam esse sententiam: 'si aliter non potest'. sed id nos in isdem commentariis P. Nigidii, cum eos non, opinor, incuriose legissemus, nusquam invenimus.' tamen ea, quae h. l. tamquam Nigidiana proferuntur, in universum indoli eius rationique etymologiarum convenire Hertzius libri identidem commemorati p. 20 demonstravit: solebat enim Nigidius vocabulorum origines in stirpibus Latinis quaerere, solebat saepius eo veriloquii genere uti, quod Gellius h. l. §. 5 vituperat, ut plures voces in unam contractas vel potius 'pressas', quod verbum Donatus ad Terent. Phorm. I, 4, 4 usurpat, esse diceret. unde cum probabile esset Gellii in hac re auctorem memoria non lapsum esse, sed re vera in Nigidianis commentariis ea legisse, quae Gellius se invenisse negat, Hertzio nihil restare videbatur, nisi ut duae huius operis editiones veteribus notae fuisse putarentur; 'videtur igitur', inquit p. 21, 'Nigidius, postquam opus, nec ipsum certo aliquo ordine compositum, sed ex singulis animadversionibus et disputationibus, prout fors tulisset, conflatum, in publicum iam emiserat, postea hic illic additamenta adiecisse notulasque adspersisse, quae deinde in libros post illa descriptos poterant transferri.' ad hanc vero coniecturam Hertzius nimio studio suae de huius operis compositione sententiae adductus esse videtur. iam enim Mercklinius in censura sua (Berl. Jahrb. 1846, I, p. 632) simplicius hoc ita explicari posse dixit, ut Gellium memoria falsum esse statuamus. '*Gellius*', inquit, '*hatte die Schriften des Nigidius früher gelesen* ('cum... legissemus') *und erinnerte sich nicht, die Etymologie von* saltem *gefunden zu haben. Er fand sie nicht in seinen Excerpten, und schwerlich waren ihm die* comm. gramm. *zur Hand, um sich seiner Behauptung zu vergewissern.*' sed opponi potest libros Nigidianos Gellio etiam 'paulo ante', ut ipse dicit, quam XVIIII, 14 scripsit, praesto fuisse, atque idem h. l. exspectandum fuisse, quod Gellius loco simillimo, de quo egimus, XVIII, 4, 11 se fecisse dicit. postea autem Mercklinius ipse meliorem huius loci explicationem invenit ann. phil. suppl. III, p. 689. et causam, cur priorem explicationem reliquerit, hanc profert, ut eius verbis utar: '*weil Gellius seine* Noctes *zu sehr verschiedener Zeit geschrieben und ebenso die Bücher des Nigidius zu sehr verschiedener Zeit gelesen haben kann*', id quod ego supra probare studui. nititur autem altera Mercklinii explicatio loco simili Gelliano XV, 30, 3 sqq.: 'nam cum quaereretur, 'petorritum' quali forma vehiculum cuiatisque linguae vocabulum esset, et faciem vehiculi ementitus est longe alienam falsamque et vocabulum Graecum esse dixit atque significare volucres rotas interpretatus est, commutataque una littera 'petorritum' esse dictum volebat, quasi 'petorrotum', scriptum etiam hoc esse a Valerio Probo contendit.' (de homine quodam garrulo et inepto sermo est.) 'ego cum Probi multos admodum

commentationum libros adquisierim, neque scriptum in his inveni nec usquam alioqui Probum scripsisse credo.' huius igitur et eius, de quo agimus, loci indolem prorsus eandem pariterque de utroque iudicandum esse Mercklinius statuit. *'Hier wie dort,'* ait, *'sind jene Angaben über Probus und Nigidius aus der Luft gegriffen und dienen nur zur Charakteristik der anspruchsvollen Halbgelehrten, über welche Gellius in den Augen seiner Leser mit der Versicherung, dass er trotz aller Belesenheit in den Schriften des Probus und Nigidius jene Angaben nicht angetroffen, den Sieg davongetragen zu haben sich schmeichelt.'* de altero loco recte Mercklinius iudicavit; num autem de utroque loco idem existimandum sit, dubitare possis, cum illo loco eum, qui ad Probum provocat, 'argutissimas nugas dixisse' legamus, hoc loco, ubi de 'saltem' voce disputatur, ipse Gellius, quamquam 'tot verba in paucissimas litteras cludere improbae cuiusdam subtilitatis' esse dicit, verba 'si aliter non potest' a significatione huius voculae non abhorrere concedat; illic vocabuli 'petorritum' certissimam explicationem opponat, de 'saltem' particula melius, quod proponat, ipse non habeat, sed dicat: 'censuimus igitur amplius quaerendum'. verum tamen profligari posse mihi videtur haec quaestio collato loco, qui utriusque horum locorum quandam prae se fert similitudinem: dico libri XVIII. caput IIII., ubi prorsus ut XV, 30 homo male sciolus irridetur §. 2—9, atque ut XII, 14 Gellius ab alio quodam ad Nigidii commentarios grammaticos relegatur §. 10, nisi quod requisita se repperisse Gellius narrat §. 11. quid vero, si tamen vel hanc rem fictam esse adparet e verbis: 'quas requisitas...ut commentariis harum noctium inferrem, notavi' collatis et cum eiusdem capitis sectione prima, ubi, quo tempore hoc factum sit, ita indicatur: 'cum iam adulescentuli Romae praetextam et puerilem togam mutassemus', et cum praefationis §. 4: 'quoniam longinquis per hiemem noctibus in agro, sicuti dixi, terrae Atticae commentationes hasce ludere ac facere exorsi sumus, idcirco eas inscripsimus 'noctium' esse Atticarum'? Gellium enim, quo tempore Athenas se contulit, iuvenem triginta fere annorum fuisse scimus. quae cum ita sint, facile intellegitur eum bono animo illo loco XVIII, 4, 11 se origines vocum 'vanus' et 'stolidus' iam aliquo in loco Noctibus suis inseruisse 'existimare', ut ait, contra XII, 14, 4 eum, quamquam nondum totum Nigidii opus perlegerat, adfirmare potuisse, se fictam illam 'saltem' vocis explicationem nusquam in commentariis eius invenisse, quod ut magis exornaret suamque industriam legentibus commendaret, addidit haec: 'cum eos non incuriose legissemus.'

De tempore denique, quo hoc Nigidii opus editum sit, nihil omnino certius erui potest. id tamen constat Nigidium, quippe qui anno a. Chr. n. XXXXV. mortuus sit[1]), commentarios grammaticos scripsisse, antequam

[1]) Cf. Suetonii fr. 85 ed. Reifferscheid. in Hieronymi ad hunc annum (Ol. 183, 4) adnotatione servatum: 'Nigidius Figulus Pythagoricus et magus in exilio moritur.' con-

Varronis de lingua Latina libri in lucem prodierunt. nihilo minus pro certo pronuntiare licet, in praeceptis nonnullis tradendis Nigidium Varronis auctoritatem secutum esse, cuius rei testimonio sunt verba Marii Victorini vol. VI, p. 8, 16 Keil.: 'Nigidius Figulus in commentariis suis nec k posuit nec qu nec x, idem h non esse litteram, sed notam adspirationis tradidit,' quibuscum conferas Prisciani verba I, 16, p. 13 Hertz. (fr. 105 ap. Wilmannsium 'De M. Terentii Varr. libr. gramm.'): 'auctoritas tam Varronis, quam Macri teste Censorino nec k nec q nec x in numero adhibet litterarum,' quae ad Varronis 'de antiquitate litterarum' libros pertinere recte Wilmannsius l. c. p. 124 statuit, quod opus, utpote Attio missum, circa a. LXXX. a. Chr. n. scriptum esse constat. reliqua autem Varronis fragmenta, quae ad eandem rem spectant, apud Wilm. fr. 56 et 58 e libro III. 'de sermone Lat. ad Marc.' et 95 e libro 'de grammatica', certe aetate inferiora sunt quam opus Nigidii.

Quod si statuo Nigidium quaedam ex Varronis doctrina sumpsisse, nolim tamen cum Ritschelio (opusc. III, 377) dicere Nigidium totum e Varroniana doctrina pependisse. nam non solum praeter fragmentum illud desunt alia, quibus id comprobetur,[1]) sed adsunt etiam loci Nigidiani, qui cum Varronis doctrina consociari nequeunt.[2]) ipse enim Wilmannsius l. c. p. 90, adn. 1 in rebus nonnullis Lucilii magis quam Varronis vestigia Nigidium pressisse contendit, id quod ei e fragmentis in Gellii l. XIII, cap. 26 servatis adparere videbatur. at ne hoc quidem verum est. in iis enim apertam inter Nigidium et Lucilium Varronemque dissensionem conspici ut tibi persuadeas, comparationem sis institue locorum infra exscriptorum:

Nigidii fr. XXXV (Gell. XIII, 26, 2):	Lucilii libri VIIII. fr. 13, v. 17 M.:
'deinde voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut Valeri, utrum interrogandi an vocandi sint? nam interrogandi secunda syllaba	'... porro hoc sit 'filiu' Luci'; | feceris i solum, ut Corneli Cornificique | mendaci' Furique. addes e, cum 'dabi' Furei' | iusseris.'

firmari hoc Ciceronis testimonio (Tim. c. 1, ubi Nigidii tamquam mortui mentionem facit) bene monuit Roehrigius l. s. c. p. 28, adn. 1.

1) Illud enim, quo agitur de 'ἄγγμα' littera, i. e. N ante gutturalem, quae dicitur, (fr. 107), simile Nigidii fragmento LIIII (Gell. XVIIII, 14, 7), e libris 'de origine l. L.' sumptum est, qui quo tempore scripti sint, ignoramus. ceterum in hac re utrique iam Attius praecesserat, cf. Ritschel. opusc. IIII, p. 144 sqq. quod autem Willmannsius p. 48 putare videtur Nigidium, ut pronuntiandi rationem 'sermonem' vocaret (cf. fr. XXXVIIII = Gell. XIII, 6), Varronis exemplo commotum esse, hoc nihili est.

2) Huc non audeo locum referre apud Gell. X, 4 servatum (de verbis 'quadam vi et ratione naturae factis'; vide supra p. 13), unde Roehrigius l. c. p. 41 collegit Nigidium a Varronis doctrina, qui et contra analogiam et pro analogia disputavit, deinde neutram rationem plane rectam esse docuit, 'recessisse'. nam fortasse nihil aliud fecit Nigidius, nisi quod, cur videri possent verba esse naturalia magis quam arbitraria, argumentis multis illustravit.

superiore tonost, quam prima, deinde novissima deicitur; at in casu vocandi summo tonost prima, deinde gradatim descendunt.'

Varronis fr. 17 (Charis. p. 78, 4): 'Lucius et Aemilius et cetera nomina, quae ante V habent I, duplici I genetivo singulari finiri debent, ne necesse

sit adversus observationem nominum nominativo minorem fieri genetivum, idque Varro tradens adicit vocativum quoque singularem talium nominum per duplex I scribi debere, sed propter differentiam casuum corrumpi.'

Nigidii fr. XXXVII (Gell. XIII, 26, 4): 'si 'huius terrai' scribas, i littera sit extrema, si 'huic terrae', per e scribendum est.'

Lucilii fr. VI et VII libri VIIII., e quibus adparet commendasse illum rationem eorum, qui 'ai' genetivo et dativo ('huic Terentiai', 'Orbiliai'), 'ae' nominativo plur. ('hi Syllae', 'Galbae') adhiberent. vid. Muelleri comment. p. 222 sq.

hos ad locos tertius accedit apud Gell. XVIIII, 14, 8 servatus. discrepat enim et a Lucilii et a Varronis praeceptis sententia Nigidii, quam ibi legimus: 'Graecos non tantae inscitiae arcesso, qui ου ex ο et υ scripserunt, quantae, qui ei[1]) ex e et i: illud enim inopia fecerunt, hoc nulla re subacti.'[2]) haec qui dixit, is 'ei' pro 'i' non magis scribere potuit in casibus nominum discernendis, quam in qualibet alia syllaba. quod si tenemus, de alio fragmento Nigidiano a Gellio XIII, 26 locis illis modo commemoratis interposito (§. 4) aliter nobis statuendum erit atque Wilmannsius p. 90, adn. 1 et L. Muellerus in comment. ad Lucilii libri VIIII. fr. XI fecerunt. sed quo facilius meam declarem sententiam, infra verba Nigidii correcta iuxta Lucilii fragmentum, quod huc pertinet, ponam:

Nigidius:

'si 'huius amici' vel 'huius magni' scribas, unum i facito extremum, sin vero 'hii magnii', 'hii amicii', casu multitudinis recto, tum i ante i scribendum erit atque id ipsum facies in similibus.'

Lucilius:

'Iam puerei venere.' e postremum facito atque i, | ut pueri plures fiant. i si faci' solum, | 'pupilli pueri, Lucili' hoc uniu' fiet.'
Cum Lucilio Varro consentit, cf. Wilmanns. p. 90 et fr. 44.

Rutgersius Eggerus Wilmannsius L. Muellerus Buechelerus ('lat. Declinat.' p. 38) scriptura, quam codices praeter optimum Q (utor Hertzii

---

1) 'Ei' pro 'i' restitui e codicibus.

2) Roehrigius p. 41 haec adnotat, quae probare nullo modo possum: 'A Gellio Nigidii praeceptum in brevius contractum esse censeo, ut, quid voluerit, non plane perspiciamus. quod autem Graecis ου ex ο et υ scribentibus veniam dandam esse dicit, quia inopia fecerint, non de vetere diphthongo ου = ou, sed de monophthongo ου = u cogitandum est' — id quod monere superfluum erat —; 'nec de Romanorum vetere diphthongo ei vel i pingui inter e et i sonanti, sed de i longa eum disseruisse putabimus'.

siglis) praebent: 'tum ante i scribendum erit e', recepta reliqua ad haec verba i. e. ad Lucilii sententiam accommodanda censuerunt. id vero quominus faciamus, obstat, quod non solum in Q illud 'e' post 'erit' deest, sed etiam codicum, in quibus adest, nonnulli (Z X Π) bis 'hii' exhibent, 'magnei' et 'amicei' tantum in X O Π, in reliquis praeter Q, qui 'magni' praebet, 'magnii' (in T 'magni . i') et 'amicii' (in T 'amici . i') exaratum est. qua de causa iam Hertzius in ed. mai. scripsit 'hii magnii', 'hii amicii', atque Ad. Eussnerus in Hertzii adpendice ad h. l. coniecit: 'tum i ante i scribendum erit', quod probo. videmus igitur Nigidium alia via atque Lucilium idem egisse: ut, quemadmodum significationis inter voces synonymas differentias expiscari studuit, de quo studio cf. Hertz. l. c. p. 15, ita formas casuum similes scribendo discerneret. ut enim ille Attii ei pro ī scribendi rationem ad nominum casus discernendos in usum suum converterat, ita Nigidius eodem consilio commotus geminatione usus est, in qua adhibenda eo ab Attio differt, quod etiam i litteram geminare, quam cum illo grammatico 'ei' scribere maluit.

Sed in alia re, quam Gellius in eodem cap. XXVI. libri XIII. sub finem §. 4 refert, a sententia sua, qua i productam per 'ei' scribere noluit, defecisse videri potest; videri inquam, nam re vera eum sibi constitisse puto. legimus enim: 'mi' qui scribit in casu interrogandi, velut cum dicimus 'mi studiosus', per i unum scribat, non per e; at cum mei, tum per e et i scribendum est, quia dandi casus est'. in genetivo 'mi' scribendo Buechelerum secutus sum (cf. 'lat. Declin.' p. 112), quamquam haec genetivi forma ceteroquin non obviam fit. codices h. l. et in genetivo et in dativo 'mei' exhibent, nisi quod in Q Z T dativus 'miei' (mi ei T) legitur, quem Longolius, Lachmannus ad Lucret. IIII, 602, p. 246, Eggerus l. c. p. 52 non debebant probare. dissimiles enim formas non opus erat discernere neque omnino forma, in qua h omissum, ei pro ī scriptum est, Nigidio tribuenda est. contra loci sententia paene clamat, ut cum Buechelero genetivum 'mi' scribamus, unde male intellectis Nigidii verbis ideoque additis litteris 'ei', ut supra in codicibus quibusdam ad 'magni', 'amici' recte 'i' additum est, dativus 'miei' oriri potuit. si vero ex me quaeras, cur adeo rem Nigidius ad arbitrium suum inverterit, cur non potius in genetivo 'meï', in dativo 'mi' scribi voluerit, fortasse etiam huius rei causa intellegi potest, modo consideres eum, ut genetivum 'terrai' in i, dativum 'terrae' in e terminavit (vid. supra p. 22), ita etiam 'mi' sine e genetivo quam dativo, qui et ipse 'mi' sonabat, aptius existimare, dativum 'mei' autem ad analogiam dativorum 'rei', 'spei' explicare potuisse.[1])

Memorabilius autem aliud inventum esset, si recte Nigidio esset tributum: apicis usum dico, quem ad illum referendum esse Usenerus Mus. Rhen. tom.

---

[1]) Ceterum de formis genetivi 'mi', dativi 'mei' explicandis cf. adnotationem ad fr. XXXVIII (Gell. XIII, 26, 4).

XXIIII. p. 108 contendit, sed argumentis non comprobavit. dicit enim, postquam de studio syllabas breves et productas discernendi egit, haec: '*Wer wohl der vorvarronische Gelehrte war, der jene Theorie zuerst aufstellte und den* apex *erfand? Ich greife einer in anderem Zusammenhang zu führenden Untersuchung vor, wenn ich ihn Nigidius Figulus nenne.*' sed promisso Usenerus non stetit. nec, puto, si accuratius argumenta circumspexisset, reperire potuit, quibus hanc opinionem confirmaret.[1]) nam sola temporis ratio ad Nigidium quadrat, cum vetustissima apicis exempla saeculi urbis septimi exeuntis et ineuntis octavi sint.[2]) ceteroqui non solum nulla re indicatur Figulum apicem invenisse, sed sunt, quae contra eam opinionem faciant. primum enim Nigidius aeque ac Varro, de quo conferas ipsius Useneri verba l. c., non tam vocales productas a brevibus distinguendi, quam voces eiusdem formae, sed diversae significationis discernendi studiosum se praebet. deinde cum in universum duae statui possint rationes, quibus vocales productae significabantur, de quibus cf. Weissbrodtium, 'Philologi' tom. XXXXIII. p. 444, adn. 1, prior, qua vocales a, e, u geminabantur, pro ī ei scribebatur, altera, qua I longa et supra a e u nec non supra o apex adhibebatur, Nigidium potius ad illam quam ad hanc scribendi rationem inclinasse videmus, ita ut, si ea, quae p. 22 sq. exposui, vera sunt, etiam i litteram geminare non dubitaret. quae cum ita sint, confitendum est nos non minus ignorare, quis apicis usum invenerit, quam, quis I longa, quae inde a Sullae temporibus adhibebatur, primus usus sit.

II.

Pauciora etiam atque tenuiora, quam commentariorum grammaticorum reliquiae, amplissimi operis 'de diis' conscripti fragmenta sunt, quod libros minimum undeviginti (vel potius viginti) complexum esse e Macrobii Sat. III, 4, 6 intellegitur, ubi liber 'nonus decimus' commemoratur. sed tot librorum ne fragmenta quidem totidem, quibus diserte auctoris nomen adiectum est, nostram aetatem tulerunt. servata enim nobis non plus decem sunt apud Arnobium 'adv. nat.' l. III. Macrobium Servium Nonium Gellium. inter quae quattuor tantum sunt, ubi libri Nigidiani numerus simul indicatur, ita ut de ordine disputationis, quem Nigidius in hoc opere componendo secutus

---

[1]) Roehrigius p. 41 prorsus in Useneri sententiam abiit nec tamen eam argumentis comprobavit. nam quae protulit, argumentorum nomine omnino indigna sunt. dicit enim temporis rationem ad Nigidium optime quadrare; et confirmari hanc coniecturam eo, quod Verrius Flaccus — quem Nigidii doctrinam ad grammaticam et orthographiam spectantem non sprevisse Roehrigius adfirmat, id quod non prorsus verum esse vidimus — apicis usum in litteris Romanis divulgaverit (cf. Schadyum 'De Mar. Victor.' p. 47).

[2]) Cf. Brambachii librum 'Neugestaltung der lat. Orthogr.' p. 24; C I L. I, 626: DIVO IVLIO et ibid. 485; 492.

sit, prorsus nihil constet. nihil aliud enim comperimus, quam quarto libro eum egisse de variis deorum regnis et aetatibus secundum Orpheum et magos (teste Servio Dan. ad Buc. IIII, 10); libris XVI. et XVIIII. de Penatibus (cf. Arnob. III, 40, p. 138, 5 Reiff. et Macr. Sat. III, 4, 6). primi autem libri fragmentum (ap. Non. s. v. Obsecundanter p. 147, 25) Hertzius 'De Nig. stud.' p. 35 dicit 'vel ad generale aliquod ethices praeceptum vel ad aureae aetatis descriptionem spectare.' quorum illud veri similius esse Roehrigius l. c. p. 50 intellexit collato Ciceronis de nat. deor. libri I. initio, ubi ille quaestionem de natura deorum et ad agnitionem animi pulcherrimam et ad moderandam religionem necessariam esse docet hominesque duce natura deos cognovisse adfirmat.

Fragmentorum igitur servatorum neque numerus neque ambitus tantus esse videtur, ut iis nisi alias huius operis in scriptoribus reliquias indagemus. causa autem, cur tam raro eius mentio facta sit, in aperto est, praesertim si Servii (ad Aen. X, 175) verba inspexeris: 'Nigidius solus est post Varronem; licet Varro praecellat in theologia, hic in communibus litteris: nam uterque utrumque scripserunt.' Varroniani nimirum nominis splendore, ut in grammaticis, ita in theologicis rebus enarrandis Nigidii memoria et auctoritas obscuratae sunt. neque Gellius hoc opus legisse videtur.[1]) reconditioris tantum doctrinae investigatores Nigidii 'de diis' libros non neglegebant. inter quos Cornelius Labeo referendus est, homo doctus III. p. Chr. n. saeculi exeuntis, cuius ex scriptis Arnobium ea, quae in libro III. in irridendis diversis Romanorum de diis opinionibus profert, sumpsisse Kettnerus comprobavit in libello 'Cornelius Labeo' inscripto, programmati Portensi a. MDCCCLXXVII. praeposito. inter sententias autem virorum doctorum, quas Arnobius breviter proponit, sunt etiam quaedam Nigidii: p. 133, 18 de Matre deum, p. 138, 3 et 5 de Penatibus et e Graeca fabula et ex Etruscorum disciplina explicandis, p. 139, 2 de Laribus. ac de Penatibus Macrobius III, 4, 6[2]) fere eadem refert atque Arnobius, quae ex eodem fonte[3]) certe derivata sunt, quamquam non ex ipso Labeone a Macrobio ea excerpta esse adparet vel ex his verbis: 'sed qui diligentius eruunt veritatem' (sc. quam Varro, quamquam, quae secuntur, et ipsa Varronis sunt[4]) collatis cum Arnobii 'nec defuerunt, qui...' et inde,

[1]) Id tamen nos non, ut Kretschmerus l. c. p. 58 dubitanter sane monuit, impedit, quominus ea, quae Noctt. Att. II, 26, 19 exstant: 'nostris autem veteribus caesia dicta est, quae a Graecis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore caeli, quasi caelia,' cum Hertzio (v. p. 36) ad libros 'de diis' referamus, cum Gellius haec vel ex ipso Frontone, quem ea dicentem facit, vel aliunde petere potuerit.

[2]) Cum hoc loco conferenda sunt scholia ad Aen. I, 378, II, 325, III, 119.

[3]) Cf. Linkium quaestt. de Macr. Sat. fontt. p. 33 sqq. et Wissowam de Macr. Sat. fontt. p. 61—44; Traube var. libam. crit. Monac. 1883 p. 23—38 Fonteium, quem Labeone et Iamblicho usum esse putat, Macrobii auctorem esse comprobare studuit.

[4]) Cf. Eyssenhardtium Martiani Capell. praef. p. XXXVII et XXXIII sq. et Wissowam Hermae t. XXII. p. 51.

quod Macrobius, cum nomina eorum, quos compilavit, reticere soleat, ipse dicit Cornelium quoque Labeonem 'de dis Penatibus' eadem existimare. ad eundem fontem fortasse etiam fragmentum Nigidianum apud Macrob. I, 9, 6 servatum, ubi de Iano agitur, redit. sed dubito, an alius Macrobii locus[1]) I, 12, 20, ubi 'quorundam' de Maia opinionem adfert, quibus Cornelium Labeonem consentire dicit, ad Nigidium sit referendus. inter 'quosdam' enim, quos Arnobius III, 32, p. 133, 10 terram, 'quod cunctis sufficiat animantibus victum', Matrem esse Magnam dixisse refert, etiam Nigidium fuisse argumento esse videntur Arnobii verba, quae infra p. 133, 18 leguntur: 'non ipsa denique Mater deum, quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari.' ne autem mihi opponas non potuisse eundem, qui 'Matrem deum' terram esse 'physicorum' more, ut vocabulum Macrobio usitatum meum faciam, statuerit, eam uxorem Saturni habere, respicias primum Graecos quoque Γαῖαν matrem (cf. Paus. X, 12, 5: διὸ κλήζετε μητέρα γαῖαν) posteriore illa aetate cum Cybele i. e. 'Matre Magna', uxore Κρόνου, vel cum Δήμητρι confudisse, deinde Martianum Capellam I, p. 21, 10 Eyss. Saturnum cum Vesta consociasse eam ipsam ob causam, quod illa Tellus, Tellus autem 'Mater Magna' esse putabatur (cf. Eyss. praef. in Mart. Cap. p. XXXV). accedit, quod easdem de Telluris nominibus sententias, quas Arnobius l. c. refert, iam Varronem cognovisse e loco Augustini De civ. dei VII, 24 adparet, quem Merkelius proll. in Ovid. Fastt. p. CCXXIII inter fragmenta libri XVI. 'rer. divin.' posuit: 'eandem' (Tellurem), inquit (Varro), 'dicunt Matrem Magnam: quod tympanum habeat, significari esse orbem terrae: quod turres in capite, oppida: quod sedens fingatur' (sic correxit Zoëga: 'sedes fingantur' codd.), 'circa eam cum omnia moveantur, ipsam non moveri: quod Gallos, huic deae ut servirent, fecerunt, significat eos, qui semine indigeant, terram sequi oportere'... 'Tellurem', inquit, 'putant esse Opem, quod opera fit melior: matrem, quod plurima pariat: magnam, quod cibum pariat: Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges: Vestam, quod vestiatur herbis. sic alias deas', inquit, 'non absurde ad illam revocant.' ... et dicit: 'cum quibus opinio maiorum de his deabus, quod plures eas putarunt esse, non pugnat.' cum his, quaeso, conferas Arnobii verba: 'terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt Magnam, eandem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant, nonnulli autem Vestam, quod in mundo stet sola, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua constitutis.' vides igitur magnam esse et similitudinem et dissimilitudinem, ita tamen comparatam, ut dubitari nequeat, quin Varronis disputatio commune fuerit exemplum, quod ab Augustino accuratius expressum est. nam

---

[1]) Eum locum in hoc caput ceteroqui, exceptis §§. 20—29, e fonte Macrobio Censorino Solino communi haustum intrusum esse Wissowa comprobavit de Macr. fontt. p. 17.

verba 'matrem, quod ... cibum pariat' fortasse iam in suo exemplari corrupta legerat Augustinus; certe corrupta sunt et secundum Arnobii verba in hunc fere modum corrigenda esse videntur: 'matrem, quod cibum pariat, magnam, quod plurimum pariat'. contra in iis, quae apud Arnobium leguntur, non solum Opis nomen omissum est, sed reliqua partim ab ipso Labeone immutata sunt (veluti ab eo profecta sunt haec: 'quod cunctis sufficiat animantibus victum', quibuscum conferri possunt similia verba de re simili ab eodem adhibita Macr. Sat. I, 12, 22; Proserpinae loco Cererem posuit), partim ab Arnobio depravata. huius enim errori tribuendae videntur ineptiae, quae in loco, quem exscripsi, ultimo leguntur: 'Vestam, quod in mundo stet sola...', quas iis, quae Varro ante, ubi de Matre Magna disputavit, apte exposuerat, male huc translatis (dico verba 'quod sedens fingatur ... non moveri') ortas esse existimo. unde, si verum est, quod conieci, simul adparet Labeonem Varronis illa verba non omisisse. quae cum ita sint, aut iam Varro eius Nigidii sententiae, qua Matrem deum uxorem Saturni fuisse dixit, mentionem iniecerat,[1]) aut Cornelius Labeo inspecto Nigidii opere eam adiunxerat. quod si sumere malis, tamen id non contra meam facit sententiam, qua Nigidium eadem fere, quae l. c. Varro de Matre Magna refert, sensisse statuo, cum Labeoni, si Nigidium cum iis, quae apud Varronem legerat, non consentire invenisset, illius opinio aut omnino non, utpote quae non ad hanc de Tellure disputationem pertineret, aut aliter adferenda fuerit atque adiunctam eam fuisse ex Arnobii verbis colligitur. in Varronis autem verbis duae res sunt animadvertendae: primum, quod non tamquam sua illa proponit, sed aliorum opiniones refert, easque non Graecorum, sed tales, quae Romanam originem et originationibus prolatis et 'Opis' deae nomine adiecto prodant; deinde, quod opiniones illas non, quemadmodum Arnobius eas proponit, ut inter se pugnantes refert, sed 'posse fieri' dicit, 'ut eadem res et una sit et in ea quaedam res sint plures', atque omnino ita disputat, ut non singulos singulas, quas refert, opiniones amplexos esse dicat, sed etiam unius hominis omnes esse posse concedat. itaque iure aliquo conici possit Varronis hac in re auctorem Nigidium fuisse, praesertim cum is simili modo teste Macrobio I, 9, 5 Ianum eundem esse atque Apollinem et Dianam et in hoc uno utrumque exprimi numen adfirmaverit.

Haec coniectura si vera est, Nigidii opus ante a. a. Chr. n. XXXXVII., quo ultimo 'Antiquitates rerum divinarum' editae sunt, scriptum esse videtur. ceterum dolendum est quam maxime, quod hanc quaestionem, quae ratio inter Varronem et Nigidium in rebus divinis enarrandis intercesserit, fragmentorum subsidiis destituti ne instituere quidem, nedum ad liquidum per-

---

[1]) Tale quid interdum factum esse intellegitur e Gell. III, 10, 2; Serv. Dan. ad Georg. I, 19.

ducere possumus. nonnulla huc pertinentia Wissowa Herm. tom. XXII. p. 52 et 54 tetigit, sed de hac quidem re non recte eum iudicasse postea exponam.

Iam ad Macrobii tandem locum redeamus, quem fortasse ad Nigidium referendum esse p. 26 indicavi. dicuntur igitur I, 12, 20 quidam, quibus Cornelius Labeo consentiat, Maiam, cui mense Maio res divina celebretur, terram esse adfirmare, hoc nomen adeptam a magnitudine, sicuti et Mater Magna in sacris vocetur; tum ita pergit Macrobius: 'adsertionemque aestimationis suae etiam hinc colligunt, quod sus praegnans ei mactatur, quae hostia propria est terrae. et Mercurium ideo illi in sacris adiungi dicunt, quia vox nascenti homini terrae contactu datur...'. ultima verba profecto ingenium Nigidii obscurae atque reconditae doctrinae amantis redolent. quod studium doctrinae arcanae Nigidio sane cum nonnullis aliis commune fuit. sed esse totam hanc sententiam Nigidii non solum eo comprobari videtur, quod is, ex mea quidem sententia, 'Magnam Matrem' terram esse dixit, sed etiam eo, quod alteri e duobus Labeonis auctoribus primariis, Varronem dico, haec vix tribui possunt, cum Merkelius collatis iis, quae apud Macrobium praecedunt: 'contendunt alii Maiam Mercurii matrem mensi nomen dedisse, hinc maxime probantes, quod hoc mense mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant', cum aliis quibusdam locis e Varrone haustis probabiliter statuerit (proll. in Ovid. Fastt. p. CLXXXII et CCII) Maiam a Varrone ita, ut ab Ovidio Fast. V, 85, pro dea 'communi' habitam esse videri i. e. pro femina e mortali immortali facta, quam universi colerent (cf. Serv. Aen. VIII, 275).

Sequitur apud Macrobium longior Labeonis de Bona Dea, quam et ipsam 'terram' esse dicit, disputatio, quae quidem antiquis nititur auctoribus, sed in qua, quid sit Varronis, quid Nigidii, quid Labeonis ipsius, discerni nequit.

Apud Martianum Capellam unum tantum doctrinae Nigidianae vestigium exstat. locus enim, quo de sedecim regionibus caeli[1]) et de diis in iis habitantibus secundum Etruscorum disciplinam, admixtis tamen rebus alienis, exponitur, l. I, 41—61, p. 17, 2—18, 27 Eyss., ita comparatus est, ut totam hanc disputationem ex auctore quodam desumptam esse adpareat; nam optime Eyssenhardtius edit. p. XXXVI haec observavit: 'nimirum in universa fabula contexenda primarias partes inter deos agunt Apollo, Mercurius, Venus: his igitur in caeli istis regionibus, si sua somnia exornasset, nemo dubitabit, quin aliquem locum assignasset: sed ne verbo quidem tanguntur.' hunc igitur locum, cum Krahnerus (de Varr. philosophia p. 24) Varroni tribuisset, cuius plurima sunt, quae Martianus in rebus mythologicis enarrandis adhibuit, Eyssenhardtius l. c. p. XXXVI ad Nigidium rettulit. Martiani autem auctorem

---

[1]) Cohaeret haec 'templi' divisio cum arte fulguratoria et augurali Etruscorum. cf. O. Muellerum 'Die Etrusker' II², p. 131 sq., Marquardtium 'Röm. Staatsverw.' III², p. 413. sed etiam ad alias res rite instituendas ea usui erat; vide Deeckii 'Etr. Forsch.' IIII, p. 81.

Schmeisserus *'Die etruskische Disciplin'* (Liegnitziae a. 1881) p. 35, adn. 165, sive e Varrone, sive e Nigidio eam pendere putamus, fortasse recte dixit Cornelium Labeonem fuisse, quamquam certis argumentis haec opinio fulciri nequit, nisi forte similitudo, quae inter Macrobii (I, 12, 23) verba e Cornelio hausta 'sunt, qui dicant hanc deam' (Bonam Deam, quam Terram esse vult) 'potentiam habere Iunonis, ideoque regale sceptrum in sinistra manu ei additum', et Martiani haec intercedit: 'ex bis septena (regione) Saturnus eiusque caelestis Iuno consequenter acciti', alicuius momenti esse videtur.

Sed ut ad Eyssenhardtii sententiam redeam, qui Martiani auctorem haec non e Varrone, sed e Nigidio mutuatum esse statuit, ei nuper Wissowa in commentatione *'Die Ueberlieferung über die römischen Penaten'* inscripta, Hermae tom. XXII. p. 55 sq., quamquam argumentationem illius viri doctissimi aliqua ex parte parum ad comprobandam eam sententiam valere concessit, tamen adstipulatus est: neque ego re iterum iterumque reputata habeo, cur argumentis, quibus Wissowa fontem huius loci non Varronem, sed Nigidium esse sibi persuasit, obloquar. primum enim, cum re vera plurima, quae l. c. leguntur, Etruscam redoleant disciplinam, probabilius haec ad Nigidium referuntur, quem de Etruscorum placitis fusius egisse scimus, quam ad Varronem, quem ea non obiter tantum occasione data tetigisse, sed etiam longiore expositione illustrasse vix credi potest. deinde, quamquam magna intercedit similitudo inter Martiani verba haec (I, 41): 'ac mox Iovis scriba praecipitur pro suo ordine ac ratis modis caelicolas advocare praecipueque senatores deorum, qui Penates ferebantur Tonantis ipsius, quorumque nomina quoniam publicari secretum caeleste non pertulit, ex eo, quod omnia pariter repromittunt, nomen eis consensione perfecit,' et haec, quae apud Arnobium exstant III, 40: 'Varro, qui sunt introrsus atque in imis penetralibus caeli, deos esse censet, quos loquimur (sc. Penates), nec eorum numerum nec nomen sciri. hos Consentes et Complices Etrusci aiunt et nominant, quod una oriantur et occidant una, ... sed eos summi Iovis consiliarios ac participes existimari', — quamquam magna est haec locorum similitudo, tamen differentia, quae inter locum utrumque intercedit, notanda est, cum Varro de Penatibus in universum, Martianus de Iovis Penatibus verba faciat, quae discrepantia explicatur adhibitis Arnobii verbis (ibid.), e quibus Nigidium comperimus disciplinas Etruscas secutum quattuor Penatium genera statuisse, ex quibus alios Iovis esse, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos. ad Nigidium autem locus Martiani eo magis referendus esse videtur, quod accedit altera inter huius loci auctorem et Varronem discrepantia, quam Wissowa neglexit: nomen enim 'Consentes' alter a 'consentiendo' factum esse dicit, alter inde explicat, 'quod una oriantur et occidant una'.

Sed ut in hac re diiudicanda cum Wissowa facio, ita non possum sententiam probare, quam vir ille doctissimus de ratione, quae inter Varronem

et Nigidium in Penatium origine et indole definienda intercesserit, profert, et l. c. p. 54: '*Die Varronische Theorie ist dann von Nigidius weiter ausgebildet worden: während jener die Penaten der Etrusker in den engsten Zusammenhang mit Jupiter gebracht hatte, lehrte er, dass es nicht nur* Penates Iovis *gäbe*'.... '*Wir können aber das Verhältniss des Nigidius zu Varro in der Auffassung der tuskischen Penaten noch genauer feststellen*...' et antea p. 52: '*Nigidius Figulus acceptirte die von Varro vorgetragene Herleitung der römischen Penaten aus Troja vollkommen.*' videmus igitur Wissowam prorsus non dubitare, quin, si qua Varroni et Nigidio communia sint, hic ab illo utpote auctoritate praecellente pendeat. sed ex his quidem rebus, quas ille proposuit, nequaquam talem inter Varronem et Nigidium rationem intercedere colligitur, ut necessario illum huic praecessisse statuendum sit, contrarium vero fingi non liceat. neque omnino Wissowae sententia ad temporum rationes quadrare videtur. nam, ne id opponam ex iis, quae supra p. 27 disputavi, si quidem recte a me disputata sunt, consequi Varronem Nigidii opus theologicum respexisse: certe, cum 'Antiquitates rerum divinarum' exeunte a. XXXXVII. a. Chr. n. confectae sint, veri simile non est Nigidium demum post eas editas uno anno, dico quadragesimum sextum, — nam a. XXXXV. mortuus est, — exulantem[1]) tot libros 'de diis' composuisse et ad eos componendos opus Varronis modo Romae editum ei iam praesto fuisse. haec contra Wissowae aliorumque opinionem praeiudicatam sufficiant.

Iam ad reliqua Nigidii opera theologica progrediamur. ut enim in hoc, de quo modo egimus, opere ad deorum cognitionem pertinente, illum non solum eorum definitiones proposuisse, sed etiam cultus caerimonias non neglexisse e fragmento apud Nonium s. v. 'Liba' p. 210, 30 servato intellegitur, ita etiam ei theologiae parti, quae ad hominum usum spectabat, — divinationis varia genera dico — toti exponendae operam dedit. quam arte enim divinationem cum deorum interpretatione cohaerere Nigidius existimaverit, ex Servii scholio ad Aen. X, 175 comperimus: 'interpres medium est: nam et deorum interpretator et hominum, quibus divinas indicat mentes, interpres vocatur. et notandum, quod ait Nigidius Figulus, has artes ita inter sese esse coniunctas, ut alterum sine altero esse non possit.' quae verba, si consideraveris, facile tibi persuadebis Nigidium has artes coniunctissimas etiam operibus inter se excipientibus tractasse. itaque post opus 'de diis' perfectum ille libros 'de augurio' conscripsisse videtur, cuius operis praeter verba modo commemorata, siquidem, ut videntur, ad hoc opus pertinent, unum tantum fragmentum 'ex libro primo augurii privati' sumptum[2]) apud Gellium

[1]) Cf. Cic. ad Fam. IIII, 13; Kleinii 'Quaestt. Nigid.' p. 21.

[2]) Cur Roehrigius l. c. p. 49 ea, quae Martianum Nigidio debere vidimus, ad hoc opus quam ad libros de diis referre maluerit, non adsequor. cf. Marquardtii-Wissowae 'Roem. Staatsverw.' III, p. 413, Muelleri 'Etr.' II, p. 165 sq.

VII, 6, 10 exstat. ut autem hoc opere Figulus disciplinam Romanam tractavit, ita 'de extis' i. e. de Etruscorum doctrina haruspicina teste Gellio XVI, 6, 12 peculiarem librum composuit.

De somniis quoque librum scripsit, e cuius fragmento unico apud Laurentium Lydum 'de ostentis' c. XXXXV. servato, ubi fulminis per somnium visi faustum praedicatur omen, fulguralem Etruscorum disciplinam ab eo non neglectam esse adparere iam Hertzius l. c. p. 44 monuit. ceterum somniorum interpretatio potius Chaldaeorum quam Etruscorum propria erat.[1])

Quid quod etiam, tonitrus quam haberent vim ad futurarum rerum praedictionem, Nigidius tradidit, si quidem Laurentio Lydo fides habenda est, quam ei C. B. Hasius in praefatione editionis et Hertzius l. s. p. 33 habuerunt. haec enim praebet Lydus 'de ostentis' c. 27—38: 'ἐφήμερον βροντοσκοπίαν τοπικὴν πρὸς τὴν σελήνην κατὰ τὸν Ῥωμαῖον Φίγουλον ἐκ τῶν Τάγητος καθ' ἑρμηνείαν πρὸς λέξιν.' sed Curtius Wachsmuthius in edit. praef. p. XXXII omnes, quae in Lydo reperiuntur, disputationes astrologicas tantum, si Byzantinorum spectes tempora, aliquid momenti habere, ad illustrandas Romanorum Etruscorumve antiquitates sacras nihil valere contendit. atque Etruscos ex solo tonitru vaticinari non esse solitos (cf. Muelleri 'Etr.' II, p. 177) hodie iam inter omnes constat, cum apud nullum bonae fidei scriptorem huius rei mentio fiat. uno loco, quo Hertzius, ut contrarium demonstraret, usus est (p. 33, adn. 1), Cic. de div. I, 33, 72 lectio vulgata 'et tonitruales libri' iam genuina codicum optimorum scriptura 'et rituales libri' explosa est. tamen Romanis etiam solum tonitrum omen fuisse notum est, quo comitia habere prohiberentur (cf. Muellerum ibid.), id quod in causa esse potuit, cur Nigidius hanc quoque de tonitruum significationibus doctrinam excoleret. atque concedit Wachsmuthius p. XXXI credi posse Nigidium, ut alios auctores, quorum scripta Lydus in suum usum convertit, hoc libello non Etruscorum, sed Chaldaeorum doctrinam explicavisse, quamquam, qui Nigidii esse fertur, librum suppositum esse mavult.[2]) qua in re falsus esse mihi videtur. negari quidem nequit, quod iam Hasius et Hertzius observaverunt, pleraque hoc 'diario' contineri aetatis Iustinianeae vestigia, veluti ad ieiunium Christianorum respici p. 72, 3 ed. Wachsm. in adn. ad III. diem Decembr., ad imperatoriam potestatem saepius; his addi potest inprimis hic locus: p. 65, 5 ad VI. Septemb.: ...'δύναμις ἔσται ταῖς γυναιξὶ κρείττων ἢ κατ' αὐτάς', quae optime ad Theodoram Iustiniani uxorem referri possunt. antiqui autem coloris vestigia fere omnia sunt oblitterata. quae Hasius, quantum fieri potuit, in interpretatione latina restituere studuit. sed hoc studio in errorem abreptus est, cum verba, quae sunt p. 61, 1 ad diem X. mensis Iulii: ...'ἐποψίαν θεῶν καὶ ἀγαθῶν πολλῶν πρόοδον δηλοῖ', sic

---

[1]) Cf. Schmeisseri 'Quaest. Etrusc.' p. 22 sq.

[2]) Secuti sunt eum Schmeisserus '*Die etr. Discipl.*' p. 37; Roehrigius l. c. p. 26.

vertit: 'deorum immortalium praesentiam, bonorum complurium incrementum declarat' (!); quamquam dii ceteroquin non commemorantur, et ex iis, quae p. 38, 11 leguntur, ...'θέαι τε ἄφθονοι καὶ δωρεαὶ φιλότιμοι καὶ ἱππικοὶ ἀγῶνες'.., intellegere debebat non de diis, sed de 'egregio spectaculorum multorumque bonorum eventu' hoc loco verba fieri. contra re vera antiquae originis vestigia deprehendisse mihi videor his locis: p. 61, 10: 'ἐὰν βροντήσῃ, εἰς ἕνα τὴν πάντων δύναμιν ἐλθεῖν φράζει· οὗτος δὲ ἔσται τοῖς πράγμασιν ἀδικώτατος.' p. 69, 1: 'ἐκ διχονοίας τῶν κρατούντων ὁ δῆμος περιέσται,' quae Hasius sic vertit: 'ex dissensione principum plebs superior erit'; p. 71, 14: ...'τῆς συγκλήτου πολλοὶ ἀθυμίᾳ φθαρήσονται': 'magna pars amplissimi ordinis maerore animi exstinguetur.'

Sed videamus, quibus de causis Wachsmuthius hunc, qui Nigidii esse fertur, libellum, vaniloquentiae[1]) sane plenum, suppositum quam a Lydo vel ab eius auctore foede interpolatum et immutatum habere maluerit, cum aliis locis duobus Lydianis, c. 45 et p. 19, 16—20, 7, Nigidianae doctrinae reliquias adgnoscere non dubitaverit. primum igitur id eum offendit, quod ratio, qua hoc 'diarium' instituitur, in quo, quid quoque die tonitrus significet futurum, indicatur, eo nititur, quod lunae domicilium sit Cancer, cum observatio a Iunio, i. e. ab eo mense, quo sol Cancrum ingreditur, incipiat. eam enim esse causam, cur Iunius mensis primo loco positus esset, non, quod eo tempore tonare inciperet, id quod voluit Burinius (Acad. des inscr. et bell. lettr., Compt. rend. 1764, p. 197), quem Hertzius p. 33 secutus est, rectissime Wachsmuthius perspexit. hanc vero de domiciliis zodiaci doctrinam, quae imperatorum aetate immane quantum propagata est, iam Nigidii temporibus Romae receptam esse non modo ignorari, sed veri esse dissimillimum contendit p. XXXI. quod cur contenderit, nescio, cum haec fuerit antiqua astrologorum ratio, ut singulis planetis certa quaedam zodiaci signa ut domus tribuerent et quaererent, in quo signo, utrum in sua an in aliena domo, singulae essent stellae erraticae (cf. Haebler. 'Astrol. im Alterth.' progr. Zwickav. a. 1879, p. 14), apud Romanos autem quanto opere iam ante Nigidii aetatem Chaldaeorum disciplina floruerit, notum sit. itaque Nigidium, si omnino astrologiae peritus fuit, id quod testantur Lucanus Phars. I, 639 sqq., schol. ad h. l., Suet. Aug. c. 94, Cass. Dio XXXXV, 1[2]), Augustin. De civ. dei V, 3, hanc de 'domiciliis' doctrinam non ignorasse adfirmare licet. sed huic argumento Wachsmuthius

---

[1]) Ea irridetur iam ab anonymo in Crameri Anecd. Oxon. III, p. 187: 'ταῖς δὲ Λυδοῦ μαντείαις, ἃς ἐκεῖνος ἔκ τε Φωντηίου (cod. Φώντου, cf. Diar. antiqu. stud. 1843, p. 511) καὶ Φιγούλου (cod. Φηγούλου) καὶ τοῦ μυθολογουμένου παρὰ Ῥωμαίοις Τάγητος συναγήοχε, μὴ πάνυ τι πρόσεχε· τερατολόγος γὰρ ὁ ἀνὴρ οὗτος καὶ πολυφόρητος... καὶ εἴ γε πιστεύεις τῷ Λυδῷ Ἰωάννῃ, πρὸς τὰ ἐκείνου σε πέμποιμι Βροντολόγια.'

[2]) Verba eius adscribere liceat: 'ἄριστα γὰρ τῶν καθ' ἑαυτὸν τήν τε τοῦ πόλου διακόσμησιν καὶ τοὺς τῶν ἀστέρων διαφοράς, ὅσα τε καθ' ἑαυτοὺς γιγνόμενοι καὶ ὅσα συμμιγνύντες ἀλλήλοις ἔν τε ταῖς ὁμιλίαις καὶ ἐν ταῖς διαιρέσεσιν ἀποτελοῦσι, διέγνω.'

ipse non multum tribuit: alterum multo gravius accedere dicit. observatio enim instituitur secundum menses synodicos, quorum semper triginta dies enumerantur, quamquam re vera undetriginta dies et tredecim fere horas continent. atque hi menses synodici triginta dierum semper exaequantur h. l. ita mensibus anni civilis, ut novus mensis initium capiat a novilunio. profecto Wachsmuthio concedendum est haec tam ridicula, tam supra modum inepta esse, ut ea Nigidio attribuere vesani sit. itaque si quis tamen hoc diarium tonitruale genuino fundamento superstructum esse existimat, hunc computum ei recentiore interpolatione obtrusum esse statuat necesse est. hoc autem quominus faciat, nequaquam id, quod Wachsmuthius opposuit, obstat: quod p. 77, 24 verbis: εἰ βροντήσῃ, ἅπαν τὸ ἔτος ἀψιμαχίαι καὶ διχόνοιαι ἔσονται, primo Martio annus novus sit positus. nam hoc verum non est. nonne enim simillima sunt, quae leguntur p. 79, 1 ad diem XVI Martii:... 'ὑγιεινὸν μὲν τὸ ἔτος'; p. 80, 10 ad V Aprilis:... 'ὑγιεινὸν δὲ τὸν ἐνιαυτὸν σημαίνει'; p. 81, 15 ad XXV April.:... 'εἰρήνη ἀνὰ πάντα τὸν ἐνιαυτόν'; p. 64, 6 ad XXII Aug.:... 'καλὰ μετρίως τὰ πράγματα ἀνὰ πάντα τὸν ἐνιαυτόν'; p. 69, 9 ad XXVIIII Oct.:... 'ἐπίνοσος ὁ ἐνιαυτός'?

Sed fortasse longius etiam progredi atque vestigia indagare possumus, e quibus re vera computum illum libello postea interpolatione intrusum esse colligas. ac primum illud Σελ offendit, quod in ipsius diarii initio ante numeri indicem α' scriptum est quodque nihil aliud significare potest, quam, ut Hasius vertit: 'luna'. at nusquam alibi, quod sciam, in tota Graecitate σελήνη hoc modo usurpatum invenitur, ut sit 'dies'; neque Romani, si a novilunio dies numerabant, ita dicere solebant: 'luna prima', ut significarent primum mensis lunaris diem i. e. novam lunam. id quod luculenter adparet e Plinii loco II, 17, 78: 'novissimam vero primamque (lunam)...' item Vergilius de 'quarto ortu' verba facit (Georg. I, 432), postquam v. 427 dixit: 'luna, revertentes cum primum colligit ignis'.[1]) ad hanc numerandi rationem optime quadrant, quae in Suetonii fragmentis leguntur p. 210, 9 Reiff. 'septima autem semis (luna) et vicesima secunda semis in suo orbe mediae sunt', p. 213, 3 'patitur autem quinta decima' (sc. casum luminis), p. 211, 11 'Tunc sol eclipsin patitur..., quotiens luna tricesima' (i. e. novissima luna) 'ad eandem lineam, qua sol vehitur, pervenit'. huic observationi nequaquam repugnat locus Plinianus N. H. XXXV, 2, 2, ubi 'vicesima luna' dicuntur Graecorum Εἰκάδες, cum h. l. non a nova luna, sed omnino tantum civilis mensis dies numerentur, id quod Graecis usitatum erat. itaque iam hanc ob rem conicias Lydum vel eius auctorem hoc diarium neque ipsum de suo finxisse neque in fonte, e quo haustum est, sic institutum invenisse, sed quod ibi invenerit, male tamquam

---

[1]) Hoc Vergilii loco collato eodem modo explicanda erunt verba 'quarta luna', quae compluribus locis simillimis leguntur a Reifferscheidio Suet. rell. p. 234 sqq. congestis.

Diarium secundum menses lunares factum accepisse. confirmatur vero haec coniectura, si ea conferimus, quae de ratione huius libelli tonitrualis praemissa sunt. inscribitur sane quidem ἐφήμερος βροντοσκοπία atque dicit Laurentius a nova luna per menses lunares se tonitruum coniectiones esse instituturum. sed quid, quaeso, sibi volunt verba: 'εἰ ἐπὶ πάσαις ταῖς τῆς διοσημείας παραδόσεσι τὴν σελήνην φαίνονται λαβόντες οἱ ἀρχαῖοι..., καλῶς ἄν τις ἄρα καὶ τὸν σελήνης οἶκον ἐπιλέξαιτο. ὥστε ἀπὸ τοῦ Καρκίνου καὶ ἐνταῦθα... ληψόμεθα τὴν τῶν βροντῶν ἐπίσκεψιν'? quid quaeso haec sibi volunt, si in iis, quae secuntur, ad lunae domum ita tantum respicitur, ut Iunius mensis, quo sol Cancrum ingreditur, primus ponatur? estne haec peculiaris divinandi ratio? minime, sed proprius tantum enumerandi ordo. illa autem verba Hasius ita interpretatus est: 'si palam est in omni augurali disciplina lunam ducem sumpsisse sibi veteres..., recte aliquis lunae stationem item ducem eligat.' sic interpretari possumus, modo ne hac interpretatione propriam verborum 'τὸν σελήνης οἶκον ἐπιλέξαιτο ἄν' vim imminuere studeamus, quae ea est, ut per totam disputationem Cancri ratio sit habenda. prorsus autem detorquetur sequentium verborum sententia, si cum Hasio sic vertimus: 'quamobrem inde a Cancro hic quoque... cognitionem instituemus.' nam ut omittam obscurius dictum esse 'inde a Cancro' pro 'inde a mense, quo sol in Cancro est', verba 'ληψόμεθα τὴν ἐπίσκεψιν' non significant: 'instituemus cognitionem',[1]) sed, ut omnino intellegantur, indigent verborum 'ἀπὸ τοῦ Καρκίνου', cum pro 'ἀπὸ τοῦ Καρκίνου ληψόμεθα τὴν ἐπίσκεψιν' simili modo atque supra dictum est 'τὴν σελήνην λαβόντες ἐπὶ παραδόσεσι' hic quoque dici possit 'τὸν Καρκίνον ληψόμεθα ἐπὶ τῇ ἐπισκέψει'. cf. praeterea p. 42, 4: 'ἐκ τῶν περὶ σελήνης σχηματισμῶν ... λαμβάνοντες', et, quod gravissimum est exemplum, p. 89, 5: '(ἐπιτηρήσεις πρὸς σελήνην) ἀπὸ τῆς θερινῆς τροπῆς', quae significant observationem sumptam a solstitio aestivo, i. e. in ea constellatione factam, qua sol est, ut Graeca adferam verba, 'κατὰ τὴν ἐνδεκάτην τοῦ Καρκίνου μοῖραν' (p. 89, 6). hoc loco collato simul ad genuinam huius βροντοσκοπίας formam cognoscendam adduci mihi videmur. ut enim hoc loco e certi temporis constellatione solis et lunae praedicitur, quid sit futurum, ita etiam in Nigidii libro tonitruali tantum eorum uniuscuiusque mensis dierum ratio haberi videtur, quibus luna in sua domo i. e. in Cancro est. utroque enim loco pariter et solis et lunae positio observatur; in Labeonis illo libello, nam eius illum esse Lydus dicit, solis positio eadem manet, lunae variatur per circulum zodiacum; in hoc Nigidii libello luna manens in Cancro, sol singulis mensibus per singula signa procedens fingitur. quae ratio quam bene ad illa verba modo tractata quadret, manifestum est. cum autem Cancri, ut uniuscuiusque signi, triginta sint partes, eae quoque a Nigidio accurate distinctae

---

[1]) Ad Hasii interpretationem quadrarent fere haec: ἀπὸ (vel ἐκ) τοῦ Καρκίνου ληψόμεθα τὴν τῆς ἐπισκέψεως ἀρχήν (cf. p. 15, 7).

esse videntur.[1]) en habes causam, quae Lydi turbas excitavit: invenerat is fortasse in fonte suo:[2]) Μηνὶ Ἰουνίῳ σελ(ήνη) ἐν α'..., unde neglecto illo ἐν triginta mensis synodici dies enumeratos esse collegit atque reliqua ad hanc opinionem, quantum potuit, accommodavit. subsidium autem coniecturae huius haud spernendum in eo cernitur, quod in Palatino codice optimae notae Βροντοσκοπία ἐκ τῶν Φωντηίου τοῦ Ῥωμαίου (capp. 39—41) Nigidianum libellum (c. 27—38) non, ut in Caseolino codice, quem editores secuti sunt, sequitur, sed ei antecedit; illa enim f. 185r—186r, hic f. 186r—190v continetur. eandem dispositionem, quam falsissimam esse Wachsmuthius p. XIIII dixit neque tamen argumentis comprobavit,[3]) tenere etiam codices Regium 2381 f. 70 v—71 r et Venetum 324 f. 282 v—284 r ex Hasii verbis (comment. de Lydo p. XXXXVI) adparere videtur. quodsi haec dispositio vera sit habenda, libellum Nigidii excipit disputatio, quam ipse Lydus Labeonis esse dicit (c. 42), in Palatino sane omissa. Labeonis autem nomen cum Figulo etiam in cap. III, ubi auctores suos Lydus indicat, coniunctum est ita (p. 6, 18), ut Labeonem Nigidii quoque βροντοσκοπίαν exhibuisse a probabilitate non abhorreat. qua re simul rationis similitudo, quam supra p. 34 detexisse mihi videor, optime explicari potest.

III.

Inter res a natura involutas, quarum acrem et diligentem investigatorem Nigidium Cicero Tim. 1 adpellat, primum locum sine dubio obtinent stellarum astrorumque effectus, quibus vita humana regi putabatur. intellegimus enim ex variorum scriptorum locis ab Hertzio p. 29 sq. adlatis, a me supra p. 32 commemoratis, Nigidium doctrinae astrologicae auctoritate floruisse eiusque rei memoriam splendidam ad posteros pervenisse. sed non solum ipse ille studiis astrologicis deditus erat, sed alios multos artem eam docuisse videtur, si quidem id conicere licet collatis verbis scholiastae Bobiensis (ad Cic. contra Vatin. 6, 14) V, 2, p. 317 Or., qui narrat fuisse illis temporibus Nigidium quendam, virum doctrina et eruditione studiorum praestantissimum, ad quem

[1]) Id iam Nigidio notum fuisse non est, quod negemus, cum 'decanos' iam antiquis temporibus astrologos distinxisse constet (cf. Haeblerum l. c. p. 10). Varro certe illud non ignorabat; cf. Plin. N. H. XVIII, 285 et 286. Manilius in arte apotelesmatica exponenda singulorum decanorum rationem habuit.

[2]) Eum fontem Graecum fuisse veri simile est, cum Lydum linguae Latinae parum peritam fuisse Schultzius quaestt. Lyd. §. 2, p. 6 sq. demonstraverit.

[3]) Nam quod capp. 23—26 ibi falso Fonteio adscribi, cum Vicellio essent tribuenda, p. XXII statuit, huc non facit. immo contendere aliquis possit non futurum fuisse, ut ea Fonteio adscriberentur, nisi iam in codice, ex quo in P transscripta sunt, cum capp. 39—41 coniuncta fuissent.

plurimi convenirent; hanc ab obtrectatoribus veluti actionem minus probabilem iactitatam esse, quamvis ipsi Pythagorae sectatores existimari vellent, et Dionis Cassii verbis (l. s. c. XXXXV, 1), quae certe ad astrologiam spectant: 'καὶ κατὰ τοῦτο καὶ αἰτίαν ὥς τινας ἀπορρήτους διατριβὰς ποιούμενος ἔσχεν'.[1]) certe disciplinam astrologicam Figulus scripto opere tradidit, cuius indicem simulque partitionem ex tribus locis cognovimus, quorum duobus (Serv. Dan. ad Georg. I, 43 et I, 218) 'Sphaera Graecanica', tertio (Serv. Dan. ad Georg. I, 19) 'Sphaera barbarica' commemoratur.

Sed priusquam de huius operis materia eiusque compositione quid e parcis fragmentis erui possit, quaeramus, de fontibus, per quos hae reliquiae ad nos pervenerunt, mihi agendum est. plurima fragmenta in scholiis ad Germanici Aratea Basileensibus, quae vocantur, et in Strozzianis nobis servata sunt. agitur enim

I. de Orione a scorpione interfecto p. 63, 13—64, 6 ed. Breysig. (in Strozzianis ibid. p. 122, 6—13);
II. de Virgine p. 65, 20—66, 5 (p. 126, 1—11);
III. de Geminis p. 68, 18—69, 13 (p. 127, 9—128, 3);
IIII. de Leone p. 72, 1—14 (p. 131, 9—132, 5);
V. de Tauro p. 74, 12—20 (p. 135, 5—13);
VI. de Ariete p. 80, 8—81, 1 (p. 143, 12—144, 9);
VII. de Piscibus p. 81, 20—82, 10 (p. 145, 9—146, 5);
VIII. de Aquario p. 85, 13—86, 3 (p. 154, 1—155, 6);
VIIII. de Capricorno p. 87, 11—89, 12 (p. 156, 3—158, 7);
X. de Sagittario p. 90, 10—15 (p. 159, 8—13).

quod haec omnia ad signiferi orbis sidera ex catasterismorum fabulis explicanda pertinent, id vix casui tribuendum est, quamquam Roberto cave fidem habeas, qui Eratosth. Catast. rell. p. 16 inde concludit Nigidium de duodecim tantum signis egisse, quae opinio refellitur collato scholio ad Georg. I, 19[2]) sed certe qui illud consideraverit, hanc ipsam ob causam vix Eyssenhardtio assentietur, qui in editione Martiani Capellae et scholiorum illorum p. 489 duodecim praeterea locos, duos minores, decem ampliores, Nigidio

---

[1]) Ex rumore inde orto fortasse illa 'sacrilegii Nigidiani' mentio, quae in declamatione in Sallustium 5, 14 fit, profecta est, de qua disputavit, ita tamen ut nihil proficeret, Kleinius 'Quaestt. Nigid.' p. 22.

[2]) Sed perperam hac occasione Roehrigius l. c. p. 32 usus est, ut haec adderet: 'ac fortasse huc Arnobii adv. nat. III, 41 verba de Curetibus et Dactylis a Nigidio "in diversis scriptis" tractatis' (dicere debebat pro Laribus habitis) 'spectant, de quibus in Cat. p. 56 R. et schol. Germ. p. 59 B' (sic correxi, Roehrigius falso p. 58 indicat) 'apud ursam minorem agi videmus'... at neminem praeter Roehrigium hoc videre puto; nam hoc loco tantummodo per occasionem Curetum nomen commemoratur.

deberi contendit, ex quibus uno tantum loco[1]) p. 68, 6 de signo quodam, Geminos dico, agitur, quem locum e Nigidio sumptum esse recte Robertus p. 21 iam eo improbavit, quod haec de Zetho et Amphione verba Catasterismorum fragmentum continuo excipiunt, a Nigidianis autem stellarum catalogo secernuntur. ceterum in refutanda illa Eyssenhardtii opinione longus esse nolo, cum eam falsa scholiorum imagine mente concepta niti constet, ob quam ille singula quaeque aut ad Eratosthenis Catasterismos, quales codicibus nobis servati sunt, aut ad Hyginum[2]) vel eius auctorem rettulit eaque, quae ad neutrum fontem revocari posse ei videbantur, aut ipsius scholiastae aut Nigidii esse dixit.[3]) veram autem rationem, quae inter has nonnullasque alias fabularum syllogas et ipsum Eratosthenis opus intercedit, Robertus in egregiis prolegomenis, quae Catasterismorum reliquiis praemisit, enucleare studuit. neque eius disputationem Maassius in Analectis Eratosthenicis (Phil. Unters. vol. VI) evertisse mihi videtur, quamquam eum nonnullorum publice plausum tulisse atque etiam Robertum in noviss. Prelleri Myth. Graec. ed. p. 22, adn. 5 sententiam suam immutasse scio. tamen Maassii operam non possum non tumultuariam aliqua ex parte habere et Robertum contra ipsum quam brevissime defendere.

Atque etiam si catalogos stellarum ab Eratosthene alienos esse Maassius nobis persuasisset ita, ut iis subscribendum censeremus, quae l. c. p. 33 dixit: ‘ex amplo doctoque in Aratum commentario Catasterismos constat excerptos esse: ibi primum catalogi stellarum cum mythica ceteraque doctrina astronomica in eam formam, quam servaverunt Catasterismi, redacti sunt’, — si hoc, inquam, concederemus, tamen nequaquam idem, quod Maassius de altera Catasterismorum parte luculentis argumentis demonstrasse sibi visus est,

---


[1]) Omitto, quae p. 70, 13—71, 4 secundum Philiscum de ‘Asinis’ in testa Cancri positis narrantur, cum eadem apud Hyginum Astrol. II, 23, p. 65, 15—66, 5 Bunt. eodem modo reliquis interposita legantur. communem enim Hygini et interpretis Germanici fontem Catasterismos pleniores fuisse Robertus p. 14 comprobavit.

[2]) Ex eo una tantum fabula, quae est de Lepore p. 95, 19—97, 8 Breys. (Hyg. Astrol. II, 33) sumpta est, id quod e verborum consensu adparet, sed eam posteriore demum aetate ex Hygino interpolatam esse invictis argumentis, ut recte Robertus p. 14 indicat, ostendit Bursianus ann. philol. MDCCCLXVI, p. 766, adn. 13.

[3]) Unam ex his fabulis, quae est de Canis ardore p. 94, 16—95, 17, nuperrime etiam Roehrigius l. c. p. 32 Nigidio tribuit. sed vereor, ut cuiquam persuaserit. nam praeterquam quod haec fabula non ad zodiaci signum pertinet, obstat non solum, quod Amphis comicus auctor eius esse dicitur, cum in iis, quae re vera Nigidii sunt, nusquam Nigidii nomine omisso primus fons indicetur, sed etiam quod nequaquam hic locus aptissime, ut Roehrigio videtur, ad Nigidii fragmentum p. 65, 20—67, 14 quadrat. potuisse autem Germanici scholiastam ex Eratosthene haurire, quae alii, qui eodem fonte usi sunt, non exhibent, tribus exemplis confirmatur a Roberto l. c. p. 21 adlatis. ceterum Amphim etiam in Callistus fabula narranda Eratosthenis auctorem fuisse constat; cf. Robertum l. c. p. 12.

etiam de fabulis ad sidera pertinentibus valeret.[1]) cur enim antiquiorem fabularum syllogam, qua interpretem Arateum usum esse Maassius p. 54 sq., adn. 83 et p. 139 concedit, ab Eratosthene profectam esse negemus, causam non video. immo quo modo opus prorsus spurium vulgo et quidem iam a scriptoribus hac epitoma aetate non multo inferioribus pro genuino Eratosthenis opere haberi potuerit, vix intellegitur. Maassius sane p. 47, adn. 68 libelli titulum sive mera coniectura sive aperta fraude fictum esse contendit. sed fraude cum alios, tum Hyginum deceptum esse, quem in Astrologia Maassius ipse p. 54 praeter Catasterismorum libellum scholia Aratea adhibere dicit, veri dissimile est. ad erroris autem originem explicandam non sufficiunt rationes a Maassio p. 47, adn. 68 prolatae: ansam coniecturae Eratosthenis carmina de Mercurio deque Erigona conscripta dedisse. in 'Mercurio' enim 'Lyrae' et lactei circuli, in 'Erigona' Icari familiae catasterismos, quas ad causas referendi essent, Eratosthenem ex fabulari historia explicasse. sed quid multa: non opus est ad haec argumenta confugere, cum ne ea quidem, quae de stellarum catalogis Maassius protulit, ad eius de horum origine opinionem comprobandam valere Boehmius nuper Mus. Rhen. tom. XXXXII. p. 286 sqq. optime demonstraverit.

Rationem igitur, quam inter Eratosthenem Nigidium aliosque fabularum sideralium scriptores intercedere Robertus l. c. statuit, brevitatis causa stemmate hoc sub uno conspectu posito illustrare liceat:



---

[1]) Non magis Roehrigio (p. 30) Maassium id persuasisse video.

[2]) Hoc 'Catalogi' inscriptum fuisse Robertus conclusit ex scholio Ven. B ad Iliad. XXII, 29: ...ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις.

[3]) De ratione inter Strozziana et Hygini Astrol. intercedente iam Freyus in progr. Roesseliensi a. MDCCCLXVII p. 9 similem protulerat sententiam.

Iam vero de Ampelio quaedam mihi enarranda sunt. collatis enim fragmentis Nigidianis in scholiis Arateorum Germanici servatis primus Woelfflinius ('De L. Ampelii libro memoriali' Gottingae a. MDCCCLIIII) caput II. 'de duodecim signis' e Nigidio haustum esse perspexit. et hoc Ampelii caput non ex diversis auctoribus conflatum vel ex scholiis Germanici, quae dicuntur, haustum, sed totum ad Nigidium referendum esse ita, ut ex eo fragmenta augeri possint, post Woelfflinium inprimis Buechelerus Mus. Rhen. t. XIII. p. 179 sqq. comprobavit. neque eius sententia iis, quae contra eam Maassius in Anal. Eratosth. p. 79 protulit, eo nimirum consilio ductus, ne iam Nigidius tali sylloga 'catasterismorum' usus esse videretur, qualem ab Eratosthene compositam esse Maassius negavit, labefactari et redargui potest.[1]) etenim primum Ampelius plerumque, ubi plures profert signi alicuius explicationes, eam primam ponit, quam Nigidius teste scholiasta probaverat. ubi autem id fieri non videtur, veluti §. 11: 'Aquarius, qui putatur Ganymedes, dicitur Deucalion', in scholio p. 85, 13 illam explicationem, quam Ampelius non ut ab auctore suo probatam commemorat, ideo tantum omissam esse adparet, quod modo p. 85, 8 sqq. ex alio fonte, qui est Eratosthenes (cf. Robertum l. c. p. 144), narrata erat, quemadmodum scholiasta p. 81, 1, cum fabulam de Phrixo et Helle, iam p. 79, 18—80, 7 narratam, iterum proferre nollet, de Nigidio, postquam propriam eius explicationem rettulit, adnotasse satis habuit: 'cetera, ut superius scripta sunt, refert'. deinde, ubi una tantum signi explicatio apud Ampelium legitur, eadem est, quam scholiasta e Nigidio adfert. accedit gravissimum argumentum, cuius vim frustra Maassius infringere conatus est, id dico, quod Ampelius, quamquam singula in brevius contraxit atque etiam Aristaei fabulam, quae schol. p. 86, 3 e Nigidio profertur, omisit, tamen non solum pleniorem interdum exhibet enarrationem, veluti de Virgine, de Sagittario, sed etiam de Librae signo fabulam narrat nusquam alibi obviam, quam cur scholiasta non praebeat, causam in eo esse positam Buechelerus l. c. p. 180 intellexit, quod ipse poeta, quem is interpretatur, hoc signum tantum non neglexit. quod autem Maassius id tanto opere premit, quod aliorum testimoniis in scholiis saepius Nigidius opponatur (veluti p. 66, 5 'sunt, qui aliter memorent', p. 90, 15 'alii . . . dixerunt'), quasi, si ulla scholiastae fides esset habenda, Nigidius non ea omnia narrasse posset, ob hanc ipsam causam, quod eodem modo Ampelius varias variorum narrationes inter se opponit, iam Nigidium id fecisse necessario concludendum esse vel ex eo, quod Robertus p. 17 commemoravit, intellegere potuit. postquam enim a scholiasta Nigidii de Croto sententia breviter indicata est p. 90, 10—15, adnotatur p. 90, 15—91, 1 alios Sagittarium pro Chirone habere, quamquam paulo ante in

---

[1]) Idem Roehrigium l. c. p. 33 sq. sentire video.

disputatione ex Catasterismis hausta eadem opinio iam indicata, sed statim reiecta est. cuius rei satis mirae eam esse causam, quod scholiasta alteram quoque fabulam apud Nigidium narratam invenerat, luce clarius fit collatis scholiastae verbis p. 69, 1: 'item dicit (Nigidius) Castorem et Pollucem' cum his Ampelii: 'alii Castorem et Pollucem dicunt.' itaque omnia, quae in Ampelii capite altero leguntur, etiam ea, quae in scholiis desunt, veluti s. 12 verba: 'Pisces ideo, quia bello Gigantum Venus perturbata in piscem se transfiguravit', vel, quae exstant in s. 4, quae in schol. p. 70 e Nigidii fonte adferuntur, Nigidii esse certissimum est.[1]) ad quam sententiam bene quadrat ordo signorum, de quo cf. schol. p. 80, 8: 'Nigidius hunc arietem dicit ducem et principium esse signorum.'

Sed iam ipse Woelfflinius, cum id feliciter invenisset, eo adductus est, ut etiam capita I., III., IIII., V. Ampelii fortasse ad Nigidium referenda esse existimaret. tamen satis caute rem in medio relinquere maluit; quam post eum alii tamquam certam pronuntiaverunt, veluti Wachsmuthius l. c. p. XXIIII. mihi autem haec opinio non probatur. atque de capite IIII. et V. Ampelii breviter agendum erit, ubi fragmenta librorum 'de vento' tractabo. hoc loco tantum de III. capite 'de sideribus' inscripto meam proferam sententiam. nam primum caput 'de mundo' utrum e Nigidii libro fluxerit necne, diiudicare non audeo, cum simillima, inprimis de elementis quattuor et de circulis quinque, apud plerosque scriptores legantur, quorum loci congesti sunt a Reifferscheidio Suet. rell. p. 193 sqq.

Sed tertium caput a Nigidio alienum esse pro certo adfirmare possum. nam praeterquam quod in eo reconditae doctrinae nec vola nec vestigium est, planetae 'stellae erraticae' dicuntur, cum Nigidium eos 'errones' adpellasse Varro apud Gell. III, 10, 2 testetur, quod vix tantum per iocum factum esse, ut Hertzius De Nig. stud. p. 23, adn. suspicatus est, et ex Varronis verbis, quibus Nigidius aliis opponitur, qui eas stellas erraticas dicebant, et inde concludas, quod Apuleius eas 'erroneas' adpellavit hoc loco, quo de ioco omnino non potest cogitari, De dogm. Plat. 1, 10: 'ceterae stellae, quas non recte erroneas et vagas dicimus.' accedit, quod mirus ordo, quo planetae sic enumerantur: Saturnus Sol Luna Mars Mercurius Iuppiter Venus, sine dubio inde explicandus est, quod eodem ordine singuli dies inter se excipientes ab his septem stellis nomina acceperant, de qua re confer Suetonii fragmentum p. 160 sqq. Reiff. ab Isidoro de nat. rer. III. servatum, sed illatis noviciis Christianorum institutis corruptum. hunc autem morem singulos septenorum dierum singulorum planetarum nominibus adpellandi multo

---

[1]) Itaque Nigidii etiam sunt, quae in schol. Germ. post fragmenta supra commemorata leguntur p. 66, 5—67, 14; p. 69, 13—70, 5; p. 86, 3—18; p. 90, 15—91, 1. de quibus praeter Woelfflinium et Buechelerum cf. etiam Robertum l. c. p. 16 sq.

demum post Nigidii tempora usu receptum esse constat.[1]) itaque haec Ampelius e fonte recentissimo hausit.

Sed alia etiam coniectura nobis examinanda est, qua, si vera esset, reliquiarum Nigidianarum ad catasterismos enarrandos pertinentium numerus augeretur: coniecturam Langii dico, qui in dissertatione 'De nexu inter Hygini opera mythologica et fabularum, qui nomen eius prae se fert, librum' p. 7 fabulas quasdam syllogae, cui inscribitur 'Hygini fabulae', interpositas ad Nigidium rettulit. cum enim fabulas, quae ad signa vel sidera enarranda pertinent, interpolatas esse[2]) recte perspexisset, consensione magna, quam esse inter complures earum et fragmenta Nigidiana in scholiis ad Aratea Germanici servata animadvertit, commotus e libro, cuius praecipuus fons Nigidii opus fuisset, eas profectas esse coniecit. atque ipse p. 7, adn. 2 has indicavit fabulas huc pertinentes: 133. (p. 144 Schmidtii) de Ariete Liberi duce, 177. (p. 30) de Callistone in ursam mutata, 192. (p. 122) 'Hyas' inscriptam, 194. (p. 125) de Arione, 195. (p. 125) de Orione. praeterea ad signiferum orbem pertinent fabulae 196. (p. 125) Pan, 197. (p. 126) Venus, 130. (p. 112) Icarius. sed ex his omnibus tres tantum fabulae (133., 196., 197.) narrationes Nigidianas continent, quas ex scholiis Germanici saepe commemoratis B P et S U[3]) novimus. unde nihil de reliquarum, quas indicavi, origine colligendum est, cum et tres illas et fabulas 192., 195. ex ipsis scholiis

---

[1]) Cf. Idelerum 'Chronol.' II, p. 138; Mommsenium 'Chronol. Rom.' p. 313 sq.; gravissimum testimonium est Cassii Dionis XXXVII, 18 sq.: τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ τοὺς πλάνητας ὠνομασμένους τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων, πάρεστι δὲ καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, οὐ πάλαι ποτὲ ὡς λόγῳ εἰπεῖν ἀρξάμενον· οἵ γ' οὖν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτό, ὅσα γε ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίσταντο. ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ πάνυ νῦν τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ αὐτοῖς τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχωριάζει, καὶ ἤδη καὶ τοῦτό σφισι πάτριον τρόπον τινά ἐστι, βραχύ τι περὶ αὐτοῦ διαλεχθῆναι βούλομαι eqs. deinde post nugas quasdam huius usus rationem explicat ita: τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν, καὶ ἐκείνην μὲν τῷ Κρόνῳ διδούς, τὴν δὲ ἔπειτα τῷ Διὶ καὶ τρίτην Ἄρει..., κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων...καὶ τοῦτο καὶ αὖθις ποιήσας, πάσας γὰρ οὕτως τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσιν ὥρας περιελθών, εὑρήσεις τὴν πρώτην τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ὥραν ἐς τὸν ἥλιον ἀφικνουμένην. καὶ τοῦτο καὶ ἐπ' ἐκείνων τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τοῖς πρόσθε λόγον πράξας...

[2]) Hoc inde adparet, quod et siderum enarratio a talis operis consilio aliena est neque catasterismi commemorantur Leonis Nemei et Cancri (v. fab. XXX, p. 64 Schmidtii), quos Hyginus in 'Astrologia' enarravit, neque Arietis a Phrixo immolati (fab. III, p. 39), quamquam Hygino, ubi hunc catasterismum enarravit (Astrol. II, 20), iam haec fabula quasi ante oculos versabatur, in qua plura de pelle arietis se dicturum esse promisit, id quod Robertus l. s. c. p. 15 et p. 235 sq. sagacissime huc spectare intellexit, cui hanc potissimum ob causam adsentior Hyginum praeter Genealogias et Astronomiam etiam tertium opus composuisse, quod in deorum heroumque historiis exponendis versabatur.

[3]) p. 80, 8 sqq.; 87, 11 sqq.; 81, 20 sqq. et p. 143, 12 sqq.; 156, 3 sqq.; 145, 9 sqq.; fab. 195. potius ex schol. p. 93, 13 sqq. quam e Nig. narratione (p. 63, 13) hausta est.

Germanici interpolatas esse constet.[1]) fabulam autem, quae est de Icario et Erigona, quam ad 'Catalogos' Eratosthenis redire Langium l. c. p. 52 non fugerat, non e Nigidio, sed ex eodem fonte, quo Apollodorus usus est Bibl. III, 14, 7, haustam esse Robertus recte animadvertit l. s. s. p. 39, adn. quod autem in fab. 177. legimus Callistonem in ursam mutatam inter sidera receptam esse, diversam de hoc sidere Nigidius protulit sententiam, de qua infra disputabo. qui vero Nigidium auctorem secutus est, quamquam ille diversas etiam variorum scriptorum explicationes referre solebat, tamen, nisi, ut Dositheus (c. IIII.), levissimus fuit excerptor, qualem in quattuor, de quibus modo egi, fabulis tradendis interpolator se non praebuit, non potuit eam neglegere explicationem, quam auctor, quem secutus est, ceteris praetulerat. de Arionis denique fabula adhuc valet, quod Merkelius (proleg. in Ovid. Fast. p. LXXXVIIII) dixit, quis eam fabulam ad novem illas stellas accommodaverit, 'ignorandum esse'. in Astrologia quidem Hygini p. 57, 11—58, 4 haec fabula paulo aliter narratur. sed neque hanc narrationem mihi, ut Merkelio, probabile videtur ex Ovidio (Fast. II, 83—118) interpolatam esse neque de altera id statuere licet.

Dolendum denique est, quod quae in iis, quae apud Lydum 'De ostentis' cap. 9 et 10[2]) praecedunt verbis (p. 30, 2 sqq.): τοιαῦτά τινα οἱ περὶ τὸν Ῥωμαῖον Βάρρωνα Νιγίδιόν τε καὶ Ἀπουλήιον προύθηκαν, Nigidii sint, omnibus subsidiis destituti dispicere nequimus, praesertim cum, ut Lydus p. 6, 18 Figulum una cum Labeone producit, qui sine dubio ipse illum commemoraverat, ita etiam hoc loco a Lydo nomina Varronis et Nigidii iuxta Apuleium ideo poni probabile sit, quod hic philosophus Madaurensis illos auctores primarios indicaverat, ad quos num partes horum capitum et quae partes referendae essent, ipse Laurentius ignorasse videtur. cuius rei cum non, ut par erat, rationem haberet Wachsmuthius, ut singula singulis tribueret auctoribus, frustra desudavit. veri simile enim est Apuleium et eorum nonnulla, ut non dicam omnia, quae ad Ptolemaeum vel ad Plinium redire Wachsmuthius in adnotatione ostendit, quae est maxima horum capitum pars, ipsum attulisse et ea, quae p. XXI Wachsmuthius ad eum recte rettulit (p. 25, 19—p. 27, 2), vetustioribus auctoribus aliqua ex parte saltem debere. sed Wachsmuthio, cum haec et pauca, quae Campestri esse p. XXVII docuit, ab hac quaestione seclusisset, praeter paucissima quaedam Chaldaica astrologica (p. 18, 1—9 et p. 24, 12—p. 25, 19), quae Nigidii esse neque negare, ut ille fecit, neque

---

[1]) Cf. Robertum l. c. p. 17, adn. 26, p. 13, adn. 18. contra hanc sententiam facere non videntur discrepantiae pusillae, quales hae sunt: fab. 196, p. 125, 19: 'quem Iovis postea fulmine interfecit'; at in scholio p. 88, 8 'consilio deum repentino ab iis discerptus, cf. p. 157, 4; fab. 197, p. 126, 3 ovum, cuius mentio fit, de caelo cecidisse dicitur, id quod in scholio deest.

[2]) His capitibus de astrorum, inprimis solis et cometarum, vi ad res futuras significandas agitur.

sane contendere licet, solae observationes de signis tempestatis restabant, quae leguntur p. 19, 16 — p. 20, 7. quas a Nigidio profectas esse statuit (p. XXIIII). quo facto iam non habuit, quae Varroni adsignaret. ceterum haec coniectura, etiamsi tam certa esset, quam incertam esse Roehrigius quoque l. c. p. 26 sq. intellexit, profecto non ad hoc astrologicum Nigidii opus pertinet, ad cuius fragmenta ex his capitibus Lydianis nova adquirere non possumus.

At vestigia astronomicae doctrinae Nigidianae servata nobis sunt a Plinio N. H. VI, 211—218. addit enim Plinius sub finem huius libri, ut ipsius utar verbis, 'etiam unam Graecae inventionis scientiam vel exquisitissimae subtilitatis, ut nihil desit in spectando terrarum situ indicatisque regionibus noscatur, et cum qua cuique earum societas sit sive cognatio dierum ac noctium, quibusque inter se pares umbrae et aequa mundi convexitas'. in hac igitur de climatibus, quae dicuntur, disputatione, in qua ceteroqui nullus auctor commemoratur, s. 217 in enarranda sexta 'comprehensione, qua continetur urbs Roma', leguntur haec: 'longissima spatia horarum aequinoctialium XV addita VIIII parte unius horae, aut, ut Nigidio placuit, quinta.' hoc loco nisus Brunnius De auctorum indicib. Plin. p. 52, cum verba s. 212: 'plura sunt autem segmenta mundi, quae nostri circulos adpellavere, Graeci parallelos' indicio esse intellexisset 'Graecam illam inventionem iam ante Plinium a Romano aliquo scriptore fuisse pertractatam' neque casui illud tribueret, quod in auctorum huius libri indice ultimus Romanorum additus est Nigidius, Plinium, quae de segmentis mundi tradit, e Nigidio desumpsisse statuit, quem, cum ipse in reliquis auctores sequeretur Graecos, tamen in sexta 'comprehensione' Graecorum rationes suis studiis emendare non neglexisse. Brunnii sententiam ego quidem probandam censeo, quamquam Roehrigius l. c. p. 9 hanc obiecit dubitationem: 'nonne Plinius Nigidii computationem longissimi Romae diei aliunde scire et disputationi suae inserere potuit?' et Muellenhoffius 'Ueber die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus' Kieliae a. MDCCCLVI, p. 54 Plinii in his sectionibus auctorem primarium Isidorum Characenum fuisse suspicatus magis est quam argumentis comprobavit. nam argumentum, quod e s. 220 petiit, omnino non contra meam sententiam facit, cum ea, quae Plinius s. 219 sq. profert, ex alio atque praecedentia fonte eoque recentiore hausta esse concedam, quia ita tantum error explicatur, quo Plinius sequentium diligentissimos, quod supersit terrarum supra, tribus adsignasse segmentis eosdemque etiam ante principium, quod ipse fecerit, circulos duos posuisse dicit, quamquam hi circuli iam antiquioribus noti erant. ceterum inprimis in hac parte Plinius rem prorsus turbavit. sed ss. supra indicatas 211—218 ex Romano pendere auctore his quoque argumentis confirmari mihi videtur. primum altera correctio praeter illam, quae ad longissimum Romae diem pertinet, legitur s. 218 (de septima 'divisione'): 'umbilico XXXV pedum

umbrae XXXVI, ut tamen in parte Venetiae exaequetur umbra gnomoni.' quid quod ipsam computationem, quae hoc modo corrigitur, observatione Anconae facta niti argumento est Plinii locus simillimus II, 72, 182 ? accedit, quod omnino loca Romana vel Romanis nota plus respiciuntur, quam a Graeco homine respici exspectamus.[1]) atque maiorem etiam coniecturae a me probatae fidem facit, quod Plinium vocabulis quibusdam Latinis usum esse videmus, quae vix adhibuisset, si Graecum secutus esset auctorem: veluti gnomonem umbilicum adpellavit ss. 212, 213, 218, quod nomen satis lepidum et a Graeco gnomonis nomine prorsus alienum praeter hos locos tantummodo N. H. II, 182 ('umbilici, quem gnomonem appellant, umbra') de eadem re adhibetur. quem locum, cuius omnino magna cum hoc, de quo agimus, capite similitudo est, et ipsum Romano fonti deberi etiam res deinde commemoratae argumento sunt. praeterea Plinius, cum alias pedibus umbilicos et umbras metiatur, s.214 in describendo tertio circulo, qui etiam Siciliam mediam et Sardiniam continet haec dicit: 'gnomonis C unciae umbram LXXVII unciarum faciunt.'[2]) videmus igitur eum h. l. mensura Romanorum propria uti, cui nulla Graecorum respondet. Plinium autem, quem etiam in terrarum mensuris adeo auctorum vestigia pressisse, ut eas ita, ut traditas invenisset, aut stadiorum aut passuum numeris definiret, iam Oehmichenius (Act. soc. phil. Lips. III, p. 439) docuit, sua ratione pro Graeca Romanam substituisse mensuram ab omni veri specie abhorret.

Ergo, cum huius disputationis singularis doctrinae, plerumque sane futtilis, plenae auctor Romanus fuisse videatur, facile iam, praesertim cum Varronem aliam in his rebus rationem secutum esse e Martiani Capellae loco VIII, 876 intellegatur,[3]) a Nigidio eam profectam esse concedetur. sed cum Brunnius hoc fragmentum ad astrologicum Nigidii opus rettulerit, Roehrigius l. c. p. 58 geographico operi tribuit, quod Nigidium 'de terris' conscripsisse Kleinium (v. dissertat. s. c. sent. controv. VIIII, p. 26) secutus putat, nisus Servii plenioris, qui dicitur, scholio ad Aen. XI, 715: 'Nigidius de terris: nam et Ligures, qui Appenninum tenuerunt, latrones, insidiosi, fallaces, mendaces.' in quibus 'de terris' scripsit Thilo: 'de terras' praebet cod. F(loriacensis) Parisinus 7929 ('de erra' Daniel), in qua scriptura etiam 'de sphaera', quod Masvicius coniecit, alii, inter quos Hertzius l. c. p. 40, probaverunt, latere

[1]) Inde, quod Romanus scriptor primus ea singulis circulis tribuit, etiam errorum frequentia explicatur.

[2]) Conferenda etiam sunt eiusdem sectionis verba: 'longissimus dies est aequinoctialium horarum XIIII atque dimidiae cum tricesima unius horae' cum his Strabonis II, 134: ἐνταῦθα ἡ μεγίστη ἡμέρα ἐστὶν ὡρῶν ἰσημερινῶν δέκα τεττάρων καὶ ἡμίσους (cf. Bergerum 'Die geogr. Fragm. des Hipparch' MDCCCLXVIIII, p. 53). fortasse etiam h. l. Nigidius, quae Graeci fontes, quibus usus est, exhibebant, de suo correxerat.

[3]) Cf. Eyssenhardtii praef. p. LVI sqq.

potest,[1]) quamquam huius loci argumentum operi astronomico non convenire videtur. sed qui fuerit sententiarum conexus, ignoramus. itaque Kleinii opinio satis infirmo nititur fundamento. Pliniani autem loci argumentum non minus ad astronomicum quam ad geographicum opus quadrat. ceterum opus 'de terris' si in Plinii manus venisset, mirandum esset, quod ille nusquam in partibus chorographicis antecedentibus hunc librum adhibuit.

Iam ad operis Nigidiani materiam et rationem explicandam accedamus. egit igitur Nigidius non solum de signis zodiaci, sed etiam de reliquis sideribus, quorum ortum, columen, occasum definivit, neque planetas eum neglexisse e Gellii loco supra commemorato (III, 10, 2) intellegitur. sed huius operis praeter fabulas apud scholiastam Germanici et Ampelium servatas paucissima tantum frustula supersunt, e quorum uno apud Serv. Dan. ad Georg. I, 43 servato, ubi aequinoctium vernale initium anni adpellatur, cum Breysigio ('De P. Nigidii Figuli fragm. ap. schol. Germ. serv.' Berolini a. MDCCCLIIII, thes. 5) colligendum esse videtur Nigidium in 'Sphaera Graecanica' computandis quoque anni temporibus operam navasse. sed de 'antisciis', quae vocantur, i. e. de signis a singulis quattuor punctorum cardinalium aequaliter distantibus (de quibus cf. Scaligeri 'Castigationes et notas in Manil. Astron.' p. 155 sqq. ed. a. MDC) eum mentionem fecisse concludi nequit e loco Firmici Materni p. 15 ed. Basil. a. MDXXXIII, ubi Fabricius Bibl. Lat. III, p. 119 pro 'Navigius noster' scribi voluit: 'Nigidius noster'. denique de mundi circulis Figulum egisse modo vidimus.

Sed iam diversae sententiae de discrimine, quod inter 'Sphaeram Graecanicam' et 'barbaricam' intercessit, a Scaligero eiusque adversario Salmasio prolatae nobis examinandae sunt. quae omnino non potuissent tam diversae esse, nisi, ut supra p. 36 dixi, tria tantum fragmenta pusilla exstarent, quibus titulus operis inscriptus est. Scaliger igitur (ad Manil. p. 369) discrimen in differentia climatis Graeci et Aegyptiaci positum fuisse contendit atque Nigidium in altera parte ea, quae ad phaenomena caeli Graeci, in altera, quae ad Aegyptiaci pertinebant, tractasse. contra Salmasius in diatribe de annis climactericis et antiqua astrologia (Lugd. Bat. a. MDCXXXXVIII ed.) p. 592 sqq. in utraque parte Nigidium 'eandem sphaeram generaliter exsecutum esse, sed in Sphaera Graecanica ex Graecorum sententia, qua de causa unumquodque signum in caelo constitutum esset, in barbarica hanc siderum historiam secundum Aegyptiorum opiniones exposuisse' statuit. hanc autem Salmasii sententiam firmis argumentis Buechelerus l. c. p. 175—179 refutavit. nam, quamquam ad eam unicum fragmentum ex 'Sphaera barbarica' servatum ap. Serv. Dan. ad Georg. I, 19 haud male quadrare videtur atque etiam in fabulis, quae in scholiis ad Germanicum insunt, nonnullae sunt, quae

[1]) 'Sphaerae' in scholio ad Georg. I, 19 abiit in 'saferae'.

huc referri possint, tamen sat multa contra eam sententiam faciunt. etenim primum iure dubites, num de unoquoque signo Aegyptiis propria fuerit fabula, vel num ea Nigidio nota fuerit, quippe qui has fabulas tantum e Graecis auctoribus vel ex iis, qui res Aegyptias conscripserunt, hauserit. deinde vix veri simile est Nigidium fabulas, quae ad idem sidus pertinebant, non coniunctas proposuisse, sed ut eas separaret, etiam ea, quae de quoque signo in universum ei dicenda erant, diversis locis protulisse. tum saepe haud facile inter fabulas Graecas et Aegyptias discerni potuit, veluti utri Sphaerae ea, quae Nigidius de Iove Ammone narravit, tribuenda essent. denique vix probabile est scholiastam fabulas modo ex hac, modo ex illa operis parte sumpsisse atque fortasse semel tantum, in Ariete enarrando, de uno signo utramque Sphaeram inspexisse et, quae ibi invenerat, ita proposuisse, ut, postquam alium fontem secutus de ariete Helles portitore narravit, deinceps e Nigidio fabulam de Iove Ammone poneret et post eam haec adiungeret: 'cetera, ut superius scripta sunt, refert.' postremo, quod gravissimum est: Ampelii capite altero cum scholiis collato Nigidium omnes de singulis signis fabulas coniunctas proposuisse adparet. pergit autem Buechelerus p. 179 ita: '*Gehoben werden alle jene Schwierigkeiten, wenn man nach Scaliger dafürhält, dass der Unterschied zwischen der* sphaera Graecanica *und der* sphaera barbarica *nur den Abweichungen des athenischen und alexandrinisch-babylonischen Meridians galt* — dicere fortasse voluit 'circulum parallelum' —; *beide* commentarii *bildeten gewiss ein grösseres Ganze und standen in genauem Zusammenhang, so dass Nigidius, nachdem er im Allgemeinen von den Himmelszeichen, ihren Stellungen, Namen u. s. w. berichtet, beim Uebergang auf die eigentlichen Phänomena, den Aufgang und Untergang der Gestirne, eine Scheidung eintreten liess zwischen der auf Athen zurückgehenden* sphaera Graecanica *und der auf ägyptischen und chaldäischen Beobachtungen basirenden* barbarica.' sed ne haec quidem explicatio comprobari potest. cur enim 'Graecanicam' Nigidius sphaeram adpellavit, quae recte 'Graeca' erat adpellanda? fugit id Scaligerum, cum 'clima Graecanicum' pro 'clima Graecum' recte dicere sibi videretur. porro melius certe Nigidius utriusque Sphaerae observationes ad singula signa iuxta se adscripsisset. et si eas distinguere voluit, cur Atticam, non Romanam proposuit 'Sphaeram', quam facilius ipse observare potuit? quid vero omnino eius intererat phaenomena Aegypti describere? sed dicit Weidlerus 'Hist. astronomiae' (Vitebergiae MDCCXXXXI ed.) p. 159: 'cum ortus et obitus stellarum fixarum apotelesmatis formandis inserviret, utriusque discrimen pro climate Aegyptio et Graeco docuit.' at non duo, sed plura climata veteres astrologi distinguebant, eaque Nigidio nota fuisse vidimus. ceterum recte iam Salmasius l. c. p. 584 docuit, qui generalia de apotelesmatis praecepta traderent, eos non certum quoddam clima respicere oportere. 'eius', inquit, 'est, qui μερικῶς cuiusque genesin colligit, intueri, sub quo climate ille natus sit, cuius 'thema'

disponit. quod et sedulo videmus observasse antiquos genethlialogos. nam τὸ κλίμα semper adponunt in genesi componenda. nullum quippe fere exemplum geniturae apud Valentem proponitur, quin etiam adscribatur aut πρῶτον κλίμα aut δεύτερον aut τέταρτον usque ad ἕβδομον.' accedit denique, quod ad Scaligeri explicationem ne quadrare quidem videntur ea, quae apud Serv. Dan. ad Georg. I, 43 ex 'Sphaera Graecanica' in universum de aequinoctio vernali proferuntur, et, quae ibid. ad Georg. I, 19 ex 'Sphaera barbarica' adnotantur, quae non ad siderum ortum vel occasum, sed ad generalem sphaerae descriptionem pertinere videntur.[1])

Falsos autem Scaligerum et Salmasium eo esse existimo, quod uterque Nigidii opus vere astronomicum, non etiam astrologicum fuisse putabant ideoque contendere non dubitabant Nigidii 'Sphaeram barbaricam' aliam fuisse atque astrologorum eam, quae apud Firmicum Maternum Mathes. l. VIII. proprie sic audit, quaeque, quamquam non hoc nomine adpellatur, iam apud Manilium Astronomic. l. V. invenitur. immo cum Scaliger 'Sphaeram' a differentia climatis Aegyptiaci, ad cuius phaenomena pertineret, barbaricam dictam, sed rem ipsam postea ab astrologis mutatam esse putasset, Salmasius neque rem neque nominis rationem apud astrologos eandem atque apud Nigidium esse arbitratus est. perversam enim l. c. p. 590 sq. protulit hanc opinionem: a posterioris aetatis astrologis 'Sphaeram barbaricam' — ut haec vox tum sumi solita esset,[2]) — dictam esse, quia solas in ea μορφώσεις vel τὰ ζῴδια ἐξ ἀστέρων μεμορφωμένα ad geniturarum fata praedicenda genethliacus contemplaretur. sed Firmici 'sphaera barbarica' quae sit, manifestum est. cum enim unum genus astrologiae sit, quo e planetarum inter se ratione eorumque in orbe signifero situ coniecturae fiunt, alterum genus, quod 'sphaeram barbaricam' Firmicus adpellat, in solis stellis fixis, non etiam in vagantibus ad colligendas hominum 'geneses' observandis versatur. huius apud Firmicum quidem tres sunt partes, quarum prima, quae etiam apud Manilium l. V. exstat, circa clara sidera, quae cum aliquo signo aut oriuntur aut occidunt, versatur, altera singulas signorum partes, μονομοιρίας, scrutatur, quam 'Myriogenesin' Firmicus vocat, tertia eas tractat stellas, quae clarae sunt in corporibus eorum signorum tam zodiaci circuli quam extra eum.

Barbaricae autem attributum apud Firmicum idem esse atque Aegyptiam, cum apud illum barbarica ratio esset Aegyptia, bene Scaliger animadvertit,

---

[1]) Haec fragmenta Scaligeri sententiae non respondere Roehrigium l. c. p. 56 non fugit; sed nihilo minus nos eam ut accipiamus cogi dicit. quod cur pronuntiaverit, plane non intellego.

[2]) Confert Salmasius 'barbaricarii' vocem eiusque explicationem Donatianam ad Verg. Aen. XI, 177, ubi barbaricarii esse dicuntur, qui 'barbarica', i. e. ornamenta ex auro conficerent. sed nomen ipsum 'barbaricum' nihil aliud significat, quam opus Phrygium, quod sane erat figuratum. neque si barbaricum hanc figurati vim induisset, sola barbarica sphaera proprie sic adpellari potuit, cum etiam Graecanica signa zodiaci contineret.

quamquam ne hoc quidem Salmasio placuit. sed sphaerae nomen magis quam rem respiciens Scaliger, ut dixi, sphaerae barbaricae a differentia climatis Aegyptii nomen datum esse putavit atque Manilium atque Firmicum inscitiae coarguit, quasi eam sphaerae barbaricae inclinationem Romanis astrologis utendam proposuissent, quae 'circa caelum Aegyptium variaret.' contra recte Salmasius l. c. p. 583 opposuit illa omnia clarorum siderum cum signis singulis orientium cadentiumque apotelesmata, item singularum signi partium, quae tamquam propria tribuit sphaerae barbaricae Firmicus, non minus ad Graeci caeli inclinationem quam ad Aegyptium clima pertinere.

Sed cur non discrimen rationis apotelesmata fingendi causam diversitatis nominum fuisse statuamus, ut sphaera quidem eadem maneret, sed sphaera Graecanica[1]) dicerentur apotelesmata, quae Graeci observare solebant, barbarica ea, quorum observatio Aegyptiorum propria erat? huic explicationi et ipsa res favet, cum Graecorum doctrina astrologica veluti Maximi [περὶ καταρχῶν] Manethonis Ptolemaei [Tetrabibl.] plerumque in planetarum tantum constellationibus observandis contineatur,[2]) et Firmici verba fidem faciunt. quid, si idem discrimen inter Nigidii Sphaeram Graecanicam et barbaricam intercessisse sumamus, id quod cuique primo obtutu in mentem venit? Figulum enim in hoc opere etiam arti apotelesmaticae tractandae operam dedisse persuasum habeo. illa autem opinio si vera est, bene, cur nomen Graecanicae, non Graecae sphaerae a Nigidio adhibitum sit, intellegitur. etiam ea, quae non ad ipsam artem genethliacam pertinebant, Nigidius ita disponere potuit, ut in priore parte etiam in universum de stellis 'erraticis' et de zodiaco ageret, eiusque signa quae essent et cur in astris collocata essent, enarraret, in altera parte item de reliquis sideribus similem expositionem praemitteret.

Ad hanc opinionem bene convenit et unicum 'Sphaerae barbaricae' fragmentum, ap. Serv. Dan. ad Georg I, 19, quo de Triptolemo ad Aratoris sidus translato, et unum e duobus, quae exstant, fragmentis Sphaerae Graecanicae nomine inscriptis: ap. Serv. Dan. ad Georg. I, 43 de aequinoctio vernali. contra non bene ad eam quadrare videtur alterum horum fragmentorum ap. Serv. Dan. ad Georg. I, 218: 'oritur enim Canicula cum Cancro, in columen venit cum Geminis, occidit cum Tauro', quippe quod, cum de sidere extra

---

[1]) Hoc nomen in solo Nigidii fragmento legitur.

[2]) Vide etiam Haeblerum 'Astrol. im Alterth.' p. 19 sq. contra de Manilii ratione idem p. 24 ait: 'Der Dichter hält sich vorzugsweise an die Sternbilder des Thierkreises [sed reliqua signa nequaquam neglegit] und leitet aus ihnen die natürliche Beschaffenheit, sowie die Schicksale der unter denselben geborenen Menschen ab, die Planeten kommen dabei weiter gar nicht in Betracht. Insofern scheint diese Astrologie zu der Sterndeutung der Babylonier [quam Graeci receperant], die einen überwiegend planetarischen Charakter an sich trug, einen gewissen Gegensatz zu bilden.' simplicior duodecim zodiaci signorum observatio genethliaca, qualis apud Manilium IIII, 122 sqq. invenitur, apud Firmicum quidem ad barbaricam sphaeram non pertinet. utrum vero primitus huc pertinuerit necne, in medio relinquo.

zodiacum collocato agatur, potius ad Sphaeram barbaricam, qualem eam fuisse ego statuo, pertinere videatur; tamen potest haec Nigidius in Graecanica occasione data adnotasse, ut catasterismum Caniculae una cum Erigonae fabula ad Virginis signum elatae tractavit; certe hanc sententiam alteri, quam ignoramus, explicandi causa adiunctam fuisse vocula 'enim' indicio est. praeterea in Sphaera barbarica fortasse aliter Nigidio dicendum fuit, ita ut, quemadmodum Firmicus fecit, singulis zodiaci signis singula sidera cum iis orientia sive occidentia adscriberet. certe hanc ob rem irritam fieri eam explicationem iubere nolo, qua accepta, id quod gravissimi est momenti, optime intellegitur, cur a scholiasta Germanici Nigidius tantum ad zodiaci signa enarranda adhibitus sit: nimirum interpres ille, ut Ampelius, sola Sphaera Graecanica usus est.[1]) unde cur non de planetis quoque quaedam hauserit, in causa id est, quod neque de planetis tanto opere Nigidius ab aliis dissentire potuit et scholiasta omnino tantummodo in fine commentarii breviter expositionem de stellis erraticis absolvit.

Iam si quaerimus, quos auctores Nigidius in fabulis, quae ad sidera pertinent, enarrandis secutus sit, primarius fons sine dubio Eratosthenes erit habendus, quamquam Figulus plerumque satis libero modo illius narrationes in usum suum convertisse videtur. quas eum suas fecisse his locis videmus: schol. ad Germ. Aratea p. 74, 12 sqq. (de Tauro), cf. Erat. Catast. ed. Rob. p. 106; Ampel. c. II, 4 (de Cancro), cf. Catast. p. 88 sq.; schol. p. 72, 1 sqq. (de Leone), cf. Catast. p. 96, 5 sqq.; p. 65, 20—67, 14 (de Virgine et de Canicula), cf. Catast. p. 82, 'Catalog.' p. 39 sqq.; p. 90, 10 sqq. (de Sagittario), cf. Catast. p. 150. porro, quae Eratosthenes narraverat, etiam ubi non probabat, Nigidius commemorabat, cuius rei haec adferam exempla: schol. Germ. p. 81, 1 (de Ariete): 'cetera, ut superius scripta sunt, refert', cf. supra 'quaestt.' p. 39; ibid. p. 69, 1—12 (de Geminis).

Sed praeter Eratosthenis 'Catalogos' etiam reconditiores thesauri doctrinae in explicandis sideribus versantis Figulo praesto fuisse videntur. auctores enim ab Eratosthene alienos fortasse Figulus adiit his locis, — si quidem ex silentio scriptorum, e quibus operis Eratosthenici imaginem Robertus restituit, tale quid colligere licet: schol. Germ. p. 80, 8 sqq. (de Ariete); p. 68, 18 sqq. et p. 69, 13 sqq. coll. Amp. II, 3 (de Geminis); Ampel. II, 7 (de Libra);

---

[1]) Roehrigius p. 32 scholiastam aut partem operis, in qua hae zodiaci fabulae solae exstabant, aut excerpta quaedam zodiaci fabulas tractantia inspexisse dicit. sed mirum in modum secum pugnat, cum p. 35 eo ipso argumento, quod Ampelius c. II. praeter fabulas ad zodiacum spectantes nullas exhibet, utitur, ut Ampelium eodem modo, quo scholiastam Germanici, excerpta solas zodiaci fabulas tractantia adhibuisse contendat. contra quam coniecturam id ipsum facit, quod, cur ea, quae ad zodiaci signa pertinent, accuratissime ita, ut narrationis Nigidianae quasi imago nobis repraesentetur, excerpta, reliqua prorsus neglecta sint, vix intellegitur.

schol. Germ. p. 63, 13 sqq. (de Orione); p. 87, 11 sqq. (de Capricorno); p. 85, 13—86, 3 et p. 86, 3—18 (de Aquario i. e. de Deucalione et de Aristaeo); p. 81, 20 sqq. et Amp. II, 12 (de Piscibus). accedit denique fragmentum ap. Serv. Dan. ad Georg. I, 19 servatum: 'Triptolemum dicit Nigidius Sphaerae barbaricae * sub Virginis signo aratorem, quem Horon Aegyptii vocant, quod Horon, Osiridis filium, ab hoc educatum dicunt'; e quibus verbis Nigidiana signi, de quo h. l. agitur, explicatio ab usitatis Graecorum de eo opinionibus diversa cognoscitur. etenim, quod sit signum ab illo ita, ut h. l. legimus, enarratum, adparet collatis scholii ad Germanici Aratea Strozziani et Germanensis verbis (p. 125, 1 et 16): 'ad adspectum autem Bootis Virgo constituta est.' Bootis igitur signum, quod alii Arcturum adpellabant, Nigidius aratorem esse voluit, cuius explicationis nusquam alibi praeter Hygini Astrol. II, 4, p. 38 Bunt. exstat vestigium. arator autem non magis fingi potest sine aratro, quam 'Arcturus' sive 'Arctophylax' sine 'Arcto', 'Bootes' sine 'plaustro' bovibus iuncto. ergo si Nigidius Booten aratorem esse statuit, — ad quam explicationem sane facile quis verborum βοώτης, βοωτεῖν, βοωτία significationibus adduci poterat, — etiam signum, quod cum illo coniungebatur, eum non ursam nec plaustrum, sed aratrum nominasse necessario sequitur. id quod eum fecisse argumento esse videtur locus, qui in schol. Bernens. (ab Hageno ed. Iahnii annal. suppl. IIII. a. 1867) in adnotatione ad Georg. I, 174 legitur:[1]) 'Stiva gubernaculum aratri, ut Nigidius ait.' haec enim verba, cum stivae vocabulum Nigidii temporibus interpretationis indigere nequiverit, de agri cultura autem Figulus omnino non scripserit, haud absone ad opus astronomicum (etiam ad Georg. I, 218 ab eodem interprete in usum vocatum) et ad signi quandam descriptionem referre mihi videor.[2]) aratri autem speciem quod signum magis praebere poterat quam illud, quod vulgo plaustrum vel ursa vel a Romanis etiam septemtriones adpellabatur? tres vero stellae clarae in Ursae cauda positae nonne apte cum aratri gubernaculo, quod Nigidius dixit, comparari poterant? sed haec quoque sideris explicatio, ut illa Aratoris, etsi non prorsus propria erat Nigidii, — Hermippus enim eandem protulerat explicationem, sed aratorem Philomelum, Iasionis filium, esse statuerat[3]), — certe non multis erat nota. itaque novum adsecuti sumus exemplum studii illius, quod in catasterismis quoque a Nigidio enarratis adparere monuit Buechelerus Mus. Rhen. t. XIII, p. 179: ut rarioris atque etiam reconditae doctrinae se praeberet investigatorem. fabularum autem illarum sideralium, quae supra enumeravi, paucas suis auctoribus possumus tribuere. neque in hac re plus profeci, quam Breysigius ('De Nig. fragm. ap. schol. Germ. serv.'), qui

---

[1]) Cf. Serv. Dan. ad eundem versum: 'Stiva manica aratri, qua regitur, gubernaculum.'

[2]) Roehrigius p. 45 ad grammaticos commentarios id referre non dubitavit.

[3]) Cf. Hyg. Astrol. II, 4, p. 38, 4 sqq.

ipse Schaubachii Aratea (de quibus vide illum p. 13) secutus est. veluti, quae de Ariete Nigidius narrat, Hermippo, quae de Deucalione, Hegesianacti eum debere iam Schaubachius observavit coll. Hyg. Astrol. II, 20, p. 60, 25 sq. et II, 29, p. 70, 11 sq. Hermippum autem etiam in Aratoris et Aratri sideribus explicandis aliqua ex parte ei praeiisse videri modo dixi. sed Triptolemi nomen utrum suo Marte an ignotum auctorem[1]) in hac re, ut in iis, quae de Horo Aegyptiorum tradidit, secutus Nigidius posuerit, in medio relinquo. Scorpionem, a quo 'temptator Orion Dianae' interfectus est, primus Euphorion ad astronomiam adplicuit, id quod coll. schol. Veneto ad Il. Σ, 486 auctore Schaubachio in Epimetr. p. 670 sq. Breysigius l. c. p. 30 sq. ostendit.

Sed quaerat quispiam, quo iure supra Icari et Erigonae fabulam, quae e Nigidii opere[2]) in schol. Germ. p. 66, 5 — 67, 14 adfertur, cum Roberto — coll. schol. Veneti B ad Iliad. XXII, 29, ubi in fine narrationis haec sunt: ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις, — ad fabularum, quae ad sidera enarranda pertinent, syllogam Eratosthenicam rettulerim, cum Maassius in 'Anall. Erat.' eandem fabulam ad Eratosthenis elegiam, cui Erigonae nomen inscriptum fuit, referendam esse contenderit. quare Maassii argumenta examinemus et inquiramus, num testimoniorum, quae de Icarii et Erigonae fabula habemus, recta existimatione instituta ex 'Erigona' Eratosthenis omnia ea expressa esse videantur. et sane concedendum est Maassium non solum de argumento 'Erigonae' Eratosthenicae nonnulla fortasse recte statuisse, sed etiam in Hygini narratione, quae est in Astrol. II, 4, duas diversas hypotheses, quarum alteram ex ampliore Phaenomenorum expositione desumptam esse, alteram omni aetiorum genere abundare docuit, conflatas esse rectissime animadvertisse. at in eo errasse mihi videtur, quod in omnibus diversorum scriptorum locis, quos p. 70 sqq. sub uno conspectu posuit, inter quos etiam fragmenta Nigidii sunt, priorem ὑπόθεσιν Hygini deprehendi arbitratus Erigonae elegiae imaginem eorum ope restituere sibi visus est et quod eodem Nigidianam de Aristaeo narrationem, quae in schol. Germ. B P p. 86 legitur, rettulit. quam opinionem ut refutem, eo magis mea interest, quod, quin a Nigidio ea, quae scholia Germanici et Ampelius de Icario et Erigona exhibent, profecta sint, non dubito. nimirum, si unam elegiae illius Eratosthenicae partem a Nigidio adhibitam esse constaret, vix quisquam idem de priore eius

---

[1]) Quem Hegesianactem non fuisse, quamquam eum Sophoclis fabulam Τριπτόλεμος inscriptam ita in usum suum convertisse videmus, ut Ophiuchum pro Carnabonte Getarum rege habuerit (v. Hyg. Astrol. II, 14, p. 49, 20—50, 15 et fr. 543 Nauckii), tamen constaret, si certa esset Roberti coniectura (l. c. p. 222), qua Hyginum, cum de Geminis scribit Astrol. II, 22, p. 65, 1 sq.: 'nonnulli etiam Triptolemum, quem supra diximus, et Iasionem a Cerere dilectos et ad sidera perlatos', Hegesianactis sententiam referre statuit.

[2]) Quamquam id Maassius negat; cf. supra 'quaestt.' p. 39. sed Nigidianam de Aristaeo narrationem (p. 85 Breys.) huc refert. quod quo iure faciat, infra videbimus.

elegiae parte valere negaret. quam ob rem prius de Aristaei fabula agam, praesertim cum Maassii opinionem redarguere non difficile sit. ad eam enim comprobandam ille p. 69 duobus usus est argumentis. quorum alterum ex scholiastae verborum conexu deprompsit, qui haec dicit: 'factum est, ut ab his (sc. diis) impetrari posset. itaque venia data constitutum est ab immortalibus, uti post Caniculae exortum venti perflarent...' quaerit igitur Maassius: 'veniam audimus Ceos tandem impetrasse: cur veniam? quid peccaverunt?' atque ipse respondet: 'non dicitur illud quidem, sed suppleri aliunde potest. Icari enim occisores Cei receperant: quibus punitis cum superis in gratiam redire coeperunt. hinc profecti de iis, quae omissa esse patet, ex Hygino certum ferre possumus iudicium' (cf. Hyg. Astrol. II, 4, p. 34, 24—38, 3). at fugit Maassium veniam dare haud raro non idem significare atque ignoscere, sed, quod rogatur, praestare. quae significatio sine dubio huic loco inest, ut in iisdem scholiis B P in narratione de Castore et Polluce, item e Nigidio excerpta, p. 69, 11: 'quas ob res venia data immortali memoria locoque constituti...' itaque e verbis Nigidianae de Aristaeo fabulae Maassius suae coniecturae adminiculum petere non debuit. immo contrarium iure potest contendi, totam narrationis indolem talem esse, quae contra eam opinionem faciat. Aristaeus enim dicitur artibus suis ceteros homines ad bonas fruges utilitatemque perduxisse. quid haec res, cuius apud Hyginum l. c. mentio non fit, ad Ceorum fabulam? accedit, quod origo quidem Aristaei accurate enarratur: Ceae eum fuisse non commemoratur. quid quod etiam, quae de calamitate Caniculae ortu excitata dicuntur, ita sunt comparata, ut eam non ad Ceos solos, sed ad totum genus humanum pertinere videas? legimus enim in scholio, de quo agitur: 'cum Caniculae signum pestiferum oreretur et statim praesentes fructus lacerarentur interciderentque homines'; contra apud Hyginum l. s.: 'Canicula exoriens aestu Ceorum loca et agros fructibus orbabat et ipsos morbo adfectos poenas Icario cum dolore sufferre cogebat, quod latrones (i. e. eos, qui Icarium interfecerant,) recepissent.' porro calamitatis defendendae causa Aristaeum sua sponte res divinas fecisse tradidit Nigidius. at contra apud Hyginum deus eum iubet multis hostiis expiare Icari mortem. denique Nigidius Aristaeum deos precantem fecit, 'ne paterentur genus hominum indignis calamitatibus adfici'. at quo modo ei precandum fuerit, si vera esset Maassii sententia, ex his Hygini verbis intellegitur: 'petiit a parente, quo facto calamitatibus civitatem posset liberare.' itaque hoc caput, quo Aristaei de universo genere humano merita enarrantur, ab Icariensium illa fabula prorsus diversum esse habendum mihi constat, utpote cum qua non magis cohaereat quam eiusdem argumenti narrationes, quae leguntur apud Diod. IIII, 82, 2, Apoll. Rhod. II, 516 sqq. neque quicquam contra hanc sententiam valet, quod Maassius, cum ad Aquarii sidus secundum Nigidii opinionem Aristaeus translatus sit, ad

Erigonam Eratosthenis nos delegari putat: ibi enim primum simul cum ceteris Aristaei catasterismum descriptum esse. unde omnino non iam id, quod Maassius vult, sequitur: Nigidii narrationem ex elegia illa Eratosthenis originem duxisse. ceterum illud de Aristaei catasterismo ab Eratosthene in Erigona primum narrato sumpsit ille magis quam demonstravit. obstat enim Hygini de hac re silentium.

Sed ne ea quidem, quae de Icario et Erigona Nigidium memoriae prodidisse ex scholio Germ. et ex Ampelio scimus, ad elegiam illam Eratosthenis referenda esse mihi videntur, si quidem haec, quod concedo, primaria illa Hygini ὑπόθεσις fuit. inter Hyginum enim et reliquos testes, quos cum eo Maassius composuit, consensus non is est, quem esse ille statuit atque tabula synoptica p. 70 sqq. nobis persuadere studuit. nam primum, quod in Nigidii narratione legimus Liberum Icario persuasisse, ut vinum inferret in civitatem, quam vellet, id potius ad 'aliorum', quorum Hyginus mentionem facit, narrationem quadrat, qui repudiatis iis, quae de vino serendo et de aetiis cum his arte cohaerentibus Hyginus dicit, Icarium statim postquam Liberi dona accepisset, per Atticam iter suscepisse referebant. porro Nigidius narravit Liberum a Iove petiisse, ut inter sidera Icarius et Erigona ponerentur: iterum consentiunt 'alii', quos Hyginus commemorat his verbis: 'alii hos a Libero patre figuratos inter sidera dicunt', discrepant, quae praecedunt: 'quorum casum Iuppiter miseratus...', quae verba Maassius, si ipse sibi constare voluit, non debebat ad alteram ὑπόθεσιν referre[1]), cui tribuenda erant ea, quae 'alios' dixisse Hyginus tradit. itaque Hyginum in hac fabula narranda non eodem 'catasterismorum' fonte, quem plerumque adhibuit, sed alio auctore usum esse puto, qui cum narratione ex elegia Eratosthenica hausta breviter discrepantias quasdam alius narrationis coniunxerit, quam, quia cum Nigidiana et ea narratione, quae a scholiasta Homeri (X, 29) profertur, congruere videtur, ad 'Catalogos' Eratosthenis revocandam esse mihi constat.

Denique si, quo tempore hoc opus Nigidii scriptum sit, quaerimus, ad hoc eruendum parum eo lucramur, quod Figulus teste Servio Dan. ad Georg. I, 43 'novum annum aequinoctium vernale' dixit. nam quod inde sequitur, Nigidium haec ante 'ultimum confusionis annum' a. Chr. n. XXXXVI. scripsisse, quo Caesar edictum illud de annorum ratione corrigenda promulgavit, idem per se intellegitur, si ea, quae supra p. 30 dixi, reputamus: illum anno

---

[1]) Maassius nimium tribuit verbis: 'Caniculam, quae a Graecis, quod ante maiorem Canem exoritur, Procyon appellatur.' quae verba, cum solus Sirius, non Procyon h. l. apte commemorandus fuerit, Eratosthene indigna esse existimat. sed possunt ea vel Hygini vel alius hominis parum astronomiae gnari additamentum esse, qui Caniculae nomine non Canem maiorem, sed minorem significari putavit. cf. Plin. N. H. XVIII, 268: 'Aegypto ..procyon... oritur, quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi Caniculam hanc volumus intellegi, hoc est minorem Canem, ut in astris pingitur.'

XXXXVI. iam in exilium pulsum fuisse, a. XXXXV. exulem mortuum esse. neque annis proxime antecedentibus XXXXVIIII. XXXXVIII. XXXXVII. Nigidio ad tale opus conscribendum satis otii esse potuit, quia cum Pompeio Romam reliquerat et, quamquam eum in Graeciam secutus non erat, tamen in Italia errabat; cf. Kleinii 'quaestt. Nig.' p. 21.

Sed plus in hac quaestione tractanda proficiemus, si de Servii Dan. adnotatione quadam ad Georg. I, 19 facta nobis sententia constiterit.[1]) ubi, postquam de Triptolemo scholiasta narravit eamque narrationem conclusit his verbis: 'Cererique sacra primus instituit (Triptolemus), quae Θεσμοφόρια Graece dicuntur', legimus haec, de quibus enarrandis supra p. 50 egimus: 'Varro de scaenicis originibus vel in Scauro: Triptolemum dicit Nigidius Sphaerae barbaricae * sub Virginis signo Aratorem...' ex his verbis terminum, qui dicitur, adsequimur, ante quem Nigidii opus confectum esse debeat, si quidem sententiam, quae primo obtutu se offert, Varronem in logistorico 'Scaurus de scaenicis originibus' inscripto operis Nigidiani mentionem fecisse, ut contra virorum doctorum dubitationes tueamur, nobis contigerit. duae autem dubitationes nobis erunt removendae. quarum una haec est, num re vera Varronis commemoratio ad Nigidii verba, quae secuntur, pertineat, altera haec, num Varronis opus de scaenicis originibus conscriptum non diversum a logistorico Scauri nomine significato fuisse recte ex hoc uno loco colligatur, repudiato Hieronymi testimonio, qui in catalogo suo notissimo utrumque titulum seorsum adfert[2]) (v. Ritschelii Opusc. III, 424). atque ut prius de priore dubitatione agam, iam Hertzius l. s. s. p. 17 aliquid post libri Varroniani inscriptionem excidisse suspicatus est. nec tamen ipse huic coniecturae utpote audaciori multum tribuit, sed adnotavit magis sibi alteram adridere coniecturam, si quam haberet denominationem, quam pro 'Triptolemum' poneret, ut sic interpungeretur: 'Cererique sacra primus instituit, quae Θεσμοφόρια Graece dicuntur, Varro... Triptolemum (??) dicit. Nigidius Sphaerae barbaricae: sub Virginis signo Arator[3])...' sed denominatio, qualem desiderat Hertzius, reperiri nequit. aliam viam Riesius ingressus Varronis commemorationem cum iis, quae praecedunt, cohaerentem fecit, cum 'Varr. Sat. Menipp.' p. 256 sic hunc locum scripsit: 'Cererique sacra primus instituit, quae Θεσμοφόρια Graece dicunt, ut ⟨ait⟩ Varro de scenicis originibus'... hanc vero coniecturam, quamvis primo obtutu sit speciosa, certis argumentis me refellere posse spero. nam prorsus eadem de Triptolemo narratio exstat etiam in Hyg. fab. 147.,

---

[1]) De hoc loco Roehrigius p. 3, adnot. 1 nihil antiquius habuit quam Riesii amplecti sententiam, de qua nobis agendum erit.

[2]) At idem etiam logistorici, cuius plena inscriptio erat 'Messalla, de valetudine tuenda', titulum 'de valetudine' seorsum commemorat. v. Ritschelium l. c. p. 440 (quamquam Ritschelius de hac re dubitat ibid. p. 475).

[3]) Sic in codice (Lemovicensi) est; 'aratorem' correxit Masvicius.

p. 21 (Schmidtii), apud schol. ad Stat. Theb. II, 382, p. 63 (Barth.), in mythogr. Vat. II, 96; 97; 99, p. 107 sq. (Bod.). quos locos si inter se et cum Servii, qui dicitur, loco conferimus, videmus in hac fabula tradenda, ut in aliis quibusdam,[1]) eos etiam in singulis verbis fere congruere atque apud Hyginum quoque, ut apud Servium, quem brevitatis causa sic adpello, ultimum verbum enuntiati, quo Triptolemus Θεσμοφόρια instituisse traditur, esse 'dicuntur', non 'dicunt', Statii autem scholiastam, cui nomen est Lactantio Placido, et mythographum Vaticanum item passivam formam 'appellantur' exhibere, ita ut 'dicuntur' in 'dicunt, ut' corrigere temerarium sit. tantus enim est ille consensus, ut aut Hyginum et Lactantium Placidum, cui mythogr. Vat. debet, quae c. 96 exeunte, 97, 99 habet,[2]) et Servium communi fonte usos esse, aut, quod temporum singulorum scriptorum ratione habita unice verum est, Hyginum ceterorum fuisse auctorem[3]) statuendum sit. quae res cum ita se habeat, Riesii coniecturae fundamentum est sublatum; nam Hyginus, quamquam unde hanc fabulam hauserit, inter viros doctos nondum convenit,[4]) in ea tradenda, ut in ceteris, non Latinum, sed Graecum secutum esse auctorem certum est.[5]) sed ea etiam ratio examinanda est primo obtutu satis speciosa, qua nuperrime Thilo hunc locum ita scripsit: 'Varro de scaenicis originibus vel in Scauro Triptolemum dicit' (monstratorem aratri), 'Nigidius sphaerae barbaricae sub Virginis signo Aratorem.' at haec interpunctionis mutatio simplicior quam verior medela esse videtur, cum tres inde oriantur difficultates: primum enim Triptolemus post longam de eodem narrationem non apte commemoratur; deinde certum nomen desideratur, quo Nigidius 'Aratoris' signum adpellaverit; denique enuntiatum 'quod Horon Osiridis filium ab hoc educatum dicunt' non habet, quo referatur.

Itaque negandum non est Varronem loco a Vergilii interprete commemorato Nigidianae 'Sphaerae barbaricae' mentionem fecisse. quod si verum est, iam corruit etiam altera Riesii coniectura, qua scripturam traditam 'de scaenicis originibus vel in Scauro' in hunc modum mutavit: 'de scenicis originibus II. et in Scauro.' sed videamus, quas ob rationes ille unum idemque Varronis opus hoc loco duplici modo significari non veri simile habuerit. atque concedit quidem proll. p. 37, adn. 7 sententiam eorum, quibus Servius logistorici, cui Scauri nomen inditum fuisse scimus, inscriptionem alteram quoque indicare visus est, re ipsa non reprobari, cum M. Aemilius Scaurus aedilis anno u. c. 695. ludorum scaenicorum, quos edidit, magnificentia ex-

---

1) Eas in adnotationibus indicavit Langius 'De nexu inter Hygini opera...' p. 30 sqq.

2) Cf. Langium l. c. p. 11 sq.; Foersterum 'Raub der Persephone' p. 291. adparet id, quod dixi, iam e verbis huic mythographo cum solo Lactantio communibus, ut h. l. 'appellantur'.

3) Cf. Langium l. c. p. 29.

4) Cf. Foersterum l. c. p. 70.

5) Vide Langii fontium elenchum p. 30 sqq. et Robertum Eratosth. Catast. p. 235.

celluerit. tamen duo adfert argumenta, quibus hanc sententiam infringi putat: quod operi 'de scaenicis originibus' septiens praeterea memorato librorum ubique a primo ad tertium numerus adponatur, id quod in Scauro, utpote in logistorico, nusquam factum sit, et quod Censorinus, logistoricorum fidissimus inter omnes nomenclator,[1]) haec praebeat c. 17: 'Varro de scaenicis originibus libro primo', nihil addens de 'Scauro'. horum argumentorum prius nihil valere mihi videtur, cum loci, quibus 'Scauri' inscriptio sola sine altera indicatur, quorum numerum Riesius reticuit, tres tantum sint, Charis. p. 77, 9; 88, 2; 106, 30 (Keil.), et facile intellegatur longum fuisse ante libri numerum duplicem operis inscriptionem ponere ideoque scriptores plerumque eum titulum, quo simul argumentum significabatur, praetulisse, contra si quando 'Scauri' inscriptione utebantur, hunc solum, ut videtur, logistoricum complures libros continere oblitos esse. pluris alterum Riesii argumentum esset existimandum, si Censorinus ipse Varronis libros excerpsisset, quod secus est, cf. Iahnii edit. p. VIIII. immo Censorinus eos ita commemoravit, ut ab auctoribus suis, qui et ipsi variis fontibus usi erant, commemoratos invenerat. itaque ter libri Varroniani inscriptionem accurate rettulit (praeter locos a Riesio indicatos etiam c. 17, s. 15), saepius autem, ut in eiusdem c. 17, ad quod nos Riesius revocat, s. 6, Varronis tantum nomen posuit. quid igitur mirum, si semel in altera libelli parte,[2]) i. e. post c. 16, non plenam logistorici Varroniani exhibet inscriptionem, cum in priore parte alio fonte usus duorum logistoricorum plenos indices significaverit? neque in eo haerendum esse videtur, quod ceteri logistorici, quod sciamus, μονόβιβλοι erant, opus autem 'de scaenicis originibus' tres saltem libros complexum est; cf. Ritschelium opusc. III, p. 411; 456. certe hunc unum logistoricum πολύβιβλον fuisse etiam sine exemplo credere quam de casu nescio quo cogitare malim, per quem verba 'vel in Scauro' in hunc locum irrepserint, praesertim cum etiam satirae Menippeae πολυβίβλου unicum exemplum 'Periplus' sit, cuius duos fuisse libros e Nonio p. 171; 192; 316 novimus; cf. Ritschelium opusc. III, p. 412.

Itaque non dubito, quin Varro in logistorico 'Scaurus de scaenicis originibus' inscripto e Nigidii Sphaera barbarica quaedam protulerit, sicut etiam in primo Hebdomadum sive Imaginum libro ad Nigidium eum respexisse e Gellio III, 10 comperimus. logistoricos autem fere omnes circa finem VII. initiumque VIII. urbis saeculi compositos esse Ritschelius inprimis comprobavit (opusc. III, p. 416); 'Scaurum' porro non multo post Scauri aedilis ludos a. LVIIII. editos Varro scripsisse putandus est. in quo logistorico conscribendo ei iam Nigidii opus astronomicum praesto fuisse vidimus.

---

[1]) Conferre nos iubet Riesius Censorini c. 2: 'libro, cui titulus est Atticus et est de numeris'; c. 9.: 'libro, qui vocatur Tubero et intus subscribitur 'de origine humana'.

[2]) Haec fortasse inprimis ex Suetonii prato 'de anno Romanorum' hausta est; cf. Reifferch. Suet. rell. p. 177—184; p. 434; Wissowam de Macr. font. p. 22 sqq.

Sed cum etiam emendandarum Nigidii reliquiarum munus susceperim, earum autem fabularum sideralium, quas e Nigidiano opere scholiasta Germanici nobis servavit, textus, qui dicitur, condicio sit miserrima, in fine huius partis meae disputationis per saturam quasi libamenta addam coniecturarum, quibus locis nonnullis adhuc non sanatis salutem adferre studui.

Nullo mendorum genere magis quam interpolationibus haec fragmenta, qualia scholiorum codicibus B(asileensi), P(arisino) et S(trozziano), U(rbinate) tradita sunt, scatere Buechelerus in commentatione, qua optime de iis emendandis meruit (Mus. Rhen. t. XIII inserta), identidem contendit atque exemplis comprobare studuit. nihilo minus, quamquam haec scholia ab interpolatione nequaquam libera esse atque etiam exemplis glossematum ab Eyssenhardtio et Breysigio detectis nonnulla addi debere concedo, Buechelerum hac in re iustum modum transgressum et locis corruptis multo saepius corrigendo quam resecando medendum esse puto, id quod ipsa fragmentorum editione me demonstrare posse spero. sed certum interpolationis vestigium in iis, quae de 'Capricorno' p. 87 narrantur, me invenisse existimo. initio enim huius narrationis verba quaedam miros nos habent, quippe quae neque a Nigidio neque a scholiasta profecta esse possint. vide quaeso haec: 'quo in tempore Typhon in monte Tauro speluncam haberet et Aegyptum incoleret'; quasi Taurus in Aegypto esset. neque tamen haec res editoribus scrupulum iniecit, quamquam ipse Ampelius (II, 10) recte, etsi non eleganter, rem ita exposuit: 'quo tempore Typhon speluncas incolens in monte Tauro Aegyptum profectus est ad bellum.' sed Ampelius diversa contraxit; Typhonem enim in Aegyptum venisse in scholio demum p. 88, 3 sq. narratur. itaque cave conicias 'incoleret' e vocabulo aliquo 'invadendi' notionem significante depravatum esse. immo ipsa Ampelii verba 'speluncam incolens' indicio esse videntur scholiastae 'incoleret', ut verbum 'haberet', ad 'speluncam' pertinere, non ad 'Aegyptum', quod tamquam spurium est notandum.

Quae p. 69, 3 sqq. de Dioscuris leguntur, sic codicibus exhibentur: 'et quo in tempore navigaverint cum Iasone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam multis laboribus tempestatibusque conflictati (conflicti SU) periculorum atque animorum' (corrig. cum Eyssenhardtio 'nimborum') experti inpendio potius quam libentius navigantes' (haec praeter 'inpendio' om. SU) 'laboribus liberare studuerunt auxilium ferre precantibus instituerunt' ('studuerunt' P). in novissimis verbis, quae duplicem unius sententiae formam praebent, iam Breysigius ('De P. Nig. fragm.' p. 23) interpolationem subesse suspicatus enuntiatum 'auxilium ferre precantibus instituerunt' uncis seclusit. neque tamen hoc modo verum adsecutus esse videtur. nam reliqua non apte decurrunt. quando enim illi 'laboribus liberare studuerunt'? postea nimirum, quam cum Iasone et Hercule navigaverant, id quod aliter significandum fuit. an Dioscuros eo ipso tempore, quo laboribus tempestatibusque erant con-

flictati, 'laboribus liberare' aliquos 'studuisse' putemus? minime, sed tum 'instituerunt' (*'sie machten es sich zur Aufgabe'*) iis, qui periclitarentur, auxilium ferre. iam vides, quid statuendum censeam: quae Breysigius damnavit, ea pro genuinis, quae ille retinuit, pro spuriis sunt habenda. quod si statuimus, simul offensio tollitur, quae est in voce 'laboribus' post antecedentia 'laboribus tempestatibusque' moleste repetita, quasi non alia eiusdem significationis vocabula essent.

Buechelerus l. c. p. 187 haec dixit: *'Insbesondere hat der Kritiker noch einzelne Wörter der Nigidiana zu berichtigen, in welchem Punkte ich von Breysig nicht viel geleistet sehe.'* haec verba, quae de Breysigii dissertatione, qua ille Nigidii fragmenta astronomica collegit, Buechelerus dixit, nunc post Eyssenhardtii et maiorem Breysigii editionem atque post ipsius Buecheleri aliorumque curas iam non idem, quod tum, valent. attamen haud pauca adhuc verba in his scholiis relicta esse corrigenda demonstrare posse mihi videor. veluti nondum sanata sunt, quae p. 63, 17 leguntur, sic tradita: 'hospitio dapsili copiosoque adfectu praedito hilaritate (in hylaritate U) constitisse' (sc. Iovem cum ceteris immortalibus) 'in uno loco'. Eyssenhardtius pro 'adfectu' 'adfectos' scripsit, 'praedito' tamquam interpolatum deleri iussit. sed interpolationis eius ratio vix intellegitur. qua re commotus Kiesslingius Mus. Rhen. t. XXIII, p. 223 cunctanter sane proposuit 'perdita hilaritate', quae coniectura sensu cassa refutationis non indiget. neque omnino 'copiosus adfectus' offendere nos debet, sed potius 'praedito' in participii alicuius formam corrigendum est, quod apte cum 'hospitio dapsili copiosoque adfectu' coniungatur. id quod non cadit in Breysigii 'praeditos'. itaque in 'praedito' latere mihi videtur 'praestito', ut sententia haec sit: 'deos, cum Hyrieus rex iis hospitium dapsile copiosumque adfectum praestitisset, hilaritate constitisse in uno loco.' quae p. 69, 13 sqq. leguntur, ea in codd. B P (in S U desunt) sic sunt exarata: 'sunt qui dicunt herculem thesbium ('tesbium' P) qui esse genitorum ('genitorom' B) memoria populum possidere hi quod ('id quod' P) duo maxime dicuntur artissimi sodalitate...' pro 'thesbium' iam Merkelius 'Theseum' restituit. sed non aeque feliciter editoribus in reliquis verbis emendandis res cessisse videtur. Eyssenhardtius enim et Breysigius in eo consenserunt, ut scriberent 'ideo quod', quamquam codices huic medelae repugnare manifestum est. si enim ulla Basileensi fides est habenda, genuina scriptura est 'hi', unde 'h' littera omissa, id quod saepissime factum est, propter sequens 'quod' falsa lectio 'id' orta est. cum autem infinitivum 'possidere', nisi necessitate cogimur, in indicativum, quem Breysigius posuit, mutare nolimus, 'hi' ad enuntiatum secundarium nobis referendum et ante comma ponendum erit. etiam in reliquis restituendis ea optima correctio erit habenda, quae quam proxime ab apicibus codicum recedit, modo ne a sermonis Latini usu aut a sententia sana abhorreat. de sententia autem huius loci dubitari nequit. at sermonem cum nimis angustis finibus circumscriberent editores, uterque, et

Eyssenhardtius et Breysigius, plus quam par erat a scriptura tradita recessit. Eyssenhardtius enim, cum 'Theseum qui' in 'Theseumque' recte mutasset, 'genitorum', quod codices praebent, ut ad copulam 'esse' accederet praedicati accusativus, in 'geminos' et 'eorum', ante quod interpunxit, dissolvit. cum autem obiectum requireret, ad quod 'possidendi' verbum, cuius subiectum 'eorum memoriam' esse sibi quidem, sed vix aliis persuasit, pertineret, pro eo, quod codices exhibent 'populum' lectionem substituere coactus est, quae iam nihil fere cum scriptura tradita commune habet; scripsit enim ille: 'eorum memoriam hunc locum possidere ideo, quod...' contra Breysigius e scriptura 'genitorum' nihil aliud quam 'geminorum' eliciendum esse vidit. sed cum et ipse praedicatum, quod ad copulam 'esse' accederet, desideraret, voce 'qui' post 'esse' transposita inter 'Herculem' atque 'Theseum' particulam 'et' inseruit, 'possidere' autem in 'possident' commutavit. quibus mutationibus, etsi non graviores sunt, non opus esse videtur, modo teneamus, non Nigidii, sed scholiastae haec esse verba referentis, quae apud illum invenerat. cum enim interpres Germanici iam tertiam e Nigidii opere proferat Geminorum explicationem, mirandum non est, quod brevitatis studiosus sic scripsit: 'sunt, qui dicunt Herculem Theseumque esse (sc. 'eos' i. e. Geminos).[1]) Geminorum memoriam...possidere (sc. 'eos' i. e. Herculem Theseumque), hi quod duo...' coniectura autem, qua Breysigius e depravato illo 'populum' effecit 'publicam', solam sententiam si spectes, probabilis est. sed emendationem, qua eundem sensum facilius restituamus, praesto esse puto: aperta litterae 'a' forma in causa fuit, ut 'populum' oreretur ex 'propalam'.

Aeque manifesto corruptum esse eum locum, qui apud Breys. p. 86, 6 legitur, editores prorsus fugisse videtur. ibi enim haec exstant: 'Aristaeus dicitur omnibus modis artibusque adfinis fuisse, quibus artibus ceteros homines...' quid 'modi' sibi velint iuxta 'artes', praesertim cum sequatur 'quibus artibus', intellegi nequit. itaque, ut locus planus fieret, propositurus eram: 'omnis modi artibus', cum magister summo opere colendus, Hartelius, emendationem perfecit restituta voce, qua iam Varro L. L. VII, 61 M. usus est: 'omnimodis'. fugit editores etiam mendum, quod est in his verbis (p. 86, 11 sq.): 'res divinas maxime Iovi, parenti' (i. e. Apollini), 'Neptuno, aliis, tempestatibus et ventis summa diligentia precans faciebat' (Aristaeus). post 'alios' enim iam non locus est 'tempestatibus et ventis' commemorandis. sed ipsum illud 'aliis' stare nequit, cum ii nominatim indicentur, quibus maxime Aristaeus res divinas fecerit. itaque scribendum censeo 'diis Tempestatibus et Ventis'.

P. 88, 3 sqq. Breys. leguntur haec: 'eo '(in Aegyptum) 'Typhon convenit et neminem deorum ibi videt adversari sibimet, vacuam terram cognovit

---

[1]) Brevius etiam Ampelius II, 3: 'sunt qui dicant Herculem et Theseum.'

dominantibus. arbitratus deos se veritos fuisse propter metum dominabatur.' in his complura sunt, quae displiceant. primum enim ad priora duo enuntiata per 'et' coniuncta duo reliqua sine ullo particulae vinculo adponuntur. quod cum eum, qui scholia Strozziana recensuit, non fugisset, etiam illud 'et' expunxit, ut omnia enuntiata ἀσυνδέτως inter se exciperent. nec tamen meliorem ita reddidit orationis conformationem. mihi autem quod ad enuntiatum 'vacuam terram cognovit dominantibus' attinet, offensio illa facillime removeri videtur, si ante hoc enuntiatum post vocem 'sibimet' 'sed' particulam inserimus. quo facto sequens enuntiatum, ab 'arbitratus' incipiens, non iam abrupte adpositum erit, modo medela simplicissima aliam tollamus offensionem, quae est in verbo 'convenit' prorsus eodem modo, atque in 'perveniendi' verbo saepe fit, cum adverbio loci coniuncto. cuius rei apud scriptores, qui non infimae sunt latinitatis, desunt exempla. conveniendi enim verbum etiam de singulis hominibus, nisi subest notio veniendi ad aliquem, non adhibetur.[1]) quam ob rem 'convenit' corrigamus in 'cum venit', ut 'cum' h. l. cum indicativo, qui dicitur, eodem modo positum sit atque p. 69, 9 'cum ab Iove sunt elati'. his igitur mutationibus factis duae iam difficultates sublatae sunt. sed in ipso, quod sequitur, enuntiato primario exstat offensio. Typhon enim dicitur arbitratus esse 'deos se veritos fuisse'. quod si arbitratus est, res eum non fefellit; sed eo deceptus est, quod deos se veritos f u g i s s e arbitrabatur.

His tres locos addam, in quibus sanandis Merkelius, quamquam verum adsecutus non est, tamen immerito editorum plausum tulit. exhibent enim codices B P in loco, qui est p. 87, 14: 'inmortalis conhibuisse dum (conhabuisse dum B) possint' (legendum est cum Merkelio 'possent') 'ei obsistere, cum eis consilium panderet' ('Pan daret' Merkelius correxit). primis verbis quae sententia inesset, cum iam scholiorum Strozzianorum redactor intellexisset, ea ita libero arbitrio conformavit: 'at Iovem consessum habuisse, quem ad modum...' consessus autem deorum ne cui placeat, verendum non est. Merkelius igitur scribi iussit: 'inmortalis consilium habuisse, num...' quam coniecturam, per se si spectes, probandam reicias necesse est propter eiusdem vocabuli molestam repetitionem, cum sequantur verba: 'cum eis consilium Pan daret.' ad ea autem, quae ipsi consilio praemittuntur ('si neque terras relinquere vellent neque Typhonis immanitati resistere possent'), maxime convenit haec sententia: deos non statim Typhonem punivisse, sed otiosos exspectasse, 'dum possent ei obsistere'. quam sententiam restituimus, si 'conhibuisse' corrigimus in 'conivisse' (a conivendo). paulo infra p. 87, 19 sq. legimus apud Breysigium, ut apud Eyssenhardtium: 'namque terras relinquere non dari potestatem inmortalibus'; haec verba, si ita tradita essent, non possent non offensioni

---

[1]) Ad hunc usum illustrandum idoneus est Caesaris locus de Bell. Gall. VI, 37, 6: 'neque quo signa ferantur, neque quam in partem quisque conveniat, provident.'

maximae esse. cur deis potestas non datur terras relinquendi? quas si relinquere omnino nequeunt, quid sibi volunt verba, quae supra leguntur: 'si neque terras relinquere vellent'? at codices aliam exhibent scripturam: 'potestatem immortalium'. unde aeque facile sana efficitur lectio: 'non dari potestate immortalium'. sananda vero etiam ea sunt, quae secuntur: 'configere autem cum sceleribus eius indignum deorum potestatis.' quamquam enim in universum, quae sit huius loci corrupti sententia, dubitari nequit, tamen coniectura, qua eam recuperasse Merkelius sibi et editoribus videbatur, cum pro 'configere' reposuit 'considere', vix probanda est. nam considere proprio sensu h. l. adhiberi non potest, quo de manendo agitur. translato autem sensu dici potest quidem 'considere in otio', non item considendi verbum nudum poni solet, minime vero addere licet 'cum sceleribus eius'. contra ad haec verba optime quadrat, quod mutatione non difficiliore facta propositurus sum: 'convivere'.

Denique hac occasione data verba quaedam p. 66, 16 tradita mihi contra Wilamowitzium tuenda sunt, haec dico: 'quod pro iucundissimo praemio est adeptus.' Wilamowitzius enim scribi voluit: 'quod pro iucundissimo acerbissimum praemium e. a.' adsensum nactus est Maassii, qui l. c. p. 72 haec adnotat: 'quia infra additur: meminit 'sibi pro beneficio exitium fuisse a mortalibus', incredibile est Icarium libenti animo decessisse.' at ex ipsis iis verbis a Maassio adlatis, quo modo verba h. l. tradita intellegenda sint, adparet. 'praemium' enim est commodum sive beneficium, quo Icarius pastores adfecerat; cuius usus vocabuli 'praemium' non desunt exempla.[1])

De reliquis Nigidii operibus ad naturae scientiam pertinentibus perpauca h. l. adiciam, cum quae alii de iis recte protulerunt, omnia repetere nolim, prorsus nova autem adferre nondum possim atque insuper temporis premar angustiis. libris 'de vento'[2]) Nigidius et de physica ventorum doctrina eorumque nominibus et proprietatibus et l. IIII[3]) de signis tempestatum futurarum egit. sed luculentiorem huius operis imaginem non iam possumus recuperare, cum exigua tantum eius frustula nobis servata sint, quibus ne ea quidem addere licet, quae apud Ampelium in capp. IIII. et V. leguntur. cum enim Ampelii caput tertium ad Nigidium redire supra negaverimus, iam eo minus coniecturae, qua haec capita ad illum referuntur, fidem habebimus, nisi certa adhibentur argumenta. sed hoc fieri nequit. nam etiam si similitudo inter cap. V. et Gellii l. II, c. 22, quam nonnulli, ut Wachsmuthius (proleg. ad Lyd. de ost. p. XXV) et Freyus (progr. Roesseliens. a. MDCCCLXVII.,

---

[1]) Cf. Lucr. III, 956. V, 5. 1151. Cic. Tusc. V, 7, 20. Acad. pr. II, 1.

[2]) Sic titulum Gellius II, 22, 30 exhibet; 'De ventis' praebent schol. Bern. ad Georg. I, 428; schol. cod. Leid. ad Georg. I, 432.

[3]) Hic libri numerus exstat in scholl. modo commemoratis.

p. 4) observare sibi videbantur, omnino adesset, opinio ea nequaquam confirmaretur, cum in illo capite Gelliano tantum s. 31 e Figuli opere haustam esse constet, et profecto mirandum sit, quo modo Mercklinius ann. phil. suppl. III, p. 677 eo aberrare potuerit, ut totum Gellii caput Nigidio tribueret, quamquam Gellius s. 30 expressis verbis contrarium testatur, cum post longiorem Favorini de ventis disputationem (quam ad ipsius Favorini παντοδαπὴν ἱστορίαν referendam esse Kaibelius in commentatione bonae frugis plena Herm. t. XX. inserta, cui inscripsit 'Antike Windrosen', probabiliter statuit p. 593 sqq.), haec ait: 'Quod supra autem dixi ἐτησίας ex alia atque alia caeli parte flare, haud scio, an secutus opinionem multorum temere dixerim. P. enim Nigidii in secundo librorum, quos de vento composuit, verba haec sunt...' itaque opinio eorum, qui Ampelii cap. IIII. et V. Nigidio tribuerunt, nullo argumento comprobari potest. immo animadvertendum est non solum id, quod in inscriptione capitis IIII. de duodecim ventis agi dicitur, Varronis tabulae duodecim ventorum convenire, sed etiam capitis V. prima verba: 'Venti fiunt ex aëris motu et inclinatione' potius ad Suet. fragm. fortasse e Varrone haustum 150, p. 227 R.: 'Ventus est aer commotus sive agitatus' quam ad Nigidii explicationem quadrare, quae legitur Suet. rell. p. 236[1]) (Isid. de nat. rer. XXXVIII; cf. schol. Germ. p. 202, 1 sqq.; schol. Bern. et cod. Leid. ad Georg. I, 431): 'fit enim ventus ex aeris densitate.' ceterum de Amp. c. V. recte Kaibelius l. c. p. 620 haec disputat: *Das nachlässige Excerpt bei Ampelius* c. 5 'eurus, idem apeliotes, idem vulturnus' *kann nicht in Betracht kommen, da hier die sämmtlichen Lateralwinde einfach unter die Namen der Cardinalwinde untergezwungen werden. So sagt Ampelius:* 'aquilo boreas aparctias idem' *und* 'zephyrus, idem corus, idem favonius' *und* 'notus, idem lips et auster et africus'. nihilo minus fusius de hoc et antecedentibus capitibus Roehrigius egit suaeque disputationis p. 37 hanc fecit summam, quae ne cui placeat, non vereor: 'Itaque aut Ampelius, vel si mavis, eius auctor tres scriptores in cc. 1—5 scribendis adhibuit, Suetonium (c. 1, 3, 4), Nigidii excerpta (c. 2), c. 5 auctorem, id quod probabile non est, quia res arcte cohaerent, aut omnia uni fonti debentur, excerptis quibusdam ex Nigidii operibus physicis factis, Suetoniique similitudo inde explicanda est, quod Nigidio usus est. quod si statuimus, Nigidium et octo et duodecim ventorum tabulam praebuisse necesse est.' 'sed' inquit 'pro certo hanc totam quaestionem diiudicare non possumus.' bene hoc quidem, sed mallem, ne antea veri dissimilia adeo cumulasset.

Restant Nigidii 'de animalibus' et 'de hominum naturalibus' libri. de quorum argumento vix quicquam novi a me adferri, de compositione e fragmentis plerumque sine libri, e quo sumpta sunt, numero servatis omnino

---

[1]) Nigidii enim auctoritatem h. l. ultra verbum 'serenitatem' usque ad 'tempestas futura est' pertinere persuasum habeo.

nihil elici potest. plurima autem eorum fragmenta apud Plinium exstant, in cuius libris huc pertinentibus N. H. VII—XI, XXVIII, XXX plura etiam Nigidiana latere suspicari licet. tetigit hanc rem Roehrigius p. 5 sqq. et nonnulla recte observavit, haud pauca hariolatus est. ego vero certius de hac re iudicium tum demum facere potero, cum quaestio, quam institui de Plinii in animalium historia exponenda fontibus, ad finem perducta erit. itaque Plinio interim relicto de uno Plutarchi 'Quaest. Rom.' loco quam brevissime agam, quem non, ut F. Leo ('De Plutarchi Quaestionum Rom. auctt.' Hal. Sax. a. MDCCCLXIIII, p. 36 sqq.) et Roehrigius l. c. p. 22 et 52 voluerunt, ad Figuli 'de diis', sed ad hoc 'de animalibus' opus refero. legimus enim l. c. XXI (ubi quaeritur: Διὰ τί τὸν δρυοκολάπτην οἱ Λατῖνοι σέβονται καὶ ἀπέχονται πάντες ἰσχυρῶς τοῦ ὄρνιθος;) haec: ... ἅτερος δὲ τῶν μύθων πιθανώτερος, ὡς ἄρα τοῖς περὶ Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον ἐκτεθεῖσιν οὐ μόνον λύκαινα θηλὴν ἐπεῖχεν, ἀλλὰ καὶ δρυοκολάπτης τις ἐπιφοιτῶν ἐψώμιζεν; ἐπιεικῶς γὰρ ἔτι καὶ νῦν τοῖς ὑπωρείοις καὶ δρυμώδεσι τόποις, ὅπου φαίνεται δρυοκολάπτης, ἐκεῖ καὶ λύκος, ὡς Νιγίδιος ἱστορεῖ. quae verba prorsus ita comparata sunt, ut Nigidii testimonium ad comprobandam opinionem antea prolatam aliunde adscitum esse adpareat. Nigidium autem in libris de animalibus conscriptis eorum et amicitias et inimicitias non neglexisse indicio sunt hi loci: Plin. N. H. VIIII, 62, 185; X, 17, 39. nec, puto, Roehrigius Leoni adsensus esset, si argumentum, quo ille usus est, accuratius examinasset. Leo enim inde, quod Plutarchus nullorum fere librorum Latine scriptorum notitiam habuisset praeter eos, qui ad rerum gestarum memoriam vel ad antiquitates enarrandas pertinerent, conclusit illum non hoc uno loco librum ad naturalem historiam spectantem, sed opus 'de diis' adhibuisse. quae coniectura quam futtilis sit, in propatulo est, cum non ipse Plutarchus, sed auctor[1]) eius Nigidium respexisse putandus sit, quem quominus occasione data libros de animalibus adhibuisse statuamus, nihil obstat.

[1]) Eum Iubam fuisse Roehrigius Barthium ('De Iubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis' Gotting. a. MDCCCLXXVI) secutus non sine probabilitate statuit p. 22.

DE CASUUM OBLIQUORUM

APUD M. IUNIANUM IUSTINUM USU

SCRIPSIT

IOANNES BENESCH

Prooemium.

Quanti momenti sit singulorum scriptorum dicendi consuetudinem accurate diligenterque indagare atque observare, nemo nescit, qui vel in primo antiquitatis studiorum limine versatur. etenim eius modi quaestionibus institutis non solum enarratio librorum mirifice adiuvatur, sed etiam in scripturis codicum diiudicandis atque emendandis certum quoddam fundamentum ponitur. quot enim locis, ubi codices inter se discrepant aut manifestis inquinati sunt corruptelis, certum paratur remedium accuratissima scriptoris dicendi consuetudinis observatione! quotiens, si quaeritur opus aliquod utrum genuinum sit necne, omnis salus pendet solis ex argumentis, quae ex sermone repetuntur! qui fructus quamvis sint uberrimi, tamen hi certe non sunt unici, qui ex diligentiore scriptoris cuiusdam sermonis perscrutatione percipi possunt. nonne enim ea re clarior etiam totius latinitatis cognitioni lux adfertur? artis profecto grammaticae corpus non satis perfectum neque ab omni parte absolutum fore manifestum est, nisi uniuscuiusque scriptoris dicendi consuetudo accurate fuerit illustrata. quae omnia cum recte essent intellecta, nostris maxime temporibus, praesertim postquam acta quae inscribuntur '*Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik*', a Woelfflinio condita sunt, multi viri docti indefessa industria in tales quaestiones incubuerunt. atque uno quoque fere anno complures in lucem emittuntur libelli, quibus scriptorum quorundam sermo illustratur. itaque ego quoque G. Hartelio, magistro dilectissimo, auctore conatus sum in M. Iuniani Iustini, Trogi Pompei epitomatoris, sermonem accuratius inquirere. disseruerunt quidem iam antea nonnulli[1]) de singulis rebus, quae ad eius dicendi genus pertinent, sed quae disputarunt illi, et a subtiliore observatione aliena sunt et, quod est gravissimum, certo carent fundamento, cum eius modi recensionibus innitantur, quae nequaquam praebeant verba scriptoris ad optimorum codicum fidem castigata et a

---

[1]) J. F. Recke, Ueber die Spracheigenthümlichkeiten Justins. Progr. Mühlhausen 1854;
Fr. Fischer, De elocutione Justini. Diss. Hal. Sax. 1868;
H. Domke, Ueber den Gebrauch der Praepositionen *ab*, *ex*, *de* bei Justin. Progr. Breslau 1876/77;
Fr. Seck, De Pompei Trogi sermone. 2 partt. Progr. Constant. 1881, 1882.
C. Paucker, Ueber Iustinische Syntax (Eph. gymn. Austr. XXXIIII, 321 sq.)

corruptelarum sordibus, quantum fieri potest, purgata. talem autem recensionem nuper demum F. Ruehlius suppeditavit editione, quae prodiit a. MDCCCLXXXVI apud Teubnerum, adornata. qui iam a. MDCCCLXXII praeclara commentatione, quae inscribitur *'Die Textesquellen des Justinus'*, demonstraverat Ieepii recensionem a. MDCCCLVIIII in lucem emissam non solum non omni ex parte emendatam et absolutam dici posse, sed etiam illius de codicum ratione ac dignitate sententiam omnino falsam esse. Ruehlii igitur editione tamquam fundamento nisus de Iustini sermone quaerendi exordium cepi a casuum obliquorum usu, reliquis quae huc pertinent rebus in futurum tempus dilatis. cui negotio ut sufficerem, non satis habui rarissima tantum leviter adtingere quaeque quasi clamant et flagitant, ut eorum ratio habeatur, enotare, sed omnia congessi, quae aliquo modo a Ciceronis Caesarisque dicendi genere recedere videbantur. neque vero haec sola respexi, sed, ubi ex re erat, veluti in verborum compositorum cum casibus obliquis constructione, omnium verborum, in quorum usu Iustinus aut cum elegantissimis scriptoribus consentit, aut contra facit, conspectum obtuli. nam plene tantum ac perfecte collectis eius modi rebus et comparatis quae cum optimo sermone conspirant quaeque ab eo discrepant, cognoscere possumus, quatenus Iustinus a scriptorum bonorum consuetudine recesserit quemque inter scriptores argenteae aetatis obtineat locum, atque ita tantum, ut paucis dicam, clare et dilucide adumbratam dictionis Iustinianae sub oculos subicere possumus imaginem. cui rei ut consulerem, non solum Ciceronem et Caesarem in comparationem vocavi, sed perlustravi etiam cum alios tum maxime Sallustium Livium Tacitum Florum, ex quibus scriptoribus multa mihi excerpsi exempla. nec minore cura excutienda esse duxi lexica, commentarios, indices singulorum scriptorum. libris quoque de arte grammatica conscriptis velut Draegeri Kuehneri Schmalzii aliorum me esse usum vix opus est diserte commemorare. neque tamen ea, quae apud illos adlata repperi, exempla temere recepi, sed, ne crederem aliorum testimonio saepe fallaci, ipse omnia inspexi atque examinavi. nonnumquam etiam, ubi rei alicuius gravitate id desiderari videbatur, constructionis cuiusdam usum per omnes fere latinitatis aetates persecutus sum. neque, si rarior quaedam obviam fiebat structura, in sola eius commemoratione acquievi, sed, quantum utpote tiro valebam, eam explicare naturamque eius evolvere studui. qua in re saepe mihi copia data est ostendendi, quanti etiam in syntaxi momenti vis esset analogiae. maxime vero in eo elaboravi, ut eruerem, quas constructiones Iustinus desumpsisset e sermone vulgari. id quod faciendum esse mihi visum est, primum quia non parvi refert videre, quatenus quisque scriptor argenteae aetatis habuerit rationem sermonis vulgaris, utpote qui illis temporibus magis magisque latiores in progrediendo describat circulos, deinde quia ex talibus observationibus aliquid, quamvis esset exiguum, redundaturum esse sperabam ad sermonis

plebei ipsius cognitionem. huic autem sermoni num aliqua adsignanda esset structura, ut recte iudicarem, inprimis comparavi scriptores veteres, quos vulgarem constat prae se ferre colorem, velut Vitruvium, scriptorem belli Africani et Hispaniensis Ciceronis epistulas Petronium Gellium alios. simul grammaticorum recentiorum de ea re libros inspexi, veluti Diezii Guerickii Hellmuthii Koehleri Reblingii Roenschii Woelfflinii [1]) aliorum. denique nonnumquam rem criticam adtingere coactus sum. procedente enim opusculo adparuit Ruehlium, quamvis bene in universum suo munere functus esset, Iustini dicendi consuetudinis non tamen eam quam par erat habuisse rationem. immo saepe numero ex aliorum scriptorum consuetudine de Iustini iudicavit elocutione. nam cum is Iustini esset mos innumeris paene locis conspicuus, ut non unam ubique tueretur structuram, sed eximio quodam orationis variandae studio ductus alias aliam usurparet constructionem, Ruehlius magis quam conveniebat enisus est, ut orationem redderet aequabilem. itaque sicubi locutio quaedam tradita est singularis, etiam gravioribus non accedentibus argumentis sine haesitatione a codicum memoria recedendum esse arbitratus est. nimis quoque aspernatus est rariores constructiones, pro quibus, quamquam eae confirmantur plerisque atque optimis codicibus facile adductus est, ut eas, quae magis tritae sunt, reciperet. ego vero observationibus, quas de Iustini sermone feci, ad scripturam constituendam usus, omnibus argumentis accurate examinatis codicum memoriam, quantum fieri potuit, servare et coniecturis supervacaneis liberare studui. qua re locos certe nonnullos me recte constituisse confido. haec fere erant, quae de opusculi mei consilio et ratione praefanda mihi esse videbantur.

---

[1]) Diez, Grammatik der romanischen Sprachen, ed. V, 1882, A. Guericke, De linguae vulgaris reliquiis apud Petronium et in inscriptionibus parietariis Pompeianis, Diss. inaug. Gumbinnae 1875, H. Hellmuth, De sermonis proprietatibus quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur, Diss. inaug. Erlangae 1877, A. Koehler, De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate (Act. sem. Erl. I, 367), O. Rebling, Versuch einer Charakteristik der römischen Umgangssprache (Jahresber. über die Kieler Gelehrtenschule 1873), H. Roensch, Itala und Vulgata, ed. alt. Marburgi 1875, E. Woelfflin, Zum Vulgärlatein (Philol. XXXIIII, 137 sq.)

De accusativi usu.

De accusativo transitivo.

De accusativi usu disserenti exordiri mihi liceat ab eis verbis, quae cum ab optimis scriptoribus intransitive usurpentur, apud Iustinum transitivam accipiunt notionem ideoque in formis activis cum accusativo coniunguntur, in passivo genere personaliter adhibentur. animadvertendum autem est apud Iustinum non pauca verba huc spectantia in solo genere passivo inveniri, formas activas vero aut omnino non legi, aut certe ita, ut non recedant ab optimorum scriptorum dicendi consuetudine. huc primum spectat passivum verbi triumphare 2, 15, 12 'veluti triumphatis Spartanis a civibus excipitur' et 41, 1, 5 'postremo Macedonibus triumphato Oriente servierunt'. huius verbi passivum personaliter dictum non solum apud poetas aetatis Augusteae veluti Verg. Aen. 6, 836 'ille triumphata Capitolia ad alta Corintho victor aget currum', Hor. C. 3, 3, 43 'triumphatisque possit Roma ferox dare iura Medis', sed etiam apud Tacitum et Florum invenitur: cf. Tac. Ann. 12, 19 'ne triumpharetur', Flor. 2, 13, 20 'per triumphatum a se mare ... fugiebat'. structura activa 'triumphare aliquem' in Iustini libris non exstat, peculiaris est posterioribus temporibus. legimus eam apud Trebell. Poll. trig. tyr. 30, 5 P. 'Zenobiam triumphando' et apud scriptores saeculi quarti et ineuntis quinti velut Gaudent. Brix. tract. 10 'mortem tr.', alios, de quibus cf. C. Pauckerum in eph. gymn. Austr. a. 1881, p. 493. eodem modo apud Iustinum usurpatur passivum verbi persuadere 2, 11, 14 'nihil erat difficile persuadere persuasis mori', quamquam eodem ipso loco et ceteris omnibus (2, 12, 14; 3, 4, 13; 13, 8, 5) activa huius verbi forma secundum legem, quam elegantissimi servabant scriptores, cum dativo constructa invenitur. haec igitur structura a sermonis urbani more recedens, quibuscum scriptoribus Iustino sit communis si quaerimus, apud illos potissimum eam reperimus, quorum sermonem vulgarem quendam constat prae se ferre colorem. ita loquitur Caecina apud Cic. Fam. 6, 7, 2 'si scit et persuasus est'. conferas deinde bell. Afr. 55, 1 'quorum auctoritate facile adducti Caesarisque nomine persuasi', Valer. Max. 3, 8, 1 'Capuam ... persuasam', Petron. 81 B. 'a matre persuasus est', Tertull. adv. Valent. 9, 12 M. 'Sophia periculo exempta et tarde persuasa'. his igitur locis respectis vix errare nobis videmur, si hanc structuram sermoni vulgari tribuendam esse existimamus. at Guerickii [1]) magis eo inclinat animus, ut passivum personaliter positum urbanum arbitretur, cum non solum apud Petronium

---

1) p. 52.

sed etiam apud Ovidium Propertium Plinium legatur. contra quam sententiam primum quidem monendum est hanc constructionem in Ovidii arte amatoria inveniri (cf. 3, 679 'iamdudum persuasus erit'), qui libri iam propter ea, quae eis continentur, sermonem cottidianum hic illic adtingere videntur. deinde ne Plinium quidem in Naturali Historia a sermone vulgari plane abhorrere cum ex opere ipso tum ex scriptoris verbis, quae praef. s. 13 facit, cognoscere possumus: 'sterilis materia, rerum natura h. e. vita, narratur, et haec sordidissima sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris . . .' nihil porro impedit, quominus statuamus eruditos quoque homines Romanos in scriptis nonnumquam eo, qui in communi vitae consuetudine adhibebatur, sermone esse usos. qui non tam formis inauditis ac paene barbaris conspicuus erat quam liberiore quodam syntaxeos usu a sermone culto atque eleganti differebat. cf. quae de hac re Reblingius p. 6 exponit: '*Diese Sprache war nicht ohne Geschmack und Formensinn, nicht einer schrankenlosen Willkür nachgebend, sondern gewissen freieren Gesetzen gehorchend. In rein formeller Beziehung stand sie der classischen Sprache wohl gleich, hier beruht der Unterschied nur noch auf freierer Handhabung der Syntax und auf dem sprachlichen Ausdruck... Wir vermögen an einzelnen Fällen einen Austausch oder eine Entlehnung des Ausdruckes aus der freieren Sprachform im streng Classischen zu verfolgen und dürfen vielleicht manche Wendungen, welche auch in mustergiltigen Schriften vorkommen, als nicht recht heimisch daselbst der Umgangssprache als ihrer eigentlichen Heimat vindicieren.*' accedit quod verbi activi 'persuadere' cum accusativo constructio quin ad vulgarem referenda sit sermonem, dubitari prorsus non potest. nam non solum in prisco Ennii sermone haec structura invenitur, cf. inc. sed. rel. 3 M. 'quis te persuasit', sed etiam apud Petronium (46 'te persuadeam', 62 'persuadeo hospitem nostrum'), Tertullianum (de resurr. carn. 21, 2 M. 'neminem . . . persuaderet') aliosque scriptores posterioris aetatis, ex quibus exempla protulit C. Paucker l. c. p. 494. atque gravissimi momenti est hanc dicendi consuetudinem etiam linguis romanicis esse receptam, qua de re Diezius gramm. lingu. rom. III[5], 841 ita iudicat: 'persuadere aliquem *bei Ennius und Petronius statt des classischen* alicui *ist echt romanisch.*' quae cum ita sint, nonne est credibile sermonem cottidianum, quippe qui in verbo activo 'persuadere' accusativum admisisset, passivum personaliter adhibuisse? atque eodem modo in passivo usurpatum est verbum nocere 44, 4, 6 'itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarundam uberibus aleretur', quamquam nescio quis intellegi maluit pronomen 'ei'. sed ad hanc ellipsim confugere nequaquam opus esse mihi videtur, quia verborum, quae ab optimis scriptoribus intransitive adhibentur, genus passivum Iustinum personaliter usurpare modo deprehendimus et in eis quoque, quae secuntur, cernemus. inde autem, quod ceteris locis (3, 4, 3; 13, 8, 2; 32, 4, 5) hoc verbum solito more dativum adsciscit, nullo pacto colligi potest hoc loco dativum

esse supplendum. nam Iustinus in locutionibus et structuris non ubique sibi constat, immo varietati in dicendo magno opere indulget, id quod libello procedente satis saepe animadvertemus. atque talem structuram in usu fuisse sermonis vulgaris quam maxime suspicor. primum enim id suadet similis usus verbi 'persuadere', quem sermonis vulgaris proprium fuisse supra demonstravimus. deinde si in sermonis, quo vulgus utitur, natura situm est studium rationem grammaticam reddendi simpliciorem, verborum structuras, quantum fieri potest, ad unam normam revocandi, transitivorum in passivo usus personalis non poterat non efficere, ut in sermone plebeio etiam a verbis intransitivis passivum personale formaretur. analogiae enim rationem non solum in ea grammaticae parte, quae ad verborum formas pertinet, versari sed etiam in syntaxi multum valere vix quisquam negabit. ad haec autem argumenta e vi ac natura sermonis vulgaris desumpta accedunt ea, quae extrinsecus adlata sunt, dico passivum huius verbi personaliter usurpatum apud scriptores plebeios, veluti apud Vitruv. 2, 7, 3 R. 'lapidicinae neque ab tempestatibus neque ab ignis vehementia nocentur' et Veget. 4, 4 'ne portae... noceantur ab ignibus', et apud Ulpianum [1]) Dig. 43, 19, 3, 2 M. 'aequum non est nos noceri hoc, quod adversus eum non nocuit, in cuius locum successimus'. tum etiam legitur apud scriptores provinciales veluti Apul. Met. 1, 10 E. 'quae cum subinde ac multi nocerentur' [2]), Greg. Tur. de glor. conf. c. 14 M. 'sustinuit et nihil est nocitus', in Cypriani Galli carmine t. III, p. 319, v. 261 H. 'eruit et nocitos'. in prisci vero sermonis reliquiis neque haec neque activa huius verbi cum accusativo structura reperitur. nam quam Plaut. mil. gl. 1411 codd. CDFXYZ exhibent lectionem: 'iura te nociturum non esse hominem de hac re neminem', ea falsa est, vera autem servata in cod. A, in quo haec exstat scriptura: OMINIDEHACRENEM. neque magis ferri potest id quod Phaedr. 4, 20, 4 M. codd. PR suppeditatur: 'namque ut refectast, nocuit hominem protinus', ac recte iam Pithoeus 'necuit' restituit, quod etiam sententia loci desideratur. [3]) manifesta autem codicum fide comprobatur structura 'nocere aliquem' in Cypriani carminis supra commemorati v. 264 'non aliquem nocuit, non aliena cupivit', deinde apud Victor. Vitens. 2, 37 P. 'quorum feritas virulenta usque ad praesens tempus Christo defendente nullum servorum eius nocuisse docetur'. ac frequentissime ea obviam fit in libris divinis in Latinum translatis, unde multa exempla congessit Roenschius p. 441. his autem locis eam quoque,

---

[1]) Etiam hominum iuris peritorum sermonem, quippe qui id spectaret, ut a vulgo facile perciperetur, multum ex eius dicendi consuetudine adsumpsisse consentaneum est.

[2]) Sic omnes mss. et edd. vett.

[3]) Eadem verborum 'nocere' et 'necare' confusio conspicitur Tertull. exhort. cast. c. 12 Oe. ubi codice St. Agobardi traditur: 'puto nobis non magis licere nascentem nocere quam et natum', in reliquis 'necare' exaratum est.

quae in archetypo Graeco exstabat structuram βλάπτειν τινά, alicuius fuisse momenti non prorsus negem.

Ad sermonem vulgarem pertinere probabile est etiam verbum perseverare transitive usurpatum 12, 6, 15 'ob haec illi quadriduo perseverata inedia est'. cum hoc enim verbo Cicero in oratione pro Quinct. 24, 76, in qua utpote prima omnium, quae exstant, orationum sermonem non raro aut priscum aut familiarem habere colorem notissimum est, accusativum coniunxit, quamquam, id quod minus singulare est, obiectum efficitur pronomine generis neutri: 'neque te ipsum id quod turpissime suscepisses, perseverare et transigere potuisse'. item apud Liv. 22, 38, 13 verbum 'perseverare' accusativum pronominis adsumit: 'quo id constantius perseververaret'. sed iam bell. Afr. 18, 4 'ad insequendum hostem perseverandumque cursum tardiora' accusativum substantivi huic verbo adiunctum videmus, qui dicendi usus posterioribus temporibus haud raro observari potest. Iustinus autem ceteris locis secundum communem dicendi consuetudinem hoc verbum cum ablativo praepositione 'in' praefixa consociat: 4, 5, 3; 16, 4, 12; 44, 2, 8. transitive porro usurpantur contra usum optimorum scriptorum duo verba, quibus inest significatio motionis: 'festinare' et 'penetrare', quorum prius legitur 36, 4, 10 'ad eripiendum Aristonicum Perpernae ... festinata velocitate contendit'. pleraque huius constructionis exempla in Taciti libris reperiuntur: cf. Ann. 6, 46 'festinatis lictorum manibus', 6, 50 'festinati casus', Hist. 1, 90 'festinata iam pridem exactione', 2, 57 'festinatis per Gallias delectibus', 4, 67 'festinatum temere proelium', all. activum cum accusativo coniunctum poetis frequentantur cf. Ennii rel. trag. XVI, v. 434 V. 'festivum festinat diem', Verg. Aen. 4, 575 'festinare fugam', Hor. C. 4, 11, 9 'cuncta festinat manus'. ex scriptoribus autem, qui Ciceronis aetate floruerunt, unus Sallustius hoc verbum transitive usurpat, ita tamen, ut accusativi locum neutrum pronominis vel adiectivi teneat: Iug. 77, 1 'ni id festinaret', 73, 1 'ad integrum bellum cuncta parat festinatque'. alterum verbum legitur Iust. 24, 4, 3 'portio Illyricos sinus ducibus avibus ... per strages barbarorum penetravit', qui locus primum iam eo memoratu dignus est, quod ad verbum fere ex Verg. Aen. 1, 243 'Antenor potuit ... Illyricos penetrare sinus' desumptus est. atque hunc locum non unicum esse, ubi Iustinus vel Trogus Pompeius Vergilii locutionem in usum suum convertit, immo perquam multis locis imitationem Vergilianam conspici posse demonstravit nuper A. Sonnyus Mus. Rhen. t. 41, p. 473 sq. sed hoc cum minus pertineat ad nostram quaestionem, breviter adtigisse satis habeo. praeter Vergilium hoc verbum transitiva notione usurpant Lucr. 4, 660 'penetrant ... fauces', 4, 891 'penetratque foramina' et scriptores argenteae et posterioris latinitatis, cf. Tac. Agr. 27 'penetrandam Caledoniam', Flor. 1, 36, 14 'Mulucham urbem ... penetravit', ind. ad Cypr., quem confecit Hartelius. nec minus dignus qui notetur est usus transitivus verbi cedere, ubi

significationem '*jemandem etwas abtreten, überlassen*' recipit. atque ut ab eo proficiscar loco, ubi quin haec insit structura dubium esse non potest, primum adfero 10, 2, 3 'hanc patrem cedere sibi sicuti regnum Dareus postulaverat'. quam structuram a Cicerone prorsus vitatam esse videmus tribus locis exceptis, qui tamen aliquam in se habent excusationem. nam Off. 2, 18, 64 'multa multis de iure suo cedentem' obiectum neutra adiectivi forma efficitur; tum Brut. 84, 290 'in dando et cedendo loco' membrorum aequabilitatis et concinnitatis restituendae studio haec insolita structura explicatur; denique Sull. 16, 46 'permitto aliquid iracundiae tuae, do adulescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti' verbum 'cedo' tribus synonymis, quae cum eodem casu coniunguntur, adiectum minimam habet offensionem. neque in aequalium Ciceronis scriptis tale quid reperitur, et Verg. Aen. 11, 359 'cedat ius proprium regi patriaeque remittat' 'cedat' absolute accipiendum esse opinor. corruptus autem est locus Liv. 45, 39, 2, ubi hanc exhibet scripturam cod. Vindobonensis: 'currumıcē|surı', unde editores vetustiores 'currum ei cessuri' fecerunt, sed nunc suadente Madvigio 'curru descensuri' scribitur. etiam a Taciti dictione haec abest constructio. reperiuntur autem nonnulla eius exempla in hominum iuris consultorum sermone, velut Dig. 8, 3, 11 'cesso iure', 46, 1, 39 'nec ei cessae sint actiones'. iam minus certum est, num altero quoque Iustini loco haec sit agnoscenda structura. etenim 1, 10, 12 'incredibile prorsus tanta patientia cessisse eos, quod ut eriperent magis, mori non recusaverint' pronomen 'id' vel 'eo' intellegere licet, atque Fittbogenius[1]) 'eo' praefert, quippe quae sit structura tritior, ego accusativum. iam vero tertium videamus locum 32, 4, 7, ubi in codicum memoriam accuratius opus est inquirere. traditus est is codicibus Italicis et Transalpinis et codice P, qui eius est classis, quam Ruehlius signavit littera Π, hoc modo: 'ancipiti periculo circumventi hosti victoriam cesserunt'; in codice C autem pro verbo 'cesserunt' prima manu 'c̄cessere' exaratum, et tertia illud 'c̄' erasum est. Ruehlius 'concesserunt' sine dubio ea de causa recepit, quod codex C, qui solus superest testis alterius ab ITΠ plane diversae recensionis, hic illic nonnullas praebet emendationes speciosas, et quod 15, 2, 6 eadem locutione recurrente verbum compositum adhibetur omnium codicum consensu confirmatum: 'hostique concessa victoria in Aegyptum fugit'. illam autem, quae in ITΠ exstat, scripturam nescio an ita explices, ut syllabam 'con' per compendium scriptam (c̄) intercidisse statuas ante sequentem litteram 'c'. ac profecto haec argumenta, si per se quidem spectaveris, ita comparata sunt, ut scripturam 'concesserunt' probabiliorem reddere videantur. tamen non desunt, quae contra faciant. etenim codicem C, etiamsi haud paucas bonas scripturas praebet, tamen tanto opere corruptum esse Ruehlius ipse concedit (praef. p. XIII), ut in universum

---

[1]) In adn. ed., quae prodiit Halis Sax. 1835.

quidem firmum fundamentum praebere non possit. illud 'c̄' autem, quod huius codicis manus prima exhibet, alterutro modo effectum esse licet statuere, aut casu aut consilio. fieri enim poterat, ut scribendi errore librarius quidam primam verbi 'cessere' litteram bis exararet alterque scriba in priore 'c' compendium syllabae 'con' inesse opinaretur. sed etiam consilio structurae 'cedere alicui aliquid' ut insolentiori ea, quae est tritissima, substitui potuit. quod si contendo, non eum dico, qui codicem C scripsit, munere functum esse interpolatoris, sed iam in archetypo, unde C manavit, hanc factam esse immutationem. denique Ruehlius ad suam sententiam comprobandam similem locum, qui est 15, 2, 6, comparavit. at huic rei ne nimium tribuas, maxime est cavendum. nam Iustinum una eademque non ubique uti locutione, immo eloquendi quadam varietate valde delectari innumeris paene locis edocemur. ac, ne longinqua secter, hoc ipsum verbum, de quo disputatur, adfero exemplum. varie id cum eodem substantivo coniungitur sensu non mutato. cum enim 10, 2, 3 'cedere regnum' Iustinum dixisse viderimus, 29, 2, 6 'cedere se illi regno' legimus. etiam 31, 5, 7 et 31, 7, 8 hoc verbum e Livii dicendi consuetudine cum ablativo coniungitur. porro conferas 6, 8, 6 'pecuniae adeo parcus fuit' cum 41, 3, 10 'in cibum parci' aliaque eius variandi studii quae postea adferam exempla. quae cum ita sint, scripturam 'cesserunt' praeferre non dubito.

Praetermitti in hoc capite non debet usus transitivus duorum verborum, quibus inchoandi notio continetur: coepi et auspicari. raro tantum in pedestri oratione activum verbi 'coepi', quod apud Iustinum legitur 24, 1, 3 'ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum coepisse viderentur', et 27, 1, 1 'auspicia regni a parricidio coepit' cum accusativo ponitur. et si hic illic in hanc structuram incurrimus, veluti Cic. Sex. Rosc. 19, 52 'illud quod coepimus videamus', accusativum pronomine generis neutri effici videmus. scriptorum autem, qui huic verbo accusativum substantivi addiderunt, primus Sallustius nominandus est, cf. Hist. 1, 84 D. 'obsidium coepit per L. Catilinam legatum'. iam in frequentiorem usum venit huius verbi passivum, quamquam a Cicerone ne hoc quidem iunctum esse nisi cum neutra pronominis forma haec docent exempla: Verr. 5, 68, 174 'illa quae temptata iam et coepta sunt ab isto', Catil. 4, 17 'est id quidem coeptum atque temptatum'. Iustinus autem 'bellum' cum participio perf. passiv. consociavit 2, 10, 12 'Xerxes bellum a patre coeptum adversus Graeciam per quinquennium instruxit', 38, 4, 3 'consulendum, qua ratione ac spe coepta bella sustineant'; cf. Sall. Iug. 21, 2 'coeptum atque patratum bellum foret', Verg. Aen. 2, 162 'coepti fiducia belli'. contra consuetudinem elegantium scriptorum accusativus aptus est ex verbo 'auspicari' 5, 8, 12 'caedes deinde civium ab Alcibiade auspicantur', 21, 1, 7 'tyrannidem in suos prius quam in exteros auspicatus', 38, 1, 1 'Mithridates parricidia nece uxoris auspicatus'. hoc verbum, quod optimae latinitatis

aetate non usurpatur nisi de rebus sacris propria significatione atque absolute, apud argenteae demum aetatis scriptores notione inchoandi recepta accusativum adsciscit, cf. Vell. 2, 101, 3 'quem militiae gradum ante sub patre tuo . . . auspicatus'. restat ut verbi opperiri mentionem faciam, quod Iustinus eodem modo quo Verg. Aen. 1, 454 'reginam opperiens', Liv. 1, 56 'opperiretur tempora sua', Tac. Ann. 15, 13 'Corbulonem opperientes', alii, cum casu quarto construxit: 12, 8, 10 'ubi eum hostium CC milia peditum et XX milia equitum opperiebantur' (ex Havercampii ci.), 12, 13, 1 'adventum eius Babyloniae opperiri', 13, 6, 15 'Crateron et Antipatrum opperiri iubetur'. ex Cicerone ne unum quidem huius structurae prolatum est exemplum.

Iam vero ad usum transitivum eorum verborum accedamus, quibus animi quidam adfectus significatur. ac pleraque verborum huc spectantium, quae Iustinus cum accusativo rei construxit, iam ab aureae aetatis scriptoribus ita usurpabantur, velut 'desperare' 5, 6, 8; 38, 9, 4 saepissime 'desperatis rebus' 5, 6, 5; 8, 1, 8; 14, 3, 12; 23, 2, 6. 'dolere' 1, 8, 9; 9, 7, 2; 12, 6, 15;[1]) 24, 5, 8; 28, 4, 4; 32, 3, 2; 42, 4, 13. 'gratulari' 8, 3, 2, 'horrere' 28, 2, 12, 'lugere' 12, 12, 12; 13, 1, 4; 28, 4, 6 (absolute positum est 18, 7, 10), 'mirari' 5, 4, 9; 11, 13, 5, 'queri' 1, 10, 17; 18, 7, 16; 29, 2, 1; 30, 3, 5, sed 2, 8, 8; 9, 7, 8; 32, 2, 3 idem verbum cum ablativo construitur praepositione 'de' praefixa. praeter haec autem verba exstant nonnulla, quibus cum accusativum adiungit Iustinus, ab optimorum scriptorum dicendi consuetudine longe recedens vel poetarum licentiam vel argenteae vel multo inferioris aetatis scriptorum sequitur usum. atque cum verborum, quae supra collegi, obiectum plerumque re quadam efficiatur, ea, quae iam adferenda sunt, accusativum personae plurimis quidem locis secum coniungunt. huc igitur spectat primum aversor 18, 4, 9 'Elissa diu fratrem propter scelus aversata', quae structura Iustino communis est cum Ovidio (Met. 1, 478 'illa aversata petentes'), Livio (8, 7, 14 'filium aversatus'), Curtio (4, 7, 31 'immortalitatem adfectantem . . . aversati sunt') aliis. contremisco autem num cum accusativo construxerit Iustinus, cum dubitationi obnoxium sit, videamus oportet, quomodo locus qui est 32, 4, 10 libris tradatur. atque codicibus Italicis et Transalpinis et codice P is ita exhibetur: 'Hannibalem nec tum, cum Romano tonantem bello Italia contremuit . . .', contra in aliis, inter quos est C: 'Hannibalem nec tum, cum Romano tonante bello Italia contremuit . . .'. hanc scripturam iam Graevius praetulit, quippe qui Hannibalem tonantem dici non licere, immo bellum solum tonare opinaretur. at et hoc et illud dici posse exemplis, quae viri docti ad h. l.[2]) congesserunt, satis comprobatur.

---

[1]) Codicibus quidem classium T et Π 'morte' exhibetur, sed recte editores reliquorum codicum scripturam 'mortem' amplexi sunt. littera m enim virgula significata innumeris locis in libris intercidit.

[2]) Cf. ed. Frotscherianam, quae prodiit Lipsiae 1827 sqq.

nihil igitur valet Graevii ratio ad lectionem 'tonantem' damnandam. neque id, quod apud Orosium 6, 16, 8 Z. 'quattuorque annis hoc bellum civile indesinenter toto orbe tonuit' legimus, ad probandam lectionem 'tonante' in auxilium vocare licet, cum eo loco non ex Iustini libris hausisse, sed Livio usum esse Orosium adpareat. id nimirum negari non potest hoc verbum cum accusativo coniunctum rarissime reperiri atque etiam, nisi fallor, hic unicus est locus, ubi accusativus obiecti persona est. accusativus rei autem post hoc verbum positus legitur Hor. C. 2, 12, 8 'periculum fulgens contremuit domus Saturni veteris', Sen. Ep. 7, 3, 24 'non contremescamus iniurias'. denique locum ex Salv. ad eccles. 4, 23 P. 'cuius nec remunerationem desideras nec iracundiam contremiscis' adnotavi. neque constructio illa cum accusativo, quamvis sit rara, pugnat contra indolem ac naturam sermonis, qui multis timendi verbis subiciat accusativum, veluti Verg. Aen. 3, 648 'sonitumque pedum vocemque tremesco', Aen. 8, 296 'te Stygii tremuere lacus', Tac. Ann. 1, 4 'bellum pavescere', all. locc. quorum verborum analogiam si secutus est Iustinus, id nos miros habere non debet. scriptura autem 'tonante' quae nonnullis codicibus praebetur, aut inscientiae cuiusdam librarii in rariore structura verbi 'contremisco' cum accusativo offendentis tribuenda aut neglecta virgula litteram 'm' significante exorta est. cum igitur neque e dicendi consuetudine neque e codicum memoria quicquam obstet, quin accusativum accipiamus, verborum quoque conexus eum mihi requirere videtur. nam si 'tonantem' scribimus, maior efficitur membrorum aequalitas et concinnitas, quia ita in utroque enuntiato Hannibalis persona diserte exprimitur, in priore membro obiecti locum obtinens, subiecti in altero. sic totius loci vis, in quo colorem quendam inesse rhetoricum facile concedes, augetur atque cumulatur.

Horum verborum numero inserendum porro est deperire 1, 7, 15 'quam (uxorem) propter formae pulchritudinem deperiebat'. in cuius verbi usu Iustinus cum dicendi consuetudine poetarum comicorum conspirat (cf. Plaut. Amphitr. 517 'hic te ecflictim deperit') et scriptorum sermonem priscum imitantium, veluti Frontonis (cf. Epist. 98, 17 N. 'amore quempiam deperit'[1]) et A. Gellii (cf. 7, 16, 13 'tamen eam penitus deperiret'), sed etiam apud Catullum (100, 2 'depereunt ... hic fratrem, ille sororem') et Pseudo-Cyprianum (de bono pudic. 9 H. 'hanc ex senioribus duo coeperant deperire') hanc legimus constructionem. quam vulgaris sermonis esse et verbo cum praepositione 'de' copulato comprobatur (cf. Woelfflin. in Philol. t. 34, p. 161) et natura huius verbi ipsa. id enim sermonis plebei proprium ac peculiare est, ut pro vocabulis, quae sola mente concipiuntur, ponat fortiora et ea, quae sensui sunt subiecta. qua de re cf. Rebling. p. 18. fastidire cum accusativo et personae (12, 11, 6 'quatenus milites suos fastidiat', 14, 2, 7 'Argyraspides

---

[1]) Codex habet 'dederit', sed in margine adnotatum est 'deperit'.

post Alexandrum omnes duces fastidiebant') et rei (35, 1, 2 'propter fastiditas sororis nuptias') ab Iustino consociatur. posterior structura non ita raro in carminibus velut Hor. C. 3, 1, 23 'somnus agrestium lenis virorum non humiles domos fastidit umbrosamque ripam', et apud scriptores argenteae aetatis velut Quint. Inst. or. 1, 1, 18 'lucrum fastidiamus' invenitur atque etiam ex Orosio adnotavi hoc exemplum: 5, 4, 15 'ut iure fastidiantur aliena'. prioris structurae exempla suppeditant Verg. Buc. 2, 73 'si te hic fastidit', Curt. 8, 7, 13 'fastidires etiam Iovem' al. flere iungit Iustinus cum accusativo personae 23, 2, 10 'flebant hi morientem patrem, ille exules liberos' et 28, 4, 4 'nulla amissum coniugem flevit' eodem modo quo poetae (cf. Hor. C. 1, 5, 6 'fidem mutatosque deos flebit', Verg. Aen. 5, 614 'amissum Anchisen flebant' al.) et scriptores, qui proximo post Augusti aetatem exstiterunt[1]) (Valer. Max. 6, 3, 6. Flor. 1, 1, 3, 5 al.). praeterea hoc verbum ab eo absolute ponitur: 12, 12, 6; 12, 15, 2. sed num 18, 4, 13 hoc verbum scripserit Iustinus, aliquid habet dubitationis. discrepat enim hoc loco codicum memoria ita, ut codice C 'tum flens ipsa lugubrique voce Acherbam ciet' praebeatur, codices ITZP ceteris vocibus fere non mutatis verbum compositum 'deflens' suppeditent. quod mihi nequaquam spernendum videtur, quamquam Ruehlius codicis C auctoritate nimis confisus ut nonnullis aliis locis ita et hic insolentiorem locutionem spernendam esse putavit. at quamvis raro verbum 'deflere', quod non ignoro ceteris Iustini locis (5, 7, 7; 5, 8, 1; 19, 3, 2) secundum communem dicendi consuetudinem secum habere obiectum, sine accusativo ponatur, tamen huius usus non plane deesse exempla ostendit Georges s. v. 'deflere'. sed minus hercle ea esse valitura ad hunc quidem locum recte iudicandum libenter concedo, nisi aliud accederet argumentum. Iustinus enim sicuti alii quidam scriptores verba cum praepositionibus composita pro simplicibus adhibere solet ita, ut neglecta quae cuiusque praepositionis sit propria significatione ipsa tantum verbi vis intendatur. quo referendum id quoque videtur exemplum, de quo agitur. huic addi possunt 36, 4, 9 'deportare', 37, 1, 1, 'deprecari', 2, 3, 13 'addiscere', 2, 6, 20 'convulnerare', 36, 3, 4 'excolere'. ac praecipue verba cum vocula 're-' composita, velut 'recipere', 'redigere' ab Iustino frequentantur, qua de re quae Beneckius in editione sua (Lipsiae 1830) ad 1, 10, 14 (p. 26) disputavit, conferenda sunt. talis autem usus quin sermoni vulgari sit adsignandus, mihi dubium non est. quae cum ita sint, nonne facile adduceris, ut Iustinum credas hic compositum 'deflere', quod alterius generis codicum servatur fide, pro simplici 'flere' posuisse, et id, quod in C legitur nihil aliud esse quam coniecturam hominis cuiusdam minus docti, cui insolitus

---

[1]) Semel etiam Cicero accusativum posuit Sest. 28, 60 'post meum discessum eis Pisonem verbis flens meum et rei publicae casum vexavit', ceteris locis cum praepositione 'de' coniunctum adhibuit.

ille verbi 'deflere' usus offensioni fuit? sed iam ad eam rem, unde digressi sumus, reversi unum praeterea verbum commemoremus: indolescere, quod de corporis dolore dicitur 12, 13, 9 'ut ferrum in remedia posceret tactumque hominum velut vulnera indolesceret'. quod sic positum haud facile alibi deprehendas. nam ubique eo utuntur scriptores meliores sensu translato et absolute. accusativum admittunt poetae, velut Ov. Met. 2, 469 'id ipsum indoluit Iuno' et scriptores posteriores velut Arnob. 1, 63 R. 'non humanas miserias indolescens'.

Iam in explicando accusativi transitivi usu ad tertium verborum genus pervenio, ad ea dico, quae cum praepositionibus composita sunt ideoque vi transitiva accepta obiectum in casu quarto positum desiderant. ac praepositiones, quibuscum eius modi verba apud Iustinum consociata invenimus, hae sunt: 'ab, ad, ante, circum, con, de, ex, in, ob, per, prae, praeter, sub, super, trans'. quae raro tantum a scriptore ante substantivum, quod verbo subiungitur, iterantur. verborum autem huius generis structura, quibus plerisque motus significatio inest — nam pauca tantum ('abnuo, adloquor, expugno, impugno, obsideo, oppugno') quietis statum significant —, multo minus a praestantissimorum scriptorum sermone recedit quam eorum, de quibus supra disputatum est; immo in maiore horum verborum numero easdem, quae optimae latinitatis temporibus observabantur, leges sequitur Iustinus. et quamquam nonnulla, quibus Cicero et Caesar accusativum nondum adiunxerunt, cum eo coniuncta legimus, praecesserunt tamen plerumque hac in re Cornelius Nepos Sallustius Livius. etiam passivam constructionem complura verba admittunt, atque, si verbum 'praevenire' exceperis, illa, quae ab optimis quoque scriptoribus sic usurpantur: 'circumvenire, conscendere, expugnare, impugnare, inire, obsidere, oppugnare, praeterire'. addere vix opus est accusativum et personae et rei esse posse. his igitur in universum dictis ad singula transeamus, quae ita tractare haud ab re esse duco, ut ea verba cum accusativo iuncta, quae elegantium scriptorum loquendi consuetudini plane congruunt, breviter adtingam, de illis vero, quorum in usu Iustinus ab optimis scriptoribus discrepat, uberius exponam.

Hanc igitur tibi propono tabulam: abnuo 9, 2, 8; 16, 3, 9; 38, 2, 8. hoc verbum, quod in Caesaris libris nondum exstat quodque Cicero paucissimis locis usurpat neque id cum accusativo nisi pronominis generis neutri consociatum, inde a Livii aetate in frequentiorem venit usum, cf. Liv. 1, 56, 8, Tac. Ann. 1, 23 al. sine accusativo positum hoc verbum apud Iustinum his locis legitur 31, 1, 4; 39, 2, 8; 39, 3, 10. adeo 2, 15, 9; 4, 4, 1; 12, 12, 6; 12, 16, 11; 18, 2, 1; 18, 2, 4; 20, 2, 5; 20, 5, 4; 34, 3, 6. adgredior praef. 1. 2; 1, 6, 1; 2, 4, 19; 2, 8, 3; 2, 13, 1; 3, 1, 2; 4, 5, 6; 5, 10, 5; 6, 7, 2; 8, 3, 10; 9, 2, 10; 11, 2, 6; 11, 6, 3; 11, 14, 5; 18, 4, 10; 18, 4, 14; 20, 1, 4; 22, 3, 1; 24, 1, 3; 24, 7, 1; 25, 2, 3; 29, 2, 1; 30, 1, 4; 32, 2, 1; 33, 2, 1; 38, 10, 8; 42, 4, 7;

uno loco participio adgressus Iustinus vim passivam indidit, dico 7, 6, 5 'alia redimit facillimis quibusque adgressis'. adloquor 11, 9, 3; 12, 12, 1; 14, 2, 8; 14, 3, 12; 42, 4, 12. ascendo 38, 8, 4. antecedo 34, 3, 7; 33, 1, 1. anteeo 1, 2, 6; 1, 3, 2. in verborum cum praepositione 'circum' compositorum usu Iustinus cum optimis scriptoribus consentit, si exceperis 'circumvehor' et 'circumvolo', veluti in verbis: circumeo 11, 9, 8; 11, 13, 6. circumsisto 23, 2, 2. verbi circumvenio frequentior est structura passiva: 2, 11, 12; 2, 12, 18; 10, 1, 7; 16, 2, 6; 22, 7, 10; 26, 1, 10; 27, 1, 7; 32, 3, 2; 32, 4, 7; 38, 9, 2. activae structurae haec tantum inveniuntur exempla: 1, 8, 9; 21, 3, 1; 26, 2, 5. circumvehor, quod legimus 11, 9, 3 'circumvectus suos', apud Cornelium Nepotem et Curtium et maxime in Livii libris invenitur, a Ciceronis tamen dictione omnino abest. alterum verbum circumvolo 11, 7, 5 'aves eum .... circumvolare coeperunt', 20, 3, 7 'eosque tamdiu circumvolavit', ad poetarum aetatis Augusteae sermonem, Vergilii Horatii Ovidii et eorum solutae orationis scriptorum referendum est, qui post Augustum floruerunt, velut Vell. 2, 27, 2, Quintil. 2, 6, 7, Flor. 2, 17, 7. verbo conscendo apud Iustinum frequentissime obiectum 'navem' subiunctum est: 2, 8, 1; 2, 12, 16; 3, 7, 5; 12, 10, 1; 18, 7, 4; 23, 2, 2; 31, 2, 5; 31, 4, 3; 34, 3, 8; praeterea legitur 'pyram conscendere' 18, 6, 7, 'equum' 31, 2, 3. convenio 31, 4, 5;[1]) 43, 3, 8. de ceteris huius verbi structuris infra dicendum erit. declino 12, 2, 4; 26, 2, 7. egredior 22, 1, 4; 35, 2, 2. contra a Ciceronis et Caesaris dictione abhorret accusativus verbo excedo adpositus his locis: 13, 2, 3 'nemine tantum ceteros excedente', 15, 2, 3 'qui annos XIV excesserat', 38, 3, 11 'historiae modum excesserint', 43, 1, 2 'modum propositi operis excedat', quorum maxime primus eo notabilis est, quod persona cum hoc verbo, cui notio antecedendi inest, coniungitur. minus autem singularis videtur huius verbi cum substantivis annorum numerum et modum significantibus iunctura, cui, ut ita dicam, civitatem dedit Livius. reliquae verbi 'excedere' constructiones suo loco tractabuntur. expugno 2, 14, 1; 3, 4, 1 al. in verbo incedo construendo 22, 6, 11 'stupor itaque omnes et admiratio incessit', ad animi quendam adfectum exprimendum Iustinus praecipue Livii et Taciti sermonem secutus est: cf. Liv. 2, 18, 8, Tac. Hist. 5, 23. apud Ciceronem autem verbum 'incedere' hoc sensu adhibitum non invenitur, neque cum dativo coniunctum, id quod propterea diserte commemoro, quod Klotzius falso Cic. Fam. 16, 12, 2 adfert, quo loco 'invaserat' legitur omnium codicum consensu confirmatum. ineo 2, 4, 9; 2, 13, 5; 12, 11, 6; 22, 5, 13; 23, 4, 10; 36, 4, 2; 23, 2, 8 (31, 1, 7); passive 16, 4, 7; 37, 4, 3; 42, 4, 7. ingredior

---

[1]) H. l. Gronovius Beneckius Fittbogenius nonnullos codices pessimae notae secuti 'ad Antiochum' ediderunt; sed ne in uno quidem codice ex eis, quos Ruehlius ad suam editionem adornandam adhibuit, haec scriptura exstat.

1, 5, 9; 1, 6, 2; 2, 5, 10; 2, 6, 19; 3, 1, 2; 6, 1, 4; 7, 6, 1; 11, 11, 7; 9, 2, 12; 28, 2, 5; 31, 4, 10; 31, 8, 1; 41, 4, 7.[1]) uno loco hoc verbum cum praepositione 'in' coniungitur: 28, 4, 8 'ingressusque in urbem'. illudo in eorum versatur numero verborum, quae iam a praestantissimis scriptoribus et cum dativo et cum accusativo coniungebantur. ita Cicero ipse sine conspicuo notionis discrimine huic verbo modo accusativum modo dativum adiunxit: de or. 1, 57, 243, pro dom. 39, 104. item Tacitus utramque usurpat structuram: Ann. 1, 71; 13, 17. quae cum ita sint, num offendere nos debet, quod eandem varietatem apud Iustinum reperimus? Ruehlio igitur non possum adsentiri, qui id agens ut Iustini orationem ad unam exaequaret normam, 16, 5, 11 a plerisque et gravissimae auctoritatis codicibus, CTΠ, 'deos . . . inludat' suppeditantibus recedendum et Italicorum codicum scripturam 'deis' recipiendam opinatus est, nimirum eo, quod altero loco 18, 7, 14 verbum 'inludere' dativus sequitur: 'ne quis posthac infelicibus miseriis patris inludat'. impugno 22, 4, 2; 23, 2, 7, passive: 22, 2, 4; 23, 2, 4. in verbi inrumpo usu Iustinus cum Caesare Sallustio Tacito Valerio Maximo aliis conspirat, qui hoc verbum et cum accusativo solo et cum praepositione 'in' coniungunt: 2, 11, 15 'castra inrumpunt', 13, 3, 4 'in regiam inrumpunt', 24, 6, 1 'in Macedoniam inrumpit'. Cicero a structura nudi accusativi abhorret. paulo insolentior est accusativus verbo insilio adiunctus 25, 4, 8 'quinqueremem ex scapha cum septimo insiluerit'. reperitur haec structura apud poetas velut Hor. A. P. 466, item apud Sallustium, Hist. 5, 3 D.; sed ab aliis eiusdem aetatis scriptoribus praepositio 'in' iteratur, cf. Caes. bell. Gall. 1, 52, 5, Liv. 6, 7. verbum Iustino valde frequentatum est invado, quod e more scriptorum posteriorum (cf. exempli causa Flor. 1, 1, 6, 1; 1, 7, 14) cum accusativo consociavit: 4, 5, 9; 5, 8, 12; 6, 2, 11; 12, 8, 3; 12, 13, 2; 16, 1, 5; 16, 4, 6; 16, 5, 18; 18, 1, 1; 18, 3, 7; 21, 2, 10; 21, 4, 1; 21, 4, 3; 25, 3, 5; 26, 2, 3; 27, 3, 1; 31, 1, 2; 36, 1, 7; 36, 4, 6; 37, 4, 3; 38, 1, 2; 38, 2, 3; 41, 4, 7; 42, 4, 14; 43, 4, 7. accuratius considerandus est locus, qui legitur 39, 3, 5 et codicum laborat dissensu. in ITP enim haec exstant: 'quae sui aemulatione in hoc potissimum regnum invaserit', codice C autem pro 'invaserit' exhibetur 'innupserit', quam scripturam Ruehlius amplexus est. at mihi quidem praeferendum videtur id, cui codices ITP patrocinantur. nam 'invaserit' est verbum h. l. multo efficacius et gravius, quod Triphaenae crudelissime in Cleopatram sororem consulentis animo vehementi et perturbato optime convenit. Triphaena enim Cleopatram, cum mariti sui nupsisset hosti ad eumque exercitum velut dotalem deduxisset, tamquam invasisse mente fingit in regnum a se et coniuge suo occupatum.

---

[1]) H. l. Faber scripturam traditam temere mutare voluit, qua de re conferas, quae exposuerunt viri docti apud Frotscherum.

languidum vero 'innupserit' [1]) nihil aliud esse videtur quam explicatio quaedam verbi 'invaserit', quod a Ruehlio eo potissimum damnatum esse suspicor, quia hoc uno loco cum praepositione 'in' ab Iustino construitur. introeo 12, 13, 3. obeo 41, 3, 4. oppugno 7, 6, 14 al. obsideo 1, 5, 10 al. peragro 12, 10, 1; 44, 4, 8. pervagor 37, 3, 4. praecedo 14, 4, 15. hoc verbum cum accusativo iunctum, quod apud elegantissimos scriptores, si Caes. bell. Gall. 1, 1, 4 exceperis, frustra quaeres, Livius in orationem pedestrem induxit, inde a quo increbrescit, cf. Liv. 7, 13, 2, Quintil. 9, 4, 82 al. praegredior 24, 3, 4. primus huic verbo accusativum adiecisse videtur Livius, cf. 36, 31, 7. praevenio 22, 3, 7; 32, 4, 8; passive 21, 4, 6; 32, 3, 3. is usus invenitur apud Sallustium (Iug. 71, 5) Livium alios, sed a Cicerone et Caesare plane est alienus. verbi praetereo passiva tantum forma ab Iustino adhibetur: 21, 5, 10; 41, 5, 10; 42, 1, 3; 42, 2, 8. subeo 14, 2, 3; 27, 1, 3; 41, 2, 9. accusativus cum verbo supergredior coniunctus 42, 2, 3 'claritatem parentum .... supergreditur', 44, 5, 6 'res gestas supergressus', Iustino communis est cum aliis scriptoribus, qui post Augusti aetatem vixerunt, velut Tac. Ann. 14, 52, Val. Max. 4, 3, 3. transcendo 11, 8, 2; 24, 4, 4; absolute positum 23, 1, 2; 37, 3, 5.

Verba, quae contra linguae Germanicae usum apud optimos scriptores latinos obiectum in accusativo positum sibi poscunt, Iustinus fere omnia cum hoc casu coniunxit, veluti 'aequo, fugio, imitor, iuvo, sequor'. talia igitur non curo; sed operae pretium erit ea verba in medium proferre, quae contra regulam illam notissimam dativum apud Iustinum recipiunt. huc igitur primum spectat adulari 12, 13, 2 'ut cunctae gentes velut destinato sibi regi adularentur', quam structuram Cicero omnino vitavit, semel admisit Cornelius Nepos Att. 8, 6 'adulatus est Antonio'. praeter dativum Iustinus sicuti Livius etiam accusativum posuit 8, 4, 8 et 17, 2, 10 ('adulatur eum' ex A. Gronovii coniectura). deinde adfero aemulari 6, 9, 1 'cui aemulari consueverant'. haec structura, quamquam apud Ciceronem Tusc. 1, 19, 44 'quod iis aemulemur, qui ea habeant' obviam fit, tamen insolita dici potest. nam a Caesaris Cornelii Nepotis Sallustii Livii dictione plane abest, atque etiam Cicero pro Flacc. 63 accusativum rei huic verbo subiunxit. alter autem locus Ciceronianus, Tusc. 4, 26, 56 'obtrectare vero alteri aut illa vitiosa aemulatione ... aemulari quid habet utilitatis?' inde accipit excusationem, quod 'aemulari' non cum dativo ipso coniunctum est, sed ad verbum 'obtrectare' se adplicat. [2])

---

[1]) Adde quod 'innupserit' iam propter id, quod sequitur 'nubendo', vix ferendum esse videtur.

[2]) Nonnulli grammatici (velut Reisigius Schol.[2] p. 603 sq., Kuehnerus Gr. lat. II p. 194 adn. 1) putaverunt verbum 'aemulari' cum dativo coniunctum 'leidenschaftlich nacheifern' significare, accusativo autem adnexum in bonam partem esse accipiendum. quam sententiam omni carere causa suo iure adnotavit Haasius (adn. 544).

Quod cum accusativo coniunxit Iustinus verbum latere 13, 8, 6; 31, 2, 2, id a vulgari sermone vix licet seiungere. nam apud urbanos scriptores haec constructio non exstat: reperitur apud Varronem atque in eis libris, in quibus materia quae tractatur sermonem requirit cotidianum, dico libros de re rust. 1, 40: 'unum quod latet nostrum sensum'. etiam Gellius, cuius sermoni multas immixtas esse constat locutiones vulgares, huius structurae duo exhibet exempla: 9, 16, 1; 13, 29, 6, ita tamen, ut utroque loco praecedat verbum 'fugere'. quae cum ita sint, minus de Graeci sermonis imitatione (λανθάνει με) cogitabimus, quod facit Reisigius Schol.[2] p. 600, quam de vulgaris latini consuetudine.

Ad eundem sermonem referamus oportet usum adiectivorum in -bundus desinentium. ex quo genere est 'meditabundus', quod cum accusativo constructum videmus 38, 3, 7 'omnes has gentes Romanum meditabundus bellum variis beneficiorum muneribus iam ante inlexerat'. tales formas in sermone plebeio latius patuisse inde intellegimus, quod non solum in priscae linguae reliquiis inveniuntur velut apud Naevium fr. fab. 120 R. 'cassabundus', Lucr. 4, 690 'errabundus', sed etiam apud scriptores minime elegantes, immo plebeios, cf. bell. Afr. 2, 5; 21, 3 et Vitruv. 4, praef. 1 'errabundus' et Petron. 62 'cantabundus'. his locis accedunt nonnulla exempla in Vulgata quae dicitur exstantia, quae Roenschius p. 138 congessit. denique ex inscriptionibus parietariis Pompeianis adtulit Guerickius p. 33 'ruibundus'. sed 'meditabundus' non unicus apud Iustinum testis est huius formae plebi usitatae (immo alia quoque inveniuntur, veluti 'gratulabundus' 6, 8, 13, 'exultabundus' 18, 7, 10, 'pudibundus' 23, 4, 5; 38, 8, 10), sed solum 'meditabundus' iuxta se habet accusativum. hic casus ponitur etiam post participia exosus et perosus: 13, 8, 2 'quam (arrogantiam) exosi etiam ad Antipatrum gregatim profugiebant', 17, 1, 4 'Agathoclem, filium suum ... non solum ultra patrium, verum etiam ultra humanum morem perosus ... interfecit'. quae a Vergilio ut videtur primo adhibita (Aen. 5, 687 'exosus ad unum Troianos', 6, 435 'lucemque perosi') ac fortasse etiam ab eo primo formata in Livii abierunt sermonem (cf. 3, 58, 1 'perosus decemvirorum scelera' al.). atque horum similitudine adductus Iustinus etiam participio pertaesus accusativum subiecit 38, 9, 4 'Demetrius privatam etsi opulentam vitam pertaesus tacitus ... fugam meditatur'. eandem structuram apud Suetonium reperimus: Iul. 7, Aug. 62, Tacitus contra utitur genetivo Ann. 15, 51.

De accusativo verbali.

Vim substantialem, quae uniuscuiusque verbi inhaeret notioni, tamquam obiectum cum verbo ipso interdum coniungi, qua re vis verbi amplificatur, omnes sciunt ac talem accusativum nomine accusativi verbalis vel

obiecti interni designant. cuius obiecti duae potissimum formae sunt, quarum in priore accusativi locum substantivum eiusdem stirpis, quae est verbi, obtinet, in altera substantivum cognatae notionis. praeter has autem etiam tertiam hoc in genere ponere licet formam, quae ita est comparata, ut obiectum, etiamsi non est substantivum eiusdem stirpis aut cognatae significationis, adtributo tamen substantivi eius modi contineatur. ac duae illae priores huius structurae formae aut certe prima ad eam pertinet figuram, quae vocatur etymologica.[1]) hac autem figura Iustinus non tam frequenter suam exornavit dictionem, quam Apuleius nonnullique alii scriptores, immo eam sicut Cornelius Nepos Velleius Paterculus Tacitus paucissimis locis admisit. quid quod accusativi[2]) etymologici i. e. verbi cum accusativo substantivi eiusdem stirpis coniuncti, unum tantum, si recte observavi, in huius scriptoris libris reperitur exemplum, atque id, quod ne a Cicerone quidem est alienum, dico 'facinus facere': 39, 3, 7 'ne tam foedum facinus facere cogatur', quo loco ad adtributum quoque substantivo adiunctum velim animum intendas. neque vero ubique Iustinus substantivum 'facinus' cum verbo eiusdem etymi consociavit, sed aliis locis, velut 12, 6, 8 'peregissetque facinus', verbum synonymum substituit. alter locus, ubi verbo adiunctum videmus substantivum eiusdem originationis, 11, 5, 10 'iaculum velut in hostilem terram iecit', huc referri non potest, quia obiectum non explicante se demum actione nascitur, sed iam ante actionis initium exstabat.

Iam quatenus alteram obiecti interni formam adhibuerit Iustinus, si quaeris, duo in medium profero exempla eaque minus solita: 26, 2, 2 'auspicia belli a parricidio incipientes' et 27, 1, 1 'auspicia regni a parricidio coepit'. nam his duobus locis vox 'auspicium' plane idem significat quod 'initium', sicuti verbum 'auspicari' idem esse supra (p. 76) cognovimus quod 'incipere'. paulo maior exemplorum copia illius accusativi verbalis formae in promptu est, quam tertio loco posuimus eamque iis locis inesse diximus conspicuam, quibus accusativus efficitur substantivo, quo notionis substantialis verbo inhaerentis continetur adtributum. huc igitur spectat 1, 8, 13 'satia te sanguine, inquit, quem sitisti', qua locutione Cicero quoque usus est Phil. 5, 7, 20 'sanguinem nostrum sitiebat'. ab optimorum autem scriptorum dicendi consuetudine longe abest accusativus a verbo 'sudare' pendens, qui legitur 36, 3, 5 'hae certo anni tempore balsamum sudant'. hoc enim verbum apud meliores scriptores, si casus adiungitur, ablativum adsciscit. accusativus vero ab aetatis demum Augusteae poetis (cf. Verg. Buc. 4, 30, Ovid. Met. 10, 308) usurpatur, unde in prosam orationem posterioris aetatis immigravit, veluti Val.

---

[1]) Subtilissimam et maxime ad docendum idoneam de hac figura instituit quaestionem G. Landgrafius Act. sem. phil. Erlang. II, p. 1 sq.

[2]) De ablativo etymologico infra disputabitur.

Max. 1, 6, 5, Tac. Germ. 45. plebeium sermonem redolere mihi videtur locutio 41, 1, 9 'longinqua bella vicisse'. ac Diezius III[5], 848 multis adlatis exemplis testatur in linguis romanicis plane eandem locutionem usitatam esse. quoniam autem in hanc rem incidit sermo, aliud exemplum eius modi, sed minus insolitum proponam 12, 15, 11 'hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset', quam locutionem Iustinus aeque translato sensu adhibuit atque Cicero or. 12, 39 'de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum'. iam vero duo spectemus verba, quibus fere eadem subest notio: excusare et causari, quorum utrique accusativus causae adnectitur: 18, 7, 16 'belli necessitatem excusat', 9, 2, 7 'Atheas inclementiam caeli et terrae sterilitatem causatus'. sed cum structura 'excusare aliquam rem' optimae latinitatis propria sit, verbum 'causari' Cicero non usurpat nisi absolute; Sallustius demum et Livius substantivum in accusativo positum adiungere solent, velut Sall. Hist. 5, 12 'militum voluntatem causatus', Liv. 3, 64, 2 'consensum patrum causabantur' al. denique ad hoc accusativi genus referamus oportet praefari cum substantivo 'veniam' coniunctum 31, 5, 3 'veniam deinde libertati praefatus', quae locutio Iustino cum Apuleio Met. 1, 1 'en ecce praefamur veniam' communis est.

De accusativo duplici.

Hoc in capite primum agendum est de accusativo praedicativo, qui verbis illis notissimis, quae sunt 'facere, reddere, efficere; appellare, nominare, vocare, dicere; putare, existimare, habere, iudicare', alia, subicitur. ex his autem ea tantum expromamus, quae aliquid habent, quod notatu dignum est. atque inprimis circumlocutiones quaedam, in quibus verbum facere usurpatur, animadvertendae sunt. hoc enim verbum haud raro cum accusativo adiectivorum quorundam ita copulatur, ut verbi transitivi aut intransitivi vice fungi videatur. quam dicendi consuetudinem, quamquam ne ab urbano quidem sermone omnino aliena erat, tamen vulgi maxime ore celebratam esse inde cognoscitur, quod larga huius usus exemplorum nobis exstat in comicorum fabulis, Ciceronis orationibus prioribus eiusque epistulis (cf. Hellmuth. s. 51), commentariis de bello Africano et Hispaniensi, denique in linguis romanicis (cf. Diez. III[5], 849). atque ex Iustino haec exempla adferenda sunt: 7, 6, 2 'scelus matris hunc residuum fecerat' pro 'reliquerat' et 37, 3, 2 'Philippum, Macedonum regem, fugacem fecerant.'[1]) deinde memorabile est verbum reddere cum accusativo substantivi praedicativi coniunctum, quod his locis legitur: 9, 6, 6 'perductum in convivium solutumque mero Attalus . . . ludi-

---

[1]) Cum eodem verbo 'facere' Iustinus substantivum verbale 'transitus' ita coniungit, ut una exprimatur notio: 15, 4, 12 'transitum deinde in Indiam fecit', 42, 2, 7 'in Armeniam transitum facimus'; cf. bell. Hisp. 26, 2 'ut transitionem facerent' et Vitruv. 9, 4, 11.

brium . . . omnium inter aequales reddiderat', 15, 3, 4 'eamque . . . deforme ac miserandum spectaculum reddidisset', 16, 3, 12 'si quos hostes habuerant, amicos reddidissent'. nam praestantissimi scriptores nullum aliud huic verbo adponere solent nomen nisi adiectivum. neque magis optimae latinitati convenit huius verbi passiva structura, quam Iustinus sicut Celsus Seneca Florus alii satis frequenter usurpavit: 16, 4, 6 'Clearchus exilio facinorosior redditus', 22, 7, 2 'Poeni segniores redditi', 27, 2, 4 'ditior redditus', 29, 4, 3 'ne dubius adhuc indubitatus hostis redderetur', 34, 4, 4 'privatusque redditus' (quocum loco cf. Cic. fr. p. 249, 30 M. 'ad collegam reddendum privatum'), 37, 1, 8 'terribilior redderetur', 42, 5, 4 'insolentior Phrahates redditus', 44, 1, 10 'praecipua hominibus sanitas redditur', 44, 3, 8 'ferrum acrius redditur'. accusativum praedicativum contra elegantissimorum scriptorum consuetudinem nonnulla apud Iustinum adsumunt verba, quae hoc loco paucis perstringere in animo est. facile vero existimet quispiam in nonnullis exemplis infra adlatis accusativi cum infinitivo structuram statuendam esse verbo 'esse' omisso, quam ellipsim apud Iustinum nequaquam esse insolitam bene scio. sed ad veram rationem propius accedere mihi videor, si constructionem duplicis accusativi his locis agnoscendam esse puto. huc igitur pertinet polliceri 11, 7, 7 'polliceturque se et matrimonii et spei sociam', 39, 1, 2 'regnum Aegypti Cleopatra socru pretium auxilii adversus fratrem suum pollicente'. similiter dixit Sallustius Iug. 93, 6 'pollicetur sese itineris periculique ducem'. eodem modo res se habet in verbo pati, ubi praedicativi locum aut substantivum aut adiectivum obtinet: 4, 3, 4 'cum Syracusanos graves paterentur', 6, 5, 11 'quos tunc hostes habuerant, et hostes nunc paterentur', 9, 4, 4 'quos passus infestissimos fuerat', 23, 2, 6 'ne praedonem regni sui hostem paterentur'; cf. Sall. Hist. 1, 48, 16 et 17. accusativum praedicativi secum porro habet verbum recusare 13, 2, 11 'Ptolomaeus recusabat regem Arridaeum', cuius structurae Cicero unum tantum exhibet exemplum pro Flacc. 38, 97 'populum Romanum disceptatorem non modo non recuso sed etiam deposco'. plane autem abhorret ab huius dictione duplex accusativus e participio ratus suspensus, quem Iustinus Sallustii morem secutus posuit 12, 2, 16: 'otiosum se ratus'. item verbo observare adicit accusativum nominis praedicativi: 11, 7, 11 'iubentur eum regem observare', 41, 4, 10 'quem diem Parthi exinde sollemnem observant'. magis insolitus est duplex accusativus a verbo gloriari pendens 42, 4, 11 'victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur', cuius usus similitudinem quandam apud Ovidium Met. 6, 176 conspicimus, ubi duplex ablativus legitur: 'socero quoque glorior illo'. accusativus autem nominis ab aliis scriptoribus verbo 'gloriari' non subicitur; neque in loco Liviano 27, 17, 10 hunc casum licet statuere, sed Weissenbornii probanda est sententia, qui verbis 'eam velut primam occasionem raptam' accusativi cum infinitivo structuram inesse intellexit. nam Livius sicuti Cicero

cum verbo, de quo agitur, nisi pronominis neutri accusativum non coniungit.

Duplicem deinde accusativum et personae et rei flagitare docent grammatici verba, quibus docendi rogandi poscendi interrogandi inest notio. quibus in verbis construendis Iustinus fere congruit cum usu optimae latinitatis temporibus observato ac rarissime tantum admittit structuram, quam qui elegantissimae elocutionis studiosi erant diligenter evitabant. quae cum ita sint, in hac parte tractanda maiore licet uti brevitate. neque opus esse videtur exemplis adlatis confirmare et personam, quam quis docet vel perdocet, et rem, qua quis instruitur, in accusativo ab Iustino poni, contra in verbo edocere rem aut praepositione 'de' aut enuntiato interrogativo exprimi. verba autem poscendi, postulandi, flagitandi ab Iustino non cum duplici accusativo, sed cum accusativo rei coniunguntur. et si persona designanda est, a qua quis postulat, ea ablativo cum praepositione 'ab' coniuncto significatur. item verba, quibus orandi vis inest, simplicem tantum secum habent accusativum, velut 8, 4, 7 'aut rogantem bellum aut deprecantem'. hac igitur structura usus Iustinus nihil facit contra dicendi scriptorum optimorum consuetudinem; contra si 11, 15, 11 dixit: 'veniam orare', a Ciceronis et Caesaris dictione, qui huic verbo tantum pronominis neutri accusativum adiunxerunt, recessit. verbis orandi proxima sunt verba interrogandi, post quae nihilo magis duplicem accusativum usurpatum reperimus. ea autem, cum nihil praebeant, quod memorabile sit, enumerare supersedeo: id tantum adnotasse satis habeo verbum sciscitari ex analogia verborum interrogandi ab Iustino sicut a Livio et Suetonio cum accusativo personae iungi: 5, 7, 4 'alius alium sciscitari'. ii autem, qui elegantiore utuntur dictione, sciscitari aliquid ex aliquo dicunt. restat ut dicam accusativi, qui graecus vocatur, ne unum quidem apud Iustinum me repperisse exemplum. consulto igitur sicut Cicero Caesar Cornelius Nepos Quintilianus alii talem accusativum vitavit. de accusativo autem temporis agemus, si ad ablativum temporis disputatio pervenerit.

De genetivi usu.

Genetivi, quamquam etiam cum adiectivis et verbis coniungitur, principale tamen propriumque id est, ut substantivi notionem accuratius definiat et constituat. ex hac igitur genetivi natura ipsa sequitur, ut primo loco de huius casus cum substantivis coniunctione quaestionem instituamus. atque ab ea incipiamus structura, in qua primigena genetivi significatio satis liquide cernitur, quamquam ea saepe perverse explicatur, dico mariti nomen nomini uxoris in genetivo adpositum. huius modi exemplum Iustinus praebet 17, 3, 6 'Andromacham Hectoris', quo loco si Fittbogenius adnotat 'uxor' esse mente intellegendum, id in homine eius aetatis facile excusabitur. verum mirum

sane est Draegerum ipsum vel in altera sui de syntaxi libri editione (I, p. 485, s. 208 b) eandem amplecti explicationem, cum ellipsim substantivi, a quo genetivus pendeat, statuendam esse opinatur. at genetivum ab ipso verbo 'Andromache' pendere patet; neque ea locutione diserte Andromachen Hectoris esse uxorem significatur, id quod non ex genetivi natura cognoscimus, sed ex historia; cf. Rumpelii librum de casibus p. 205 sq.

De genetivo adpositivo cognatisque constructionibus.

Notissima est Romanorum consuetudo substantivum, quod alteri tamquam adpositio eodem casu adiciendum erat, in genetivo ponendi. ac substantivum, unde pendet genetivus, notionem continet generalem, specialem id quod expressum est genetivo. hoc igitur genetivo, quem haud iniuria adpositivum vel definitivum adpellant, quatenus Iustinus usus sit, si quaeris, primum respondendum est genetivum urbium fluviorumque nominum e nomine adpellativo (velut urbs, oppidum, flumen) suspensum apud hunc scriptorem non inveniri. sed aut adpositio pro eo usurpatur aut adiectivum a nomine proprio derivatum tamquam adtributum nomini adpellativo additur. ita legimus 43, 5, 8 'urbem Romam' ('romanam' T), ceteris autem locis dicitur 'urbs Romana' 6, 6, 5; 24, 4, 2; 43, 1, 1; 43, 3, 1; 44, 1, 4, quae locutio etiam apud Livium (5, 7, 10) Florum (1, 8, 21) Senecam (ad Polyb. de cons. 14, 5) alios reperitur. uno tantum loco Iustinus a fluminis nomine derivavit adiectivum idque, ut recte iudicat Beneckius, eo consilio, ut Graeci oraculi verba (Ἀχερούσιον ὕδωρ) quam accuratissime redderet, dico 12, 2, 3 'amnem Acherusium'. pro hac locutione, quae maxime a poetis celebratur, cf. Hor. Epist. 1, 11, 4, Verg. Aen. 11, 449 'flumen Tiberinum', aliis locis Iustinus semper adpositionem adhibet, velut 12, 2, 14 'flumen Acheronta'; cf. 2, 4, 2; 1, 8, 2; 2, 2, 1; 11, 8, 3; 42, 3, 9. saepe substantivum 'nomen' in circumlocutione quadam ponitur ita, ut ea substantivi in genetivo adiuncti, quod est nomen proprium, notio magis intendatur: 2, 4, 33 'cum omni Amazonum nomine', 5, 8, 4 'Atheniensium nomen', 6, 9, 6 'Macedonum nomen', 13, 6, 12 'Alexandri Philippique nomina', 43, 5, 4 'nomen Massiliensium'. rarius hoc modo nomen adpellativum adnectitur, velut 12, 4, 1 'ut etiam patriae nomen eiuraret' ('patris' coniecit Bongarsius). genetivi locum nonnumquam obtinet adiectivum, veluti 24, 4, 7 (25, 2, 10) 'terror Gallici nominis'.

Praeterea apud Iustinum ad multa alia substantiva accedit genetivus, inter quem et substantivum, unde pendet, eadem fere ratio intercedit quae inter speciem et genus. cuius usus haec conferas exempla: 15, 4, 5 'figura anchorae', 18, 4, 12 'onera harenae', 16, 5, 4 'virtute ingenui pudoris', 8, 3, 2 sacrilegii scelere',[1]) 2, 6, 11 'refugia montium', 27, 1, 3 'infamiae maculam',

---

[1]) Raro in genetivi locum substituitur adiectivum velut 27, 1, 10 'parricidale scelus'.

12, 5, 5 'saevitiae macula', 7, 5, 2 'gratiam pacis'. quibus in exemplis cum summum momentum in genetivo positum sit, in eis, quos nunc adfero, locis substantivum, ex quo genetivus aptus est, graviorem continet notionem et adiectivi vice fungitur. ex larga exemplorum copia nonnulla proferam: praef. 6 'obtrectationis invidia (obtrectatio invidiosa)', 1, 6, 9 'perfidia defectionis (*treuloser Abfall*)', 5, 2, 6 'aetatis flore et formae veneratione (aetate florenti et forma venerabili)', 5, 5, 7 'morum luxuria (*schwelgerische Sitten*)', 8, 6, 6 'conscientiae pudore (*beschämendes Bewusstsein*)', 12, 13, 10 'intemperiem ebrietatis (*unmässige Trunkenheit*)', 14, 4, 6 'ignominia mortis (*schmachvoller Tod*)', 14, 5, 6 'murorum praesidio (*mit schützenden Mauern*)', 15, 3, 9 'constantiam tantae virtutis (*solch' unerschütterlicher Heldenmuth*)', 13, 4, 18 'ad novitatem regni (ad novum regnum)', 24, 2, 2 'concordiae fraude (*betrügerische Eintracht*)', 31, 5, 5 'occasionem loci temporisve (opportunum locum tempusve)', 42, 1, 4 'iniuriarum indignitas (*unwürdige Misshandlungen*)'.

Quod supra diximus de substantivo 'nomen', idem valet de aliis, quibus amplior inest vis (velut 'officium, obsequium, munus, numen' alia), circumlocutionis causa cum genetivo coniunctis, quamquam ad sententiam intellegendam nequaquam sunt necessaria: 17, 3, 20 'adoptionis officio', 23, 2, 8 'obsequio debitae pietatis', 20, 2, 6 'Minervae numen', 11, 15, 10 'superum inferumque numina', 38, 3, 7 'beneficiorum muneribus', 1, 8, 9; 7, 5, 6 'insidiarum fraude'. quibus adde 36, 4, 4 'aerariae artis fabrica', 29, 1, 5 'ex facinoris crimine', 17, 1, 5 'prima mali labes'.[1]) ab his exemplis transimus ad dicendi genus perquam mirum, dico substantivi cum genetivo synonymi constructionem. cuius rei disquisitio sane quidem potius in elocutionis quam in syntaxeos cadit rationem, sed liceat mihi eam hoc loco fusius tractare, non solum quia is usus satis frequens in Iustini dictione a nemine dum satis exploratus est, sed etiam quia, ut in verbis huius scriptoris recte constituendis respiciatur, necesse est, a Ruehlio tamen eius rei ratio habita non esse videtur. atque genetivum substantivi ad alterum substantivum, cui utrique eadem fere vel similis inest notio, ab eis plerumque adponi adhuc observatum est scriptoribus, qui altero et tertio p. Chr. saeculo in Africa septentrionali vixerunt et loci natura hominumque illic habitantium consuetudine commoti novum quoddam dicendi genus paulatim excoluerunt, quod nomine Africanae solet designari latinitatis et maxime conspicuum est eximio quodam verborum tumore. ita Apuleius Madaurensis, de cuius dictione disputavit H. Koziol in libro de L. Apulei elocutione (Vindob. 1872), innumera fere huius abundantiae exhibet exempla. deinde Arnobius hac utitur dicendi consuetudine, id quod ex indice a Reifferscheidio confecto p. 347 evidenter elucet. atque etiam

---

[1]) Desumptus est hic locus ex Verg. Aen. 2, 97 'hinc mihi prima mali labes'.

ad posteriora usque tempora eam permansisse Victoris Vitensis Martiani Capellae aliorum scriptis comprobatur. copiosissime de hac re disseruit C. Sittelius in tertia parte libri, cui inscripsit '*Die localen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des africanischen Lateins* (Erlangae 1882)'.[1]) verum non solum horum inferioris aetatis scriptorum usus, de quo agitur, proprius est, sed prima eius vestigia iam apud poetas aetatis Augusteae deprehendi possunt, veluti apud Vergilium Aen. 2, 458 'summi fastigia culminis', 5, 422 'magnos membrorum artus'.[2]) Iustinus autem, etiamsi illa sermonis Apuleiani abundantia, quae haud raro ad tautologiam accedit, in eius opere non reperitur, satis largam tamen praebet locorum copiam, ubi substantivum cum genetivo synonymi consociatur. neque discrepat hac in re ab eo studio, quod praeterea prae se fert et eo spectat, ut orationem ubertate quadam amplificet. iam ut aperiam, qualia sint illa substantiva synonyma, ea praevalent, quae cogitationi tantum subiecta sunt, non sensui. ac saepe notio substantivi, ex quo pendet genetivus, huius exprimit qualitatem vel partem significat. his igitur in universum expositis singula quae collegimus exempla in conspectu ponamus: 2, 13, 12 'escae illecebris', 24, 6, 8 'saxi rupes' (cf. Apul. Met. 5, 27 'saxa cautium'), 43, 2, 10 'adulescentia iuvenis'. sicut in hoc exemplo id quod proprium ac peculiare est iuvenis diserte exprimitur, ita 11, 4, 9 profugiendi actionem planius quam necesse est explicat scriptor his verbis: 'portas refugiis profugorum... aperuere'. haud recte Ruehlius orationis abundantiae tollendae causa vocem 'profugorum' expunxit. his adde 30, 4, 3 'ruinarum labe', 24, 8, 4 'culminis aperta fastigia' (cf. Verg. Aen. 2, 458 'summi fastigia culminis'), 31, 6, 3 'adsentationum adulationibus', 2, 6, 16 'simultatium veteres offensae', praef. 6 'obtrectationis invidia', 7, 2, 6 'gloria bellicae laudis', 18, 7, 19 'bellicae gloriae laudes', 27, 1, 5 'casum tam indignae fortunae', 22, 4, 3 'status praesentis fortunae' (vide Wopkensium ad h. l. apud Frotscherum), 7, 1, 12 'gentibus variorum populorum' (v. interpretum notas ad h. l. et cf. contrariam iuncturam apud Victor. Vitens. 1, 1 P. 'populus Vandaliciae gentis'), 13, 8, 6 'pervigilio noctis' (cf. Apul. Met. 11, 1 'noctis vigiliam'), 12, 12, 2 'adfinitatibus conubiorum', 9, 1, 8 'tirocinii rudimenta', 31, 5, 7 'fontium primordiis', 22, 1, 2 'principia originis' (cf. Apul. de dogm. Plat. 2, 26 'originis eius principia et fundamenta'), 20, 2, 3 'principio originum'. quibus locis respectis probabile fit 2, 1, 14 codicum scripturam 'utriusque primordii Scythas origine praestare' temptandam non esse. offendit autem in ea primus Faber (cf. Frotscheri edit. II p. 172) ac 'ratione' scribendum censuit pro 'origine'. et quamquam iam Wopkensius nullam

---

[1]) Cf. iudicium, quod G. Hartel de hoc libro fecit in Leutschii ind. phil. a. 1883, p. 786.

[2]) Substantiva cum genetivo synonymorum copulata etiam apud poetas Graecos obvia sunt, cf. Hes. Theog. 332 'ἀλλά ἑ ἶς ἐδάμασσε βίης Ἡρακληείης'.

emendandi causam esse recte ostendit, tamen Ruehlius novam proposuit coniecturam: 'utrisque primordiis Scythas origine praestare'. quam coniecturam non longe recedere a codicibus libenter concedo, nihilominus tamen Iustini dicendi generis ratione habita supervacaneam esse existimo. neque id quod in codicibus IΠ 'primordiis' exaratum est, Ruehlii sententiae praesidio esse potest; nam nemo est qui non intellegat illud 's' ex sequentis vocis ('Scythas') littera prima profectum esse. ad illustrandam porro hanc abundantiam sermonis praeter locos supra adlatos etiam 2, 1, 1 in auxilium vocari potest, ubi legimus: 'principium ab origine repetendum est'. ac similis exstat locutio apud Arnobium adv. nat. 1, 28 'a principe rerum fonte ortus sui originem ducere'. alter locus, qui eiusdem loquendi usus ratione habita expediendus esse mihi videtur, invenitur 5, 1, 1 'Alcibiades absens Athenis insimulatur mysteria Cereris initiorum sacra nullo magis quam silentio sollemnia enuntiavisse'. haec verba quod aegre tulerunt nonnulli viri docti, nequaquam miror. nam profecto ea quam habent verba 'mysteria Cereris initiorum' tautologia Iustini dictionem ignoranti tantam efficit admirationem, ut facile unum alterumve horum verborum tamquam glossema e textu submovendum suspicetur. atque ita fecerunt Berneckerus Faberus Graevius, qui 'mysteria' vel 'mysteria Cereris' eiecerunt. Ruehlius autem verba 'mysteria Cereris' retinuit, sed 'initiorum sacra' uncis inclusit. at Iustini usu cognito nonne violentum est a libris recedere? num iuncturae, quales sunt 'adsentationum adulationes' vel 'tirocinii rudimenta', minus sunt tautologia notabiles quam hic locus? et tamen hos locos non temptavit Ruehlius. ergo ne in illis quidem verbis offendendum esse ego puto. atque adiuvatur vehementer mea sententia Arnobii loco, quo plane eadem verba leguntur: adv. nat. 5, 39 'ex sollemnibus scilicet sacris atque i n i t i o r u m m y s t e r i i s'; cf. Victor. Vitens. 2, 68 'secreti arcanum'. reprehendendus porro est Schefferus, quem vocabulum 'nullo' offendit. nam forma neutra substantivi loco posita ('nullum') rarius quidem in elegantium scriptorum occurrit sermone, sed apud posteriores non est inusitata, id quod exemplis a Kuehnero Gr. lat. I, p. 410 d collatis comprobatur. in offensionem denique nonnullorum incurrit locutio copiosior pleniorque conformata 12, 15, 1 'Alexander indubitatam mortem sentiens agnoscere se fatum d o m u s m a i o r u m s u o r u m ait'. quo loco verba 'domus maiorum suorum' solius rationis legibus non flagitari negari non potest, immo concedendum est aut 'domus (suae)' aut 'maiorum suorum' ad intellegendam sententiam sufficere. sed non minus concedes ex eis, quae adhuc disputata sunt, scripturam traditam Iustini consuetudini optime convenire ideoque mecum repudiabis Faberi et Ruehlii sententiam, qui verba 'maiorum suorum' e textu removere voluerunt. item supervacanea est Gutschmidii coniectura scribentis: 'domus Aeacidarum ait, nam plerosque intra' vel 'domus Aeacidarum ait, nam plerosque maiorum suorum intra'.

Ad duorum synonymorum coniunctionem pleonasmum efficientem referenda etiam videtur vocabulorum 'certamen' et 'congressio' cum genetivis 'belli' vel 'proelii' iunctura, quae apud alios quidem occurrit scriptores, sed apud Iustinum frequentissima est. cum autem ea inter has voces intercedat ratio, ut 'congressio' vel 'certamen' partem efficiat rei totius h. e. 'belli' vel 'proelii' (quae vocabula ab Iustino saepissime alterum pro altero usurpari obiter tantum adnoto; cf. Fittbogenium ad 2, 6, 16), alterutra voce omissa nihil detrahitur de sententia idque eo minus, quod plerumque iam in antecedentibus agitur de bello. ac sunt profecto nonnulli loci, ubi substantivo 'congressio' genetivi 'belli' vel 'proelii' non adiciuntur. itaque iam proponam locos, quibus genetivi abundanter adponuntur: 2, 3, 11 'belli certamen', 17, 3, 16 'bellorum certaminibus', 20, 5, 14 'belli certaminibus', 4, 5, 1 'congressione navalis certaminis', 2, 12, 8 'ante navalis proelii congressionem', 22, 3, 9 'proelii congressio', 39, 3, 12 'repetita proelii congressione', 15, 1, 6 'prima belli congressione'. his igitur exemplis respectis nemo adsentietur eis, qui 31, 6, 5 codicum TP amplectuntur scripturam 'prima belli condicione'. immo Ruehlius probandus est, qui ex codicibus CI veram restituit lectionem: 'prima belli congressione'. quam lectionem si Ieepius impugnare studet loco qui est 38, 7, 6, collato: 'nunc se diversam belli condicionem ingredi', huic loco primum longe alia inest sententia, deinde is ne pertinet quidem ad Iustinum, quia ex oratione Mithridatis ad milites habita desumptus est, quam Trogi Pompei esse constat fragmentum. ceterum cf. Ruehl. '*Textesquellen*' p. 106 sq. iam eos subiciam locos, quibus 'congressio' reperitur genetivo non adiuncto: 2, 14, 8; 8, 1, 12; 11, 6, 10; 12, 8, 4; 36, 4, 9; 38, 9, 2; 38, 10, 5.

Quoniam ad Iustini sermonis abundantiam delapsa est disputatio, pauca mihi liceat addere exempla, in quibus substantivum, unde pendet genetivus, synonymum quidem non est, sed tamen idem declarat quod adiectivum cum genetivo coniunctum: 17, 1, 5 'initium impendentis ruinae', 16, 5, 8 'ex successu continuae felicitatis', 26, 1, 4 'turbatarum provinciarum motum', 25, 3, 6 'damna amissae Siciliae', 43, 5, 3 'ab initio conditae urbis'. huc pertinet etiam genetivus qualitatis, quem legimus 30, 4, 11 'puero immaturae aetatis', ubi Schefferus illud 'puero' glossatoris esse opinatus est.

De genetivo obiectivo.

Si inter genetivum et substantivum, quod regens dicitur, eadem intercedit ratio quae inter obiectum et actionem, qua id adficitur, genetivum obiectivum statuunt grammatici. hac autem grammaticorum significatione tritissima usus, ne quis falso de hac re me iudicare opinetur, diserte profiteor non genetivi ratione, si per se spectaveris, indicari nomen in genetivo positum pro obiecto substantivi regentis quod vocatur accipiendum esse, sed genetivo nihil aliud

effici, quam ut substantivum, unde pendet, accuratius definiatur ac constituatur. utrum vero genetivus obiectivus an subiectivus intellegendus sit, ex toto demum verborum conexu intellegendum est. atque inde saepe fit, ut una eademque genetivi iunctura modo subiective, ut ita dicam, modo obiective accipienda sit. itaque si genetivus obiectivus quem vocant ex obiecto enuntiati ortus est, facile adparet frequentissime eum adiungi eis substantivis, quae ex verbis transitivis derivata sunt. Iustinus hac in re cum bonis scriptoribus plane consentit, quod multa substantiva abstracta in '-io' et '-us' exeuntia, quae solam actionem designant, cum genetivo coniungit, velut: 'admiratio, adulatio, comminatio, contemplatio, exspectatio, exprobratio, miseratio, ostentatio, recordatio, ultio, venditatio'; 'aditus, apparatus, contemptus, luctus, respectus' al. praeterea multa substantiva secundae et primae declinationis interdum more non ita solito nominibus in genetivo positis accuratius definit, velut 3, 6, 2 'cuius (belli) auxilium', 6, 2, 1 'auxilia navalis belli', 22, 6, 4 'auxilio fugae', 23, 1, 15 'auxilium Graecarum civitatium', 43, 3, 5 'latrocinio maris' (cf. Sen. Contr. 1, 2, 8), 22, 4, 3 'consilii ... silentium' (cf. 10, 1, 6 'sileri potuit parricidium'), 44, 2, 3 'silentio rerum creditarum', 3, 5, 9 'damnorum solacia', 18, 1, 3 'solacia longinquae expeditionis', 8, 3, 11 'parricidii voto', 11, 5, 4 'belli vota', 20, 4, 8 'matronarum ... doctrinam et puerorum', 3, 4, 3 'perseverantia belli' (cf. 12, 6, 15 'perseverata inedia est'), 2, 9, 5 'vindictam pudicitiae sororis'. sed ut iam in optimorum scriptorum sermone genetivus obiectivus non solum tum admittitur, cum substantivum regens verbi transitivi habet sensum, sed etiam de substantivis pendet a verbis intransitivis ductis, quae genetivo vel dativo vel ablativo iunguntur, ita fit etiam apud Iustinum, quod ex his cognosces exemplis: taedium 3, 3, 10 'consuescendi', 11, 1, 3 'longinquae militiae', 14, 6, 5 'longae obsidionis', 20, 5, 8 'quarum (dissensionum)', remedium 12, 10, 3 'veneni', 15, 3, 6 'calamitatium', 16, 3, 6 'belli ... pestilentiae', favor 15, 2, 3 'paterni nominis', 17, 2, 6 'ultionis Lysimachi', 35, 2, 3 'iuvenis accensi', 13, 6, 19; 14, 6, 1; 33, 1, 4 'sui', fiducia 2, 10, 24; 11, 6, 8; 23, 1, 1; 24, 8, 16; 43, 5, 3 'virium', 6, 4, 10 'nullius alterius', 11, 4, 10 'quorum', 11, 10, 12 'Karthaginiensium', 12, 6, 3 'amicitiae regiae', 12, 7, 6 'religionis Liberi patris', 12, 16, 10 'sui', 26, 3, 4 'pulchritudinis', 30, 3, 7 'Romanorum', 32, 4, 2 'Hannibalis', 39, 5, 6 'septingentorum filiorum', 42, 4, 3 'cognationis', successio 9, 2, 1 'regni Scythiae', 13, 1, 8; 17, 1, 4 'regni'; praepositio usurpatur hoc loco 3, 4, 8 'cuius (patris) in patrimonium successio speraretur'; blandimentum 31, 7, 9 'pacis', obsequium 3, 2, 9 'principum', 13, 2, 14 'tutorum', 22, 2, 8 'Poenorum'; praepositio adiuncta est 20, 4, 9 'in viros'; usus 2, 2, 9 'lanae ... ac vestium', 2, 6, 5 'lanificii et olei et vini' al. atque etiam pro locutionibus adverbialibus ponitur genetivus, cum substantivum regens ad verbum referri potest, quod nomen adsciscit ablativo expressum vel locutionem praepositione formatam. in hoc autem genetivi

obiectivi usu Iustinus nonnulla praebet exempla audacia quadam notabilia: 22, 8, 10 'qui a patre noctis errore discesserat' ('erravit nocte'), 30, 1, 9 'nervorum oblectamenta modulatur' ('oblectat [se] nervis'), 30, 3, 5 'cunctationem Macedonici belli', 41, 2, 1 'defectionem Macedonici imperii' ('defecerunt ab imperio Macedonico'), 39, 1, 3 'conversatione Parthicae crudelitatis', 44, 4, 8 'conversatione nutricis' (cf. Tac. Germ. 40 'conversatione mortalium', Quintil. 6, 3, 17 'ex conversatione doctorum'), 37, 3, 7 'gratulationes ... adventus sui et filii geniti', 23, 1, 12 'ad opinionem novae urbis', 25, 2, 7; 31, 6, 10 'opinio victoriae', 42, 2, 11 'opinione tam gloriosae expeditionis', 23, 2, 1 'principio opinionis adventus eius' (adventus opinionis IT [adventu opinionis H] Π), 24, 7, 6 'prima ... opinione adventus Gallorum', 1, 2, 10 'concubitum filii', 2, 4, 9 'concubitus finitimorum', 2, 4, 33 'Alexandri', 3, 4, 5 'omnium feminarum', 37, 3, 7 'amicorum mariti', 18, 5, 1 'appulsus terrae'; 3, 5, 9 'hortamenta virtutis', 31, 7, 9 'belli ... inritamenta' (cf. Liv. 30, 11, 7 'inritamentum certaminum'), 10, 2, 5 'iurgia patris' (cf. 9, 7, 3 'cum ipso patre iurgaret', 21, 5, 7 'adversus lenones iurgare'), 2, 15, 3 'receptacula futuri belli' (cf. Liv. 6, 33, 4 'receptaculum ... adversae pugnae'), 9, 1, 9; 33, 1, 5 'impensas belli', 9, 2, 5 'imp. obsidionis', 12, 1, 1 'imp. funerum'.

Accedo iam ad genetivum eis substantivis adpositum, quae ab adiectivis denominata sunt cum genetivo vel dativo coniunctis. quo spectant haec exempla: memoria 1, 5, 3 'somnii responsique', 2, 7, 1 'nominis eius', 11, 9, 4 'veterum bellorum', 11, 13, 9 'caedium suarum', 12, 6, 3 'Philippi', 18, 3, 18 'veteris sceleris' (sceleris C, caedis ITΠ), misericordia 5, 10, 7 'exulis populi', 10, 3, 1 'non sanguinis, non sexus, non aetatis', 27, 2, 3 'naufragii', consortium 21, 1, 7; 24, 2, 4 'regni', societas 13, 1, 13; 22, 5, 5 'belli', 23, 2, 8 'non prosperae tantum sed omnis fortunae', amicitia 16, 3, 9 'regum Persicorum', orbitas 24, 5, 9 'amissorum filiorum', gratia 11, 15, 1 'victoris', 17, 2, 6 'memoriae', 32, 2, 6 'legationis', verecundia 14, 4, 21 'prioris amicitiae', 17, 2, 8 'matris', 39, 4, 2 'materni belli' al. his exemplis nonnulla addo, in quibus substantivum, unde pendet genetivus, ab alio derivatum est substantivo: 1, 7, 18 'adulterium uxoris' (cf. Tac. Ann. 4, 12 'adulterium Mutiliae'), 12, 8, 13 'duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam', quocum loco cf. 14, 2, 7 'militiam sub aliis', 31, 5, 8 'ministerium consilii sui', 5, 4, 17 'Graeciae victoria', 7, 6, 5 'quorum victoria', 11, 11, 10 'victoriam omnium bellorum'. quae enarravimus adhuc substantiva cum genetivo coniuncta a vocibus perfectis derivata sunt. iam vero ad ea transgrediamur substantiva, quae a radicibus ipsis manaverunt: animus 2, 4, 5 'nubendi', cf. 7, 2, 10; 9, 8, 20, bellum 1, 7, 10 'Graeciae', 2, 12, 1 'Persarum', cf. 3, 6, 10; 12, 2, 11 al. damnum 14, 3, 7 'patrimoniorum', 22, 6, 9 'carissimarum rerum', 25, 3, 6 'amissae Siciliae Italiaeque', gloria 1, 10, 1 'reciperati regni principum', honor 2, 6, 13; 29, 4, 3; 36, 2, 2; 42, 3, 6, locus 43, 5, 10 'spectaculorum',

munus 15, 4, 4 'concubitus', pretium 9, 2, 6 'officii', 11, 12, 2 'captivarum', 39, 1, 2 'auxilii', vis 31, 4, 1 'vires belli' (belli C, in bellum IΤΠ). quibus locis subiungo duo vocabula primitiva genetivo iuncta, quae personas significant: 'dux belli' 3, 5, 4; 5, 1, 1; 15, 4, 19, 'miles expeditionis' 21, 6, 5. restat, ut pauca adferam exempla substantivorum compositorum, quibus genetivus adicitur, quae mira quadam audacia excellunt: 8, 6, 6 'regni beneficio', 23, 3, 12 'naufragium maris'; substantivum 'naufragium' altero quoque loco cum genetivo coniunctum est, dico 16, 3, 10 'naufragio repentinae tempestatis', ubi genetivus non obiective quidem videtur accipiendus esse, sed propter insolitum certe usum dignus est qui commemoretur. notabilis denique est genetivus, qui legitur 11, 15, 7 'meritorum maximorum officia'.

Silentio praetereundus non est genetivus obiectivus pronominis reflexivi 'sui', quem Iustinus multo saepius quam meliores scriptores usurpavit Senecam philosophum et Tacitum, qui primi hunc usum ultra fines optimi sermonis extenderunt, secutus. cui usui quantopere Iustinus indulserit, hac demonstratur exemplorum copia: 12, 8, 16 'admiratio sui', 43, 1, 10 'admirationem sui', 39, 3, 5 'sui aemulatione', 1, 9, 20 'auxilium sui', 11, 14, 12 'sui conspectum', 22, 1, 11 'experimenta sui', 13, 6, 19; 33, 1, 4 'in favorem sui', 12, 16, 10 'fiduciam sui', 12, 6, 12 'metum et odium sui', 6, 7, 5 'recordatione sui', 11, 1, 8 'in spem sui' ('sui' om. ΤΠ), 39, 3, 11 'ultione sui', 3, 4, 15 'in ultionem sui'. ex huius igitur usus analogia Iustinus genetivum 'sui' etiam sensu subiectivo pro pronomine possessivo adhibet, qua re maior quaedam orationi additur vis: 14, 6, 1 'favorem sui in odium vertit', 22, 2, 5 'peculiaria in ipsum officia sui repromittens', 24, 6, 10 'quae (munera) magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem ob deorum responsa manifestant', 37, 2, 3 'magnitudine sui quartam partem caeli occupaverat et fulgore sui solis nitorem vicerat'. profecto huius usus vestigia iam optimae latinitatis temporibus inveniuntur, sed latius is patet apud posteriores demum scriptores atque inprimis apud Tacitum et Apuleium; cf. Tac. Hist. 3, 34 'a primordio sui', Ann. 4, 24 'primo sui incessu', Apul. Met. 5, 3 'fatigationem sui', ib. 6, 27 'tractu sui', de mag. 21 'ad usum sui'. neque minus haec dicendi consuetudo frequentatur a scriptoribus ecclesiasticis, e quibus maxime eminent Cyprianus et Ennodius. cf. ind. Cypr. p. 446, Ennod. 698; praeterea Claudian. 251, Eugipp. 92, Lucif. Cal. 372. quibus locis ut Draegeri opinio (Synt. lat. I², s. 204, p. 472), qua imminui hanc dicendi consuetudinem statuit temporibus inferioribus, refellitur, ita confirmatur eam sermoni vulgari esse adscribendam.

Quamquam longe lateque genetivi obiectivi usus apud Iustinum patet neque insolentia quadam interdum caret, tamen non, ubicumque is casus admitti potest, usurpatur, sed eius loco etiam praepositiones adhibentur ac frequentissime quidem praepositio 'in', velut 3, 4, 8 'cuius (patris) in patrimonium successio' (cf. 13, 1, 8 'successionem regni'), 12, 12, 2 'illorum cum in

se tum in pristinos reges fidem', ibid. 'sua in illos beneficia', 20, 4, 9 'obsequia in viros' (cf. 13, 2, 14 'tutorum obsequia'), 38, 9, 10 'mitem in Demetrium clementiam', 18, 4, 9 'odium in regem'. mirus admodum est usus praepositionis 'cum' 11, 9, 4 'Graecos veterum bellorum memoria internecivique cum Persis odii accendebat', 29, 1, 10 'quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat'.

Cum genetivus is sit casus, quo substantivi notio accuratius definiatur et circumscribatur, adiectiva autem ad eandem rem adhibeantur, facile est intellectu haec saepe numero genetivi vice fungi.[1]) conspicitur autem hic adiectivi adtributivi pro genetivo usus, de quo perquam copiose egit Wichertus '*Ueber den Gebrauch des adjectivischen Attributes an Stelle des subjectiven und objectiven Genetivs im Lateinischen.* Berolini 1875', in eleganti quidem sermone, sed angustis circumscriptus est terminis, contra apud argenteae aetatis scriptores multo frequentior est et nonnumquam ita comparatus, ut admirationem moveat. Iustinus quoque hunc usum amplectitur ac praebet quaedam, quae commemoratione digna sunt. e quibus hoc loco ea tractemus exempla, ubi adiectivum pro genetivo obiectivo positum videmus. ac substantiva quidem, quibus additur huius modi adiectivum, plerumque sunt a verbis derivata et rem quandam significant. adiectiva contra pertinent ad personas, raro ad res. iam adferam tres locos, ubi substantiva animi designant adfectum, adiectiva partim a nominibus propriis sunt ducta, partim ad rem militarem referenda, partim alius sunt generis: 29, 3, 7 'soluti metu Macedonico', 22, 2, 3 'depositis hostilibus odiis' (cf. Liv. 35, 30, 4 'hostili metu'), 24, 2, 1 'externo metu' (cf. Tac. Ann. 2, 44 'vacui externo metu'). multo frequentius occurrunt adiectiva, quae a substantivis derivata sunt, quibus consanguinitatis vinculum exprimitur, velut 27, 3, 4 'sub specie s o r o r i a e ultionis Asiae inhiabat', 35, 2, 1 'ut . . . p a t e r n a e ultioni servarentur', 9, 7, 1 'nec ipsum Alexandrum ignarum p a t e r n a e caedis extitisse', 12, 6, 6 'p a t e r n a s laudes tam iracunde se accepisse', 16, 1, 5; 43, 2, 10 'in ultionem m a t e r n a e necis' (cf. Tac. Ann. 14, 62 'maternae necis patrator'). personas porro significant adiectiva his locis: 23, 4, 3 'infantilis (infantis T) educatio', 1, 1, 1 'ambitio popularis'. raro, ut iam dixi, adiectiva deprehenduntur, quibus res quaedam designatur, velut 3, 4, 17 'possessio Tarentina' (cf. Val. Max. 2, 7, 4 'obsidioni Liparitanae'). at 15, 1, 3 'se . . . velle . . . filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare' huc referri non vult Wichertus p. 48, quod adiectivum 'Amphipolitana' sensum habet adverbialem: '*Die Gefangenschaft, welche jener zu Amphip. litt*'. iam ad ea accedo exempla, in quibus adiectivum adtributivum ad obiectum remotius est revocandum. etenim sicut genetivum eis adiungi videmus substantivis, quae ab adiectivis dativo iunctis denominata sunt,

[1]) Quid intersit inter has duas adtributorum formas, indicat Kuehnerus Gr. lat. II § 55.

ita talibus substantivis genetivi loco etiam adiectiva adponuntur atque ea, quae populum quendam significant, veluti: 31, 4, 8 'ignarus, quod familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet', 40, 1, 3 'instructum praeter domesticas vires et Parthica societate et Mithridatis adfinitate'. his expositis restat, ut commemorem frequentissimam adiectivorum ad personas pertinentium cum substantivo 'bellum' iuncturam, qua adverbialis exprimitur ratio: 29, 4, 11 'bellum Macedonicum', 30, 4, 18 'Romana bella', 32, 1, 1 'bella Romana', 38, 3, 7 'Romanum ... bellum', 39, 1, 2 'Parthica ipsius ac fratris bella', 41, 1, 9 'Scythicis et vicinalibus bellis', 10, 2, 2 'fraterno bello', 39, 4, 2 'materni belli', 15, 4, 23 'hostili (hostili om. T) bello', 13, 6, 17 'ab hostili bello in civilem sanguinem vertit'. praecipue memorabiles duo sunt loci, quibus adiectiva pro substantivorum genetivis posita sunt ita, ut haec substantiva ab illis adiectivis, si formam respicis, non differant, quia ipsa sunt adiectiva substantivorum munere fungentia: 1, 1, 7 'longinqua, non finitima gerebant bella' (i. q. finitimorum), 15, 2, 17 'cui cum Cassander interesse propter finitimum bellum non posset'.

De genetivo partitivo.

Genetivus partitivus pendere solet ex adiectivis gradu superlativo positis. sed apud Iustinum adiectivum gradu positivo cum eius modi genetivo coniunctum legimus 12, 16, 8 'sub Aristotele doctore, inclito omnium philosophorum, crevit'. quem locum perquam ridicule temptaverunt Faber et Schefferus (cf. Frotscheri comm. ad h. l.), qui opinati significari Aristotelem omnium philosophorum fuisse doctorem, verba 'omnium philosophorum' tamquam glossema ab inepto aliquo discipulo Alberti Magni intrusum eicere voluerunt. insolita sane est structura illa neque ante Livium in prosa oratione usquam invenitur. ac ne apud illum quidem genetivus pendet ex adiectivi gradu positivo, nisi id pluraliter dicitur, velut Liv. 30, 9, 1 'expeditis militum', 42, 65, 5 'reliqui peditum', cf. Kuehnast. *Hauptp. der Liv. Synt.* p. 78. numerum autem singularem adiectivi masculini vel feminini generis, unde pendet genetivus, habent poetae, Ennius et Vergilius. de illo cf. Holtzium I, p. 324, ubi adferuntur Ann. I, fr. 46 'sancta dearum', I, fr. 20 'dia dearum', inc. sed. fr. 33 'magna dearum'. similia apud Vergilium legimus: Aen. 4, 576 'sancte deorum'. quem ad usum quin alicuius fuerit momenti Graecum illud δῖα θεάων, dubium non est. minus insolita, sed a communi tamen dicendi consuetudine quodam modo remota est vocis 'plerique' cum genetivo coniunctio 12, 15, 1 'plerosque Aeacidarum', 41, 1, 12 'pleraque finium'. genetivus partitivus apud Iustinum etiam legitur post vocem 'mille' in numero singulari positam, quippe quae substantivi suscipiat partes, sicuti Graecum illud χιλιάς: 31, 3, 8 'centum naves et decem milia peditum et mille equitum poscebat'. hic usus vocis 'mille' omnibus fere linguae latinae invenitur aetatibus, quamquam

apud bonos scriptores rarius eius exstant exempla. qua de re cf. Kuehnast. p. 79 sq. ceterum hoc loco ut poneret genetivum Iustinus sine dubio adductus est concinnitatis ratione habita, cum antecedat genetivus 'peditum'. quod ita se habere inde quoque cognosci potest, quod ceteris locis vocem 'mille' solito more pro adiectivo usurpatam videmus, velut 13, 5, 7; 12, 12, 4. contrario modo forma 'milia' cum sequenti substantivo uno eodemque casu coniuncta traditur alterius generis codicibus 24, 7, 9 'habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque milia; Delphorum sociorumque non nisi quattuor milia milites erant'. quae structura quamquam si per se spectas Iustini dictioni optime possit vindicari, hoc tamen loco quominus recipiatur totus sententiarum conexus obstare videtur. quicumque enim hunc locum obiter tantum legerit, facile intelleget vocem 'milites' non bene quadrare. nam non tam de certis quibusdam militibus agitur quam de omni multitudine, quam Delphis praesto fuisse narratur. id quod iam cum Schefferus intellexisset (cf. Frotscher. III p. 224), verbum 'milites' glossatoris esse ideoque expungendum censuit. et profecto abest illud a codice C, in quo exaratum tantum est '·IIII·'. Ruehlio igitur, qui codicem C secutus illud 'milites' eiecit, adsentiri non dubito.

Accedo iam ad genetivum e nomine proprio pendentem, qui non minus est dignus qui observetur. nam si duos Ciceronis locos, Brut. 77, 268 ('quorum Publius') et ib. 83, 286 ('quorum Charisius') exceperis, hunc genetivum apud scriptores optimae aetatis non invenies, neque inferioribus temporibus is in frequentiorem usum venisse videtur. longe saepissime autem adhibitus est a Livio, e cuius libris magnum exemplorum numerum excerpsit Fabrius ad 22, 40, 6. in Iustino primum huius usus obviam fit exemplum 11, 2, 2 (ubi conferas quae adnotaverunt interpretes). hoc loco et cap. 7, 1 et 12, 14, 1 pleno consensu librorum nomen incolarum regionis Macedonicae, quae Lyncestis appellabatur, cum nomine proprio 'Alexander' coniungitur: 'Alexandro Lyncestarum', 'Alexandrum Lyncestarum'. hos autem genetivos Ruehlius, nonnullos editores priores secutus, ubique improbavit et correxit 11, 2, 2 'Alexandro Lyncestae', 11, 7, 1 'Alexandro Lyncesta', 12, 14, 1 'Alexandrum Lyncestam', eo adductus, quod apud Curtium hic Alexander Alexander Lyncestes vocatur. at neque hanc ob causam neque eo quod codices variant inter scripturas 'lyncestarum, lyncistarum, lyngistarum' a genetivi forma recedendum esse puto. nam quis est qui credat his locis omnibus idem verbum uno modo esse depravatum? ac ne tum quidem, si hoc unum exstaret apud Iustinum exemplum genetivi e nomine proprio suspensi, auderem codicum scripturam sine gravissima causa reicere. iam alterum habes exemplum, dico 38, 8, 11 'quorum (legatorum) Africanus'.[1]) contra huc non videntur referendi loci quales

[1]) His exemplis redarguitur etiam quod contendit Draegerus I² p. 457 hanc structuram praeter Livium nusquam inveniri.

sunt 2, 4, 33 'harum (Amazonum) Minythia sive Thalestris regina', 5, 9, 6 'castellum Phylen Atticorum finium', ubi verborum collocatione Iustino propria facile quis possit adduci, ut genetivos pendere existimet e nominibus propriis. sed rectius alterum genetivum cum voce 'regina', alterum cum 'castellum' coniungas; cf. de hac verborum collocatione Wopkensium apud Frotscher. ad 32, 1, 5.

Pro genetivo partitivo interdum adpositio usurpatur, quam dicunt partitivam vel distributivam. huius usus apud Iustinum satis angustis circumscribitur finibus. adiciuntur enim substantivis eodem casu voces 'alius — alius' 7, 6, 4 'bella ... alia interposita pactione componit, alia redimit', 9, 4, 7 'principes civitatis alios securi percussit, alios in exilium redegit'; 'alter — alter' 15, 2, 15; 43, 2, 8; 'pars — pars' 32, 3, 6.

Vix opus est diserte commemorare genetivi partitivi vicem saepissime obire praepositiones 'ex, de, inter', e quibus maxime ab Iustino frequentatur praepositio 'ex'. exempli causa adfero praef. 1 'multi ex Romanis', 21, 1, 1 'maximum natu ex filiis', 22, 2, 9 'potentissimos quosque ex comitibus', 36, 3, 9 'primi omnium ex Orientalibus'. alios locos congessit H. Domkius in programm. Vratislav. a. 1877 p. 5. minus frequenter usurpatur praepositio 'de' ac plerumque ita, ut praecedat numerale cardinale, velut 1, 9, 21 'duos de coniuratis', 1, 10, 15 'unus de interfectoribus', 2, 10, 8 'trecenta milia de auxiliis', cf. Domkium p. 7. praepositionem 'inter' invenimus 12, 7, 2 'acerrimus inter recusantes', 41, 1, 3 'inter Orientis populos obscurissimi'.

De genetivo quantitatis.

Ad genetivum partitivum refertur a grammaticis genetivus, qui dicitur quantitatis. qui primum pendet a substantivis, quibus quantitatis ratio vel mensura exprimitur, qualia sunt: copia (2, 10, 22 'divitiarum'), pondus (11, 2, 7 'auri'), cf. 32, 3, 10 'pondo argenti', multitudo (11, 9, 2 'hostium'), vis (9, 2, 15 'pecoris') al. deinde adiungitur genetivus neutris pronominum et adiectivorum in numero singulari substantivorum loco positis, velut: 'tantum, quantum, multum, plus, plurimum, quid, quidquam, nihil'. quorum nominativi et accusativi frequentissimi sunt apud omnes scriptores: sed a meliorum usu abhorret accusativus cum praepositionibus coniunctus, velut 6, 5, 8 'post tantum temporis', 38, 3, 1 'ante multum temporis'. sed Iustinus non solum ea adiectiva, quibus quantitatis notio inest, cum genetivo coniunxit, sed sicut Livius et Tacitus etiam alia, in quibus notio illa non conspicitur, eaque crebrius numero plurali quam singulari. hic quidem numerus duobus tantum locis adparet, quorum unus est 18, 3, 10 'medio noctis': alterum coniectura emendare studuit Ruehlius, sed, ut ego quidem opinor, sine iusta causa. scripsit enim 38, 1, 8 contra codicum auctoritatem 'incertum belli timens' exhibentium 'incertum belli exitum timens', adductus fortasse interpolatione unius codicis

a se adhibiti, in quo 'incertum eventum belli' exstare adnotavit. scripturam vero 'incertum belli' non esse temptandam iam vetustiores Iustini interpretes ostenderunt, nos ad exempla similia revocantes (cf. quae congessit Graevius ad h. l.). ex adiectivis plurali numero adhibitis suspensus est genetivus his locis: 1, 6, 14 'obscena corporis', 2, 10, 24 'convexa vallium', 7, 2, 1 'mortis postrema veluti ex oraculo praecepta memorabilia fuere',[1]) 16, 4, 11 'nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit', 36, 2, 14 'per deserta Arabiae cum populo suo fatigatus cum tandem venisset', 38, 9, 5 'per Arabiae deserta . . . Babyloniam pervenerat' (cf. Verg. Aen. 1, 384 'Libyae deserta peragro'), 41, 1, 11 'ut non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium montiumque ardua occupaverint'.[2]) huc denique pertinet 41, 1, 12 'Parthiae pleraque finium'. semel etiam participium futuri passivi substantivi loco genetivo adiunctum est, dico locum 1, 7, 15 'nisi etiam matrimonii reticenda publicaret'. iam ex his exemplis vides Iustinum in adiectivis generis neutri, quae substantivorum munere funguntur, cum genetivo copulatis cum multis aliis rebus tum etiam hoc a Livio et Tacito, apud quos hic usus longe lateque patet, differre, quod nulla alia adiectiva genetivo adiunxit nisi ea, quae sunt secundae declinationis. talia igitur, qualia sunt 'eminentia rupis, in prominenti litoris, secretiora Germaniae' apud Iustinum non inveniuntur.

In adverbiis ab Iustino cum genetivo coniunctis principem locum obtinet locutio 'tum (tunc) temporis': 1, 4, 4; 3, 6, 6; 8, 3, 7; 12, 2, 7; 31, 2, 6; 34, 1, 1; 42, 5, 6. cuius formulae originem in Africana illa latinitate quaerendam esse non sine veritatis specie iudicat Schmalzius, cf. I. Muelleri Enchir. ant. stud. II, p. 268, s. 70, not. 5. nam frequentissime ea obviam fit apud Apuleium, velut Met. 3, 4; 10, 13; 11, 24. vulgari porro sermoni vindicandum est adverbium loci cum genetivo 'terrarum' coniunctum, quod legitur 3, 3, 9 'usquam terrarum'. et ex talis locutionis analogia fluxisse videtur adverbii loci cum substantivo abstracto quod dicitur coniunctio, quae exstat 3, 5, 6 'eo usque desperationis'. ceteris adverbiis, quibus Iustinus adiunxit genetivum, quantitatis inhaeret notio: neque in ea re ille recessit ab usitato genere dicendi; cf. 1, 8, 4 'vini adfatim', 15, 2, 4 'parum facinoris', 25, 1, 9 'satis munimenti'.

De genetivo qualitatis.

Genetivus substantivi, cui adtributum adiunctum est, aut adtributive aut praedicative usurpatur. priorem usum haec illustrant exempla: 11, 11, 3 'serpente ingentis magnitudinis' (cf. Flor. 1, 18, 2, 20 'mirae magnitudinis serpens'), 24, 2, 8 'templum veterrimae Macedonum religionis', 19, 1, 3 vecti-

[1]) Adiectivum 'postrema' cum 'praecepta' coniungere et huic genetivum 'mortis' subicere falsum esse mihi videtur.

[2]) Cf. hunc locum cum exemplis, quae Beneckius adtulit.

gal . . . multorum annorum', 44, 4, 5 'multorum dierum abstinentia', 33, 1, 3 'invictae opinionis exercitum'. memorabile admodum est Iustinum ad hominum aetatem annis dinumeratis circumscribendam genetivo uti qualitatis eumque adpellativo non intercedente cum nomine proprio ipso conectere: 9, 8, 1 'decessit Philippus XL et septem annorum', 17, 3, 21 'quibus rebus moti Epirotae . . . annorum XI eum in regnum revocaverunt', 29, 1, 2 'in Macedonia Philippus mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum XIV regnum suscepit', 38, 1, 10 'regnum Cappadociae octo annorum filio imposito Ariarathis nomine . . . tradit'. hunc usum, qui apud meliores scriptores rarissime obviam fit, a Ciceronis elegantia plane est alienus, recte Schmalzius p. 267, s. 69, not. 4 sermoni vulgari adtribuit; sed latius is patet, quam ille existimat. nam non solum in Varronis Livii Plinii Suetonii scriptis invenitur, sed etiam satis frequenter apud Cornelium Nepotem, id quod locis a B. Lupo (*Sprachgebrauch des Corn. Nep.* Berolini 1876) p. 23 collectis comprobatur. nomen adpellativum ab Iustino omissum conspicimus etiam 13, 7, 3 'in Africam tam vastae regionis proficisci'. genetivum qualitatis praedicati vice fungentem deprehendimus: 15, 2, 11 'ne minoris apud suos auctoritatis haberetur', 36, 2, 2 'deamque exinde sanctissimae religionis habent'.

Quoniam hoc caput, quod est de genetivo qualitatis, ad finem perduximus, hac occasione oblata paucis de ablativo qualitatis agamus. raro is usurpatur ab Iustino neque fere quicquam habet, quod observatione dignum sit. exempli causa commemoro 14, 6, 9 'sed Olympias, ubi obstinatos venire ad se armatos videt, veste regali duobus ancillis innixa ultro obviam procedit', quem ad locum Wopkensii quaeso inspicias adnotationem, qui alia contulit exempla.

De adiectivis relativis quae dicuntur cum genetivo iunctis.

In hac re, in qua poetae potissimum aetatis Augusteae et nonnulli scriptores argenteae aetatis tam multa novaverunt, Iustinum quaedam singularia et nova praebere contendi non potest. coniunxit quidem cum multis adiectivis, quae optimi scriptores non usurpaverunt nisi absolute, genetivum neque recusavit genetivi structuras a poetis primis adhibitas in suum usum convertere, at ultra ea, quae priores scriptores admiserunt, tamen non modo non progreditur, sed multum abest ab audacia illa, qualem prae se fert Tacitus. neque genetivum tam adamavit, ut non alia pro eo uteretur structura. ita post adiectiva 'certior, sagax, parcus' praeter genetivum praepositiones ponit et adiectivis 'refertus' et 'uber' etiam ablativum adicit.

Iam ordine quodam observato exempla collecta proferamus: a) cupidus c. gen.: 6, 8, 7; 18, 4, 10; 31, 4, 1 ('belli' C, 'in bellum' ITΠ). avidus c. gen.: 27, 2, 7; 9, 8, 15. b) peritus c. gen.: 44, 2, 7. gnarus c. gen.: 11, 7, 7; atque eodem modo ignarus: 1, 8, 6; 7, 3, 7 (24, 6, 8); 9, 7, 1; 11, 8, 6; certior: 2,

13, 17 ('consilii'); 2, 3, 9 ('de adventu regis'). memor c. gen.: 2, 8, 1 ('belli'; 'bellum' EL); 5, 1, 7; 42, 3, 4; item immemor 9, 3, 10; conscius c. gen.: 1, 9, 19; 2, 9, 3 (11, 2, 1); 15, 3, 3. his igitur adiectivis Iustinus ita usus est, ut fines a scriptoribus optimis constitutos tueretur. quos iam egreditur, cum adiectiva sagax et dubius cum genetivo construit, cf. 36, 2, 8 'prodigiorum sagacissimus erat' (praeter genetivum, qui ei communis est cum Horatio Silio Columella Ammiano, praepositionem 'in' usurpat 1, 9, 14 'viro nobili et in coniectura sagacissimo'), 2, 13, 1 'dubium consilii Xerxen Mardonius adgreditur'; quae constructio quamquam apud Sallustium Hist. 3, 81 et Livium 33, 25, 5 obviam fit, tamen inprimis a poetis, Vergilio Horatio Ovidio Silio Italico, et scriptoribus inferioris aetatis frequentatur, cf. Apul. Met. 5, 28 'dubium salutis', Claudian. Mamert. de statu animae II, 3 p. 107 (Engelbr.) 'dubios proelii'. c) particeps c. gen.: 1, 4, 6; 8, 3, 10; 11, 3, 8; expers 31, 4, 9. d) plenus c. gen.: 9, 8, 10; 11, 8, 3; 14, 4, 15; item inops 39, 2, 5. adiectivum refertus plerisque quidem locis cum ablativo constructum reperimus: 11, 14, 10; 24, 7, 4; 25, 1, 9, sed 2, 14, 6 codicibus T et Π genetivus suppeditatur: 'castra referta regalis opulentiae capta'. neque ego spernam hanc scripturam, quamquam de ea certo iudicari non posse profiteor. nam non solum in hac Iustini operis parte codice C caremus, sed etiam librorum mss. Italicae classis destituti sumus auxilio, quia maiore deformati sunt lacuna, cf. Ruehl. *Textesquellen des Iust.* p. 126, adn. 1. sed etiamsi nescimus, quid hoc loco praebuerint C et I, non tamen credibile est librarios ex suo arbitrio genetivum intulisse. neque est, quod cogitemus de mendo casu orto. immo genetivum Iustinus scripsisse videtur, ut ingratum earundem syllabarum sonum evitaret, id quod Krebsius (*Antibarb. d. lat. Spr.* ed. V, p. 1007) recte observavit. quodsi Ruehlius Orosium 2, 11, 3 'refertus' cum ablativo iungere dicit, id ad hunc locum ea de causa non tantum valere arbitror, quia ille non verba ipsa, quae scripsit Iustinus, sed ea quodam modo mutata reddidit: 'castra regiis opibus referta ceperunt'. quae cum ita sint, cur apud Iustinum verba 'regalis opulentiae' in 'regali opulentia' mutemus, non intellego. insatiabilis 1, 8, 13 'cuius (sanguinis) insatiabilis semper fuisti'. genetivi huic adiectivo additi exempla exstant apud Sen. ad Polyb. de cons. 11, 1, Val. Max. 8, 14, 2, Oros. 5, 19, 24. ferax c. gen.: 2, 1, 8; 4, 2, 3; 44, 1, 6. hoc adiectivum, quocum primi Horatius et Ovidius genetivum coniunxerunt, inde a Livio etiam in prosa oratione cum hoc casu copulatur, cf. Liv. 9, 16, 19, Flor. 2, 7, 3. iam venimus ad exemplum, in quo quam amantissimus fuerit Iustinus constructionis variandae, luculenter cernitur. etenim 44, 3, 4 in uno eodemque enuntiato adiectivum uber et cum genetivo et cum ablativo coniungitur: 'regio cum aeris ac plumbi uberrima tum et minio'. Ruehlius Faberum secutus contra omnium codicum auctoritatem 'minii' scripsit. at neque hac opus esse coniectura neque verborum distinctione a Scheffero (apud

Frotscher. III, 492) proposita, qua 'minio' ad subsequens 'ditissima' referendum est, intelleges, si ea, quae de Iustini variandi studio disseruimus, respexeris. genetivus autem huic adiectivo adpositus iam in antiquorum poetarum sermone invenitur, cf. Ribb. trag. lat.[2] p. 142, v. 49, recurrit apud Ennodium, cf. Hartelii ind. p. 716. idem variandi, quo delectatur Iustinus, studium conspicitur in adiectivi parcus constructione. hoc enim primum cum genetivo consociatum reperimus 6, 8, 6, quae structura e poetarum usu (cf. Hor. Sat. 2, 2, 62) in scriptorum posteriorum sermonem immigravit (cf. Tac. Hist. 1, 49, Ennod. 363, 10), deinde cum praepositione 'in' sequente accusativo 41, 3, 10 ('in cibum'). tertium locum, quo exstat, Ruehlius sic exhibuit: 11, 13, 2 'cuius (somni) etiam in otio semper parcior fuerit'. sed genetivus 'cuius' codicum fide non confirmatur, immo in eis 'cum' traditum est, quae scriptura satis defenditur loco simili ab Ieepio prolato: 42, 2, 8 'neque enim silentio regnum tantum praeteriri fas est, cum fines post Parthiam omnium regnorum magnitudinem superent'. cf. etiam quae ad h. l. adnotaverunt Beneckius et Fittbogenius. e) suspectus c. gen.: 5, 9, 12 'proditionis'. genetivus cum hoc adiectivo copulatus legitur apud Curtium Tacitum Florum atque adeo apud Livium, si 24, 9, 10 'cupiditatis imperii' germana est lectio; in dubitationem ea vocatur a Woelfflinio *Liv. Krit. u. Liv. Sprachgebr.* p. 31. cum Livio et Tacito communis est Iustino etiam usus genetivi e voce compertus apti: 11, 11, 5 'stupri'.

Adiectivis subiungo participia, de quibus pendet genetivus. quae tria tantum sunt: sciens 44, 2, 7, egens 23, 4, 7, patiens 36, 3, 7. haec omnia iam Cicero cum genetivo consociavit.

De genetivo cum verbis coniuncto.

Quae adhuc proposuimus exempla, ea ita erant comparata, ut genetivus cum nomine quodam coniungeretur verbo non intercedente. iam de eis locis quaeramus, quibus verbo 'esse' vel alio, quod copulae in se vim habet, intercedente genetivus enuntiati praedicatum efficit. huc igitur pertinet genetivus 'iuris', quem praedicative positum conspicimus 38, 3, 3 'Cappadocia iuris esse Mithridatis coepit', 42, 5, 8 '... iuris Romanorum futuram Parthiam adfirmans'. sed non solum praedicati hic obtinet genetivus locum, verum etiam tamquam adtributum aliis substantivis adiungitur, velut 9, 5, 8 'tres duces in Asiam Persarum iuris praemittit', 31, 1, 2 'iuris Aegypti civitates cum invasisset'. communis est hic genetivus Iustino inter alios cum Livio, cf. 38, 11, 9; 32, 33, 8. cum autem ad copulam 'esse' proxime accedat verbum 'facere', cum hoc quoque genetivus 'iuris' copulatur: 34, 1, 5 'ut corpus Achaeorum dissolverent singulasque urbes proprii iuris facerent'. atque ad huius locutionis analogiam dixit etiam Iustinus 'beneficii (muneris) aliquid facere': 13, 4, 9 'ut ... munus imperii beneficii sui faceret', 24, 2, 4 'quod id facere sui muneris

vellet'. praeter Iustinum has adhibuerunt locutiones Tacitus et Suetonius, quod exemplis, quae ad h. l. adtulit Berneckerus, demonstratur. a communi autem dicendi consuetudine minus remota sunt ea exempla, in quibus verbum 'facere' cum genetivo substantivi concreti quod vocant coniungitur: 2, 7, 12 'ut . . . insula . . . devictis hostibus Atheniensium fieret', 31, 1, 3 'civitates iure belli factas populi Romani', 36, 4, 12 'Asia Romanorum facta', 40, 2, 5 'Oriens Romanorum . . . factus est'. iam duo reliqua sunt verba, quae cum genetivo praedicativo coniuncta inveniuntur: 'relinquere' et 'habere': 5, 7, 3 'nec aliud dicionis Atheniensium praeter urbem ipsam relinquit', 9, 1, 3 'nunc Lacedaemoniorum nunc Atheniensium iuris habita est'. sed priusquam disserendi de genetivi praedicativi usu finem faciam, liceat mihi locum satis difficilem multisque coniecturis temptatum tractare, dico 31, 8, 9, ubi de victoria agitur, quam Romani apud Magnesiam de Antiocho Syriae rege reportaverunt. Antiocho pacem petenti ad condiciones, quas iam ante dixerant, Romanos nihil addidisse narrat Iustinus tumque his verbis pergit: 'captas civitates inter socios divisere, muneris Romani aptiorem Asiam quam possessiones voluptarias iudicantes'. sic haec verba traduntur codicibus T et P. aliter autem leguntur in codicibus Italicis et codice C, quorum hic habet 'muneris (s del.) romano aptiorem asiam quam possessionē', illi autem libri: 'minus romani aptiorem asiam quam possessiones voluntarias'. accedit scriptura codicis Q², in quo haec verba exstant: 'romani aptiorem gloriam quam possessiones voluptarias'. multo maior quam codicum lectionum varietas est numerus coniecturarum a viris doctis prolatarum. quas, quoniam apud Ruehlium adnotatae sunt, nolumus enumerare; immo ipsi inquiramus, num omnino fieri possit, ut intra codicum memoriam consistamus, deinde quae eorum scriptura retinenda sit. qua in re proficiscendum esse puto a sententia, quae hoc loco desideratur. atque ex proximo enuntiato a particula 'quippe' incipienti, quo ea, quae praecesserunt, probantur, elucet loco, de quo quaeritur, hanc subesse sententiam: Romani aptius esse putaverunt Asiam alii cuidam muneri dare quam regione tam voluptaria sibi ipsis reservata corrumpi. quae si vera sunt, codicis Q² lectionem iam propter tautologiam intolerabilem spernendam esse adparet. neque dubito, quin 'gloriam' ex sequentibus irrepserit. nec minus manifestum videtur scripturam 'minus', quae codicibus Italicis exhibetur, e voce 'muneris' esse depravatam. atque hunc genetivum, qui codicibus TP servatur et primitus in C quoque exaratus fuit, fecisse puto, ut totus locus perturbaretur. nam non solum codicis C librarii litteram ultimam 'muneris' deleverunt ideoque 'romano' scripserunt, sed etiam plerique viri docti, qui in hunc locum expediendum operam suam contulerunt, genetivum explicari posse negantes dativum e voce 'aptior' suspensum reposuerunt. at genetivus 'muneris' prorsus non debet scrupulum nobis inicere, immo Iustini dicendi consuetudini eum convenire cum omnibus quae supra adtuli exemplis tum maxime 42, 5, 8

('si eius regnum muneris eorum fuisset') et 24, 2, 4 ('quod id facere sui muneris vellet') comprobatur. neque in adiectivo 'aptior' absolute posito offendendum mihi videtur, quod U. Koehlerus fecit, qui in Ann. phil. a. 1865, p. 428 pro eo 'potiorem' scribere voluit. quae cum ita sint, fide auctoritateque ceteris excellere puto codicum TP scripturam.

In usu verborum memoriae Iustinus non multum differt a bonis scriptoribus. reperiuntur autem apud eum haec tantum verba: 'memini, recordor, admoneo, obliviscor'. quorum cum primo genetivum (5, 4, 17; 11, 5, 9; 12, 8, 11), cum altero accusativum (5, 7, 10) consociavit, non contra legem ab elegantissimo quoque scriptore observatam. idem dici potest de verbi 'admonere' cum genetivo structura, quam Iustinus ubique adhibet: 2, 9, 6; 5, 10, 3; 11, 3, 1; 11, 9, 5; 11, 9, 8, quamquam Cicero in orationibus saltem hoc verbum non cum genetivo coniunxit, sed cum praepositione 'de'. 'oblivisci' denique omnibus locis ab Iustino cum genetivo copulatur (1, 6, 8; 4, 2, 5; 8, 4, 5; 11, 5, 9; 12, 15, 9; 18, 4, 8; 33, 1, 3; 35, 1, 9; 42, 1, 3) praeter unum locum 30, 1, 8, quo codices accusativum praebent. hunc igitur ceteris locis adaequare student nonnulli viri docti. sed iam manifestum exploratumque est id solum, quod uno loco exstat structura diversa a ceteris, si graviora argumenta non accedant, apud Iustinum nullo pacto sufficere ad codicum fidem in suspicionem vocandam. atqui eo loco neque e sensu verborum neque e re grammatica quicquam repeti potest, quod codicum IP scripturam 'omnem magnitudinem nominis ac maiestatis oblitus' infirmet. quod autem legitur in T 'omni magnitudine', id ex 'omnem magnitudinem' enatum est, littera i cum e confusa et virgula supra e omissa. quae cum ita sint, omnes coniecturae, quas ad hunc locum protulerunt viri docti, supervacaneae mihi videntur atque accusativum libris traditum retinendum esse censeo. haec si statuo, non tamen probo discrimen, quod inter genetivi et accusativi structuram sibi finxit Beneckius, qui genetivo significari contendit non totam rem oblivioni dari, sed quasdam tantum eius partes, accusativum vero tum poni, cum memoria alicuius rei plane abiciatur. immo discrimen inter has structuras in eo cernitur, quod huius verbi cum genetivo coniunctio multo artior est quam cum accusativo; cf. Schmalz. s. 64, p. 265 sq.

Sicut verba memoriae cum genetivo coniunguntur propter praevalentem nominis notionem, ita genetivus, quem secum habent nonnulla verba adfectum exprimentia eo explicatur, quod substantivi, quae eis subest, vis magis eminet atque elucet. ac de verborum piget et pudet apud Iustinum usu nihil habeo quod adnotem. ita enim usurpantur, ut nihil recedant a norma latinitatis optimae, 12, 6, 5; 12, 6, 10. aliter vero res se habet in verbo paenitere, quod minus propter genetivi structuram quam propter usum personalem memoratu dignum est. sed primum tritissimae i. e. impersonalis constructionis adferamus exemplum: 28, 3, 15 'quorum si illos paeniteat'. personaliter autem

positum 'paenitere' invenitur genetivo non adiecto 11, 3, 3 'Athenienses sicuti primi defecerant, ita primi paenitere coeperunt' et cum genetivo 13, 1, 5 'quae (mater Darei regis) amisso filio a fastigio tantae maiestatis in captivitatem redacta indulgentia victoris in eam diem vitae non paenituerat'. quam constructionem utpote insolentiorem Ruehlio displicuisse sublatamque esse ab eo minime quidem mireris, sed cave eius sententiae adsentiaris, quam ego tantum abest ut comprobem, cum alia usus personalis exstent exempla, 31, 6, 6 'paenitere neglecti consilii coepit', 38, 10, 11 'paenitere deinde dimissi Demetrii coepit', quibus locis personalem structuram agnoscere malim quam accusativum personae mente supplere, ut ne tum quidem Ruehlio adstipularer, si hoc unum esset huius usus exemplum. atque huius verbi et nonnullorum aliorum, quae optimus quisque scriptor impersonaliter usurpabat, usum personalem in sermone vulgari locum non mediocrem obtinuisse concedes, si non solum hoc verbum personaliter usurpatum esse reputaveris temporibus vetustioribus et frequentius a scriptoribus ecclesiasticis, cf. Salv. de gub. dei 5, 54; 2, 19; ad eccles. 1, 38, Firm. Mat. de errore prof. relig. 4, 4 H., sed etiam studium commoditatis sermoni cuiusvis vulgi proprium respexeris, quo fit, ut pro structuris intricatis difficilibusque ponantur simpliciores, quod studium analogiae quoque vi valde adiuvatur. contra elegantissimorum scriptorum consuetudinem pugnat etiam verbum miserari cum genetivo iunctum: 5, 9, 7 'nec deerat quarundam civitatum crudelis casus miserantium favor', 15, 3, 6 'miseratus tanti viri non culpae, sed libertatis poenas pendentis', 43, 4, 8 'miserata formae'. haec structura, quam praeter Iustinum Silius Italicus Minucius Felix Prudentius adhibuerunt, verbi 'misereri' analogia effecta esse videtur, sed ab Iustino non ubique retenta est; immo ut multis aliis ita et hoc loco praeter insolentiorem constructionem invenimus tritam et vulgatam: 8, 5, 13 'miserantes nunc vicem suam', 12, 5, 4 'casum miserantes', 27, 1, 5 'casum tam indignae fortunae miserantes', 28, 4, 12 'fortunam tantae urbis miseratus'.

Genetivum verbis iudicandi adpositum, cum nihil habeat, de quo copiosius disserere operae pretium sit, cursim tractare mihi liceat. accusare et cum genetivo (6, 4, 7 'proditionis accusatus'; 18, 7, 18 'adfectati regni accusatus duplicis') et cum accusativo coniungitur (2, 15, 6 'tarditatem accusans'; 14, 6, 6 'crudelitatem mulieris accusarent'). insimulare adsciscit genetivum: 21, 5, 11 'insimulatus est adfectatae tyrannidis', item damnare (13, 5, 2 'caedis damnati'; 20, 5, 12 'proditionis damnatur'), nisi quod multa, qua quis multatur, exprimitur ablativo: 8, 1, 7 'tanta pecunia damnantur'.

Genetivi pretii unum tantum, si recte observavi, exemplum apud Iustinum repperi: 3, 7, 6 'longe pluris fuerit ultio quam iniuria'.

De dativi usu.

De dativo commodi.

Dativum, quem commodi et incommodi vocant, cum varias complectatur relationes plus minusve inter se propinquas, accuratis certisque limitibus difficile est circumscribere. universe autem huius dativi notionem ita definire licet, ut eis maxime locis statuatur, ubi actio fit in alicuius utilitatem, commodum, honorem, gratiam. huius igitur dativi apud Iustinum usum ut illustrem, pauca sufficiant exempla: 2, 8, 6 'quasi sibi non patriae vicisset', 40, 1, 1 'peregrinosque sibi reges circumspicere coepit', 37, 1, 1 'veniamque his a senatu obtinuere'. huc etiam nescio an sit referendus dativus in locutione 'cedere alicui aliqua re (*zu jemandes Gunsten von etwas abstehen, verzichten auf etwas*)': 29, 2, 6 'super haec cedere se illi regno . . . profitetur', 31, 5, 7 'sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit', 31, 7, 8 'ut Asia Romanis cederet', 40, 2, 4 'quo (regno) cesserit Tigrani'. pro dativo commodi porro accipiendum opinor eum, qui ex verbo donare pendet, si huic vis inest nostrorum '*verzeihen, begnadigen*': 32, 2, 4 'causam illi donavit', 32, 2, 5 'non tam absolutum regem quam donatum filio patrem', 38, 9, 9 'tunc quoque uxori et liberis donatus'.

Ad dativum commodi proxime accedit dativus auctoris, qui verborum formis passivis pro praepositione 'ab' subicitur. cuius dativi vim Kuehnerus ad Cic. Tusc. 2, 1, 2 et Tillmannus, qui de hac re copiose et prudenter egit Act. sem. phil. Erlang. II, p. 73 sq., recte ita constituere studuerunt, ut dativo auctorem simul tamquam eum significari dicerent, ad cuius commodum aut incommodum pertineret actio. atque hoc ita se habere luculenter ex eis verbis cognoscere licet, quibus hic casus adiunctus pro dativo et commodi et auctoris accipi potest. huius modi autem esse videtur exemplum, quod Iustinus 1, 10, 13 offert: 'cognatio Dareo iuncta cum pristinis regibus fuit'. nam facile haec ita interpreteris, ut cognationem et a Dareo et in commodum Darei iunctam esse dicas; cf. Verg. Aen. 8, 169 'iuncta est mihi foedere dextra'. atque ut hoc loco participium perfecti passivi cum dativo consociatum vides, ita ceteri loci praeter unum (13, 1, 14 'cum exercitus Macedonum tot non ducibus, sed regibus regeretur', ubi etiam de ablativo cogitare licet) hanc verbi formam exhibent vel eas certe, quae cum participio perfecti passivi compositae sunt: 5, 4, 7 'desideratus civibus suis', 12, 6, 15 'illi quadriduo perseverata inedia est', 24, 8, 13 'pavidis nulla sub tectis acta nox' (quo cum loco cf. Tac. Hist. 5, 15 'nox . . . nostris per iram et minas acta'). ex his igitur exemplis iam adparet, quam parce Iustinus hoc dativo usus sit, quam longe a Taciti illa afuerit libertate, e cuius scriptis ad centum collegit exempla Tillmannus p. 91. restant duo loci, in quibus codices fluctuant. prior est 1, 2, 8, quo in codicibus

AVQR classis T praepositio 'a' omittitur, quam ceteri, quos Ruehlius secutus est, suppeditant: 'adquisitos a viro regni terminos tueri'. atque si hac in re Orosio, qui 1, 4, 5 omnibus inter se conspirantibus codicibus praepositionem tradidit: 'quos a viro suo tunc solo bellatore in quinquaginta annis adquisitos susceperat', aliquid potest tribui, scripturam a Ruehlio receptam comprobem. neque altero loco, 11, 12, 7 'semel tantum eam ab Alexandro visam esse', quo in eadem librorum classe praepositio 'ab' non legitur, hanc voculam e textu remotam velim.

De locutione 'nomen mihi est' ac propinquis voce 'nomen' formatis locutionibus.

Locutio 'nomen mihi est' eis adnumeranda est, quae plures admittunt constructiones. sed cum multi scriptores velut Cicero Caesar Livius alii non omnes, quas poterant, usurpaverint structuras, immo missis ceteris unam alteramve praetulerint, Iustinum non unam solam amplecti videmus, sed modo hac modo illa uti. ac primum quidem nomen proprium, quod huic adiunxit locutioni, dativo expressit: 43, 2, 7 'nomina pueris alteri Remo, alteri Romulo fuere'. eundemque casum statuendum veri simile est 4, 2, 1 'Siciliae primo Trinacriae nomen fuit' et 18, 5, 9 'ei loco Byrsae nomen fuit', quamquam aliquis formas 'Byrsae' et 'Trinacriae' etiam genetivos velit intellegi. deinde nomen proprium in nominativo ponitur idque, ut recte adnotat Beneckius ad 13, 7, 1 p. 227, eo consilio, ut nominis forma propria, quae casus obliqui cuiusdam forma obscurior fiat, accuratius significetur: 1, 4, 14 'nutrici postea nomen Spacos fuit', 13, 7, 1 'cui nomen Battos propter linguae obligationem fuit', 29, 1, 5 'cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit', 39, 1, 9 'cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypos fuit'. quae structura cum dicendi consuetudini optimi cuiusque scriptoris plane conveniat, longe ab ea abest nominativus in locutione 'nomen habere', quae obviam fit 12, 4, 11 'haec suboles nomen habuit Epigoni'; ubi Beneckius nominativum positum esse docet, ut nomen quadam cum gravitate proferatur. sed insolens tamen est hic usus nec facile alibi inveniatur nisi apud Ovidium et Suetonium, e quorum libris protulerunt exempla Draegerus I^2, p. 435 et Kuehnerus II, p. 309. contra genetivum conspicimus 1, 5, 1 'puer ... Cyri nomen accepit'. et hunc casum ponere solet Iustinus etiam in locutionibus 'nomen (cognomen) alicui dare, indere, imponere': 35, 1, 7 'nomen ei Alexandri inditur', 42, 2, 3 'cui res gestae Magni cognomen dedere', 39, 1, 5 'nomen iuveni Alexandri imponitur', 44, 4, 11 'nomen illi impositum Habidis', 38, 1, 10 'filio imposito Ariarathis nomine'. uno loco legitur accusativus: 2, 6, 9 'nomen civitati Athenas dedit'.

De dativo adiectivis adposito.

Adiectivorum numerus, quae, ut designetur, ad quam personam vel rem pertineat qualitas aut quem ad finem spectet, cum dativo coniunguntur, in eleganti sermone angustis cancellis continetur: Iustinus vero extra hos egressus non solum e poetarum sermone complura adiectiva, quibus ceteri aetatis argenteae scriptores utebantur, in suum usum convertit, sed etiam non paucis adiectivis dativum subiunxit, quae nemo fere scriptorum cum tali casu consociare ausus est. quodsi quaeris quo modo explicandae sint tales structurae insolentes, dico analogiae vim in eis cerni, qua factum est, ut adiectiva, qualia sunt 'avitus, diversus, inriguus, poenalis, superbus, idem', dativum reciperent. huius casus locum in nonnullis adiectivis, velut 'intentus, invisus, par, proximus', etiam praepositiones occupant. iam ad singula adiectiva enumeranda veniamus: acclinis Iustinus poetarum (Vergilii Ovidii al.) exempla secutus cum dativo posuit 28, 4, 9 'acclinis parieti'. amicus modo adiectivi vi praeditum cum dativo coniungitur, velut 9, 2, 11 'amicus ipse Scythis', modo substantivi munere fungens adsciscit genetivum, velut 2, 9, 3 'omnes amicos tyranni'. aptus si idem sit atque nostrum *'geeignet, tauglich'*, copulari adnotat Kuehnerus II, p. 232, adn. 2 cum praepositione 'ad'. quod praeceptum, etsi quodam modo valet in sermone ab optimis scriptoribus usurpato, plane neglectum est ab aetatis argenteae scriptoribus. quam rem confirmat etiam Iustinus, qui hoc adiectivum, nisi id absolute usurpat, cum dativo coniungit 11, 5, 2 'apti regno videbantur'. avitus 1, 1, 4 'veterem et quasi avitum gentibus morem'. nam hanc scripturam, quae in omnibus codicibus exstat, nisi quod nonnulli e notissima illa veterum scribendi ratione 'habitum' vel 'abitum' praebent, retinendam esse existimo. Ruehlium autem miror Chr. Crusii recepisse coniecturam 'nativum'. nam prorsus futtilia sunt ea, quae Crusius (Probabilia critica. Lips. 1753, p. 11) contra codicum lectionem protulit. etenim primum quidem post praecedens 'veterem' nequaquam absurde subicitur 'avitum', id quod opinatur Crusius: immo id esse proprium ac peculiare Iustini, ut duo adiectiva synonyma inter se coniungat, facile ex his intelleges exemplis: 30, 4, 15 'antiquam et obsoletam gloriam', 18, 7, 10 'maesta ac lugentia castra', 29, 3, 3 'cruenta ac sanguinaria bella', 25, 2, 5 'integris et intactis munimentis', quorum locorum facile augeri potest numerus. neque magis offensioni est vocula 'quasi', quae cur adiciatur, rationem negat reddi posse Crusius. at haec, quae cum multis aliis tum hoc loco idem valet quod 'ut ita dicam', eo interponitur consilio, ut indicetur notionem 'avitus' non plane, sed aliquo tantum modo convenire. accedit quod vocabulum 'avitus' in eorum est numero, quorum usu Iustinus valde delectatur; cf. 2, 10, 8 'ius avitum', 31, 8, 3 'regnum avitum', 31, 8, 4 'lares aviti' al. facile etiam explicari potest dativus huic adiectivo adnexus; ex analogia enim positus esse

videtur dativi quocum coniunguntur 'proprius, propinquus, affinis' al. diversus notione nostri *'verschieden, unähnlich'* praeditum primum cum dativo coniunctum reperimus 31, 5, 4 'diversum ceteris mortalibus esse illud et hominum et belli genus' (sic apud scriptores, qui post Livium vixerunt, cf. Tac. Ann. 13, 15, Quintil. 3, 10, 3) deinde pervulgatam conspicimus constructionem, quae praepositione 'ab' efficitur 20, 3, 8 'diverso a ceteris armorum habitu'.[1]) familiaris 12, 6, 17 'familiaris illi'. fatalis 29, 1, 7 'fatale non tam Romanis quam ipsi Africae malum', 12, 13, 3 'locum ei fatalem'. prorsus inauditus atque singularis est dativus, qui ab adiectivo impotens pendet 26, 3, 4 'militibus impotens'. cuius similem frustra quaesivi locum. infensus 13, 4, 7 'infensus seditionis auctoribus'. cum hoc adiectivum infestus a librariis saepe confusum esse quamquam non nescio, tamen nolim, id quod fecit Ruehlius, 1, 5, 6 contra codicum auctoritatem 'Harpago, amico suo infestus' exhibentium coniecturam 'infensus' a Crusio p. 12 prolatam probare. nam vox 'infestus', quippe qua is designetur, qui non solum averso est animo ab aliquo, sed iam non temperat a vi alicui inferenda, hic suum locum habere videtur. nam Astyages Harpagi filium interfecit epulandumque patri tradidit. nec magis probem, quod Ruehlius 35, 1, 2 codicibus CTP, in quibus 'Ariarathi regi Cappadociae . . . infestus' exaratum est, spretis 'infensus' scripsit. retinuit vero codicum scripturam 16, 5, 2 'dominis infestiores', 38, 8, 3 'infestus omnibus' al.[2]) singularis est etiam dativus, qui adiectivo inriguus adiungitur 44, 1, 7 'vineis campisque inrigui': explicandus tamen eo videtur, quod utilitatem adferendi huic adiectivo subest notio. insolitus 2, 7, 11 'insolitis sibi versibus'; sic codices. Reifferscheidius autem Mus. Rhen. t. XV, p. 484 'insolitis ibi' corrigendum esse existimat, quod versus Soloni non possint dici insoliti. at recte C. F. W. Muellerus ibid. XX, 158 opposuit hanc coniecturam recte se habituram esse, si Iustinus de litteris Graecis scripsisset vel si non ceteris in rebus falsa prodidisset. praeter hunc locum dativum adiectivo 'insolitus' subiunctum invenimus 12, 3, 6 'insolitum feminis habitum', 12, 3, 8 'diadema insolitum antea regibus'. adiectivo intentus Iustinus aeque ac Livius modo dativum adposuit: 30, 1, 1 'magnis rebus intento', 36, 4, 5 'cui operi intentus', 36, 4, 8 'intentior Attalicae praedae quam bello', modo praepositionem 'in' adhibuit: 2, 12, 18 'intenta in bellum', 20, 5, 5 'intentis in proelium hostibus', 29, 1, 8 'in suorum quisque maiorum vestigia intentis'. inusitatus aut invisitatus cum dativo legitur 25, 1, 6. haec enim adiectiva ut

---

[1]) Hoc loco in transitu quidem adnotatum velim 'diversus' apud Iustinum pariter atque apud nonnullos alios scriptores posteriores etiam structuram vocis 'alius' adsumere ita, ut cum particula 'quam' coniungatur; cf. 6, 3, 6 'gloriamque diversis artibus quam priores civitatis suae duces consecuturus'.

[2]) Inimicus ab Iustino non usurpatur, nisi substantivi modo positum cum genetivo coniungitur.

saepissime in libris inter se confunduntur, quod certe non miraberis, ita et hoc loco inter se discrepant codices ('invisitatas' enim praebent E[1] F S A G H Q, ceteri 'inusitatas'), ut, utrum sit germanum, pro certo vix constitui possit. altero loco (18, 1, 6) omnium codicum consensu confirmatur scriptura 'inusitata' dativo non adiecto. invisus 2, 8, 9 'invisum ... senatui', 26, 3, 5 'popularibus militibusque inv.' memorabilis est usus praepositionis 'apud' dativi loco positae 36, 2, 15 'invisi apud incolas'. necessarius praef. 4 'exemplo ... necessaria', 1, 8, 4 'epulis ... necessaria', 31, 6, 4 'bello necessaria'. meliores scriptores praepositionem 'ad' usurpant. par 6, 2, 14 'hostibus', 7, 6, 4 'omnibus', 13, 5, 16 'hostibus', 14, 2, 4 'viribus', 16, 4, 13 'crudelitati', 31, 6, 9 'Romanis', 37, 4, 5; 39, 3, 14 al. periculosus 42, 2, 10 'periculosamque regno suo virtutem'. perniciosus 23, 1, 14 'perniciosi etiam regibus'. ultra dicendi consuetudinem, quae in probatis scriptoribus conspicitur, longe progreditur dativus ab adiectivo poenalis aptus 38, 9, 9 'poenalem sibi civitatem'. propior et proximus 44, 2, 7 'feris propiora quam hominibus ingenia', 1, 7, 7 'proximam (vitam) maiestati', 12, 5, 3 'regi proximus', 13, 2, 12 'regi suo proximi', 18, 3, 3 'mari proximum', 24, 5, 11 'caelo proximam', 41, 2, 2 'proximus maiestati'. contra hos locos unus stat: 8, 2, 17 ubi omnium librorum consensu pro dativo praepositio 'a' traditur: 'qui a diis proximus habeatur'. neque est, cur hanc scripturam in suspicionem vocemus. immo ea dicendi generi, quo inferioris aetatis scriptores, veluti Curtius Plinius Suetonius alii utuntur, plane congruit. atque commendatur ea etiam simili structura vocis 'secundus', quae apud Iustinum et dativum (11, 12, 14 'secundus sibi') et praepositionem 'a' admittit (18, 4, 5 'secundus a rege', 32, 1, 9 'secundum a se'). residuus 7, 6, 2 'spei ... residuum', 27, 2, 2 'illi ... paucos naufragii comites residuos', cf. Flor. 1, 39, 2 'residuum ... in captivos saevientibus'. sacer, si ei inest eadem vis ac nostro *'(einer Gottheit) geweiht, geheiligt'*, secum habet dativum 43, 2, 3 'in luco Marti sacro'. quam structuram Livium in solutam orationem induxisse docet Kuehnast. p. 128. probi vero ac vetusti scriptores hoc adiectivum non ponunt nisi cum genetivo. adiectivi secundus structuram modo explicavi. similis 1, 6, 6 'hesterno labori', 8, 5, 8 'excidio', 11, 5, 11 'tripudianti', 12, 15, 5 'sibi', 13, 7, 3 'ludibrio', 36, 3, 4 'piceis'. quibus locis, quamquam vocis 'similis' apud Ciceronem constructioni (de qua cum multi alii tum copiosissime disputavit Madvigius De fin. 5, 5, 12) non plane repugnant, id tamen efficitur, ut vere dictum videatur, quod contenditur inde a Livii aetate dativo genetivum e loco suo magis magisque demoveri. solitus 21, 2, 9 'solitamque sibi saevitiam'. hanc structuram iam Tac. Hist. 5, 23 'armamenta Liburnicis solita' e poetarum (cf. Verg. Aen. 11, 383 al.) sermone desumpsit. eximia quadam insolentia conspicuum est adiectivum studiosus, si quidem quae 9, 8, 4 codicibus traduntur, genuina sunt: 'fuit rex armorum quam conviviorum apparatibus studiosior'. huius structurae insolentia adductus

Wopkensius (apud Frotscherum II, p. 460) aut vocem 'apparatibus' eiciendam, aut 'apparatorum' scribendum esse censuit. priorem coniecturam amplexus est Ruehlius. at sunt tamen, quae hanc medelam dissuadere videantur. etenim iam supra animadvertimus adiectiva, quae a verbis derivata sunt, interdum eandem, quam habet ipsum verbum, structuram adsumere. ita 'meditabundus' et 'exosus' cum accusativo coniunguntur 38, 3, 7; 13, 8, 2, itemque dativus voci 'gratulabundus' adiectus est 6, 8, 13. neque minus aliorum adiectivorum, veluti 'impotens', 'superbus' apud Iustinum cum dativo structuris, quae in suo genere paene singulares dici possunt, monemur, ut summa in re critica factitanda utamur cautione neve temere hanc illamve structuram utpote ab optimorum scriptorum usu remotam tollamus. neque vero unicus hic locus est, ubi adiectivo 'studiosus' subiungitur dativus, sed iam vetustiores Iustini interpretes ad Plaut. mil. glor. 800 R. nos relegaverunt: 'qui nisi adulterio studiosus rei nulli alia est improbus'. cui loco Georges s. h. v. adiecit Spart. Hadr. 2, 1 'venando usque ad reprehensionem studiosus'. denique dativi, qui apud Iustinum legitur, haec quidem adferri potest excusatio, ut, id quod recte adnotat Kuehnerus II p. 234, adn. 6, dativum genetivorum coacervationis evitandae causa positum esse dicamus. quae cum ita sint, hunc dativum temptare non audeo. at nullum, inquit Beneckius, habes dativum, immo pro ablativo est accipienda forma 'apparatibus' non secus ac formae, quae modo sequuntur, 'quaestu' et 'custodia' ab adiectivo 'sollertior' pendentes. sed huic sententiae nequaquam adsentior. nam neque comparari potest 'studiosus' cum adiectivo 'sollers', neque minus insolens esset ablativus quam dativus. ad adiectivum superbus cum dativo copulatum, cuius structurae insolentiam iam supra adtigi (dico verba 26, 3, 4 'superbus regiae familiae'), analogia adiectivorum, quibus aliquid infesti inest, magnam vim habuisse videtur. superstes 22, 8, 14 'superstites ... Agathoclis liberis'. terribilis 23, 1, 16 'terribilis finitimis'. vicinus adiectivi modo positum cum dativo consociatur 15, 4, 8 'vicinos urbi', substantivi vim tenens cum genetivo 18, 5, 10 'vicinis locorum'. adiectivorum agmen claudat locus, ubi dativus pendet de pronomine idem: 2, 4, 11 'virgines in eundem ipsis morem ... exercebant'. quam rem ut explicemus, vix opus esse arbitror de imitatione Graeca cogitare, quod Vorstius apud Frotscherum (II, 193) fecit, immo plane convenit haec structura, si rem per se spectes, naturae et rationi linguae latinae, qua dativus cum verbo 'idem' eodem modo coniungi poterat quo cum adiectivis 'par' vel 'similis'. sed elegantia atque urbanitas scriptorum prosae orationis ab huius structurae usu abhorruit; nam praeter Iustinum, si poetas Lucretium Horatium Ovidium exceperis, ea non invenitur nisi apud Plinium.

De verbis cum dativo coniunctis.

Ut in universae aetatis argenteae sermone, ita apud Iustinum dativi, qui verba composita sequitur, usum latius patere videmus quam in elegantissimorum scriptorum dictione. nam Iustinus non solum multa verba, quae apud Ciceronem et Caesarem non leguntur, cum dativo construxit, sed etiam ea, quae quamquam in Ciceronis et Caesaris scriptis exstant, tamen ab his scriptoribus aut absolute aut cum praepositionibus conexa usurpata sunt. atque haec verba secundum inferiorum scriptorum dicendi consuetudinem dativum adsumunt, sive translatam induerunt significationem sive propria vi posita sunt. praepositiones autem, quae, si verba proprio sensu dicuntur, ab optimis scriptoribus repeti solent, Iustinus perquam raro iteravit, idque post haec tantum verba: 'accedere, adplicare, deferre, infundere, intendere, suffigere'. iam sequatur conspectus verborum, e quibus ea, quorum simplicia intransitivam habent notionem, priore loco tractabuntur, altero ea, quorum simplicibus vis transitiva inest, proponentur.

A) Verba composita, quibus inest notio intransitiva.

accedere. ut quatenus ab eleganti sermone discrepet Iustinus recte cognoscatur, spectandae sunt variae significationes, quas hoc verbum recipit. quod si idem valens quod nostrum *'mehrend* vel *steigernd hinzukommen, hinzugefügt werden'* non solum de personis sed etiam de rebus cum dativo ponitur, id alienum est ab usu optimorum scriptorum, qui huic verbo addere solent praepositionem 'ad'; cf. Iust. 2, 13, 11 'labori . . . etiam fames accesserat', 7, 3, 1 'quibus (regnis) . . . erat accessura Macedonia', 8, 3, 14 'ne alterius viribus accederet', 9, 6, 5 'indignitati haec etiam foeditas accesserat', 11, 4, 12 'Persarum viribus accessere', 12, 6, 10 'accessit enim paenitentiae . . . recordatio', 16, 5, 7 'accedit saevitiae insolentia', 17, 2, 1 'domus suae ruinae cumulus accessit', 17, 2, 11 'utri parti socius accessisset', 22, 7, 1 'his Poenorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus . . . accessit', 31, 3, 6 'ardor animis regis accessit', 1, 6, 12 'animus exercitui eius accessit', 4, 3, 5 'ne Lacedaemoniis illae vires accederent', 13, 5, 15 'vires eius accessisse sibi', 15, 4, 1 'Antigono hostis accesserat', 17, 2, 10 'ne Antigono . . . tertius sibi hostis accederet', 24, 7, 3 'et animos hostibus forsitan et auxilia accessura'. iam minus alienus ab optimo genere dicendi est dativus, si 'accedere' eam notionem habet, quam nostra *'zufallen, zu Theil werden'*: 36, 2, 5 'cuius portio omnibus accesserat'. ac plane convenit cum elegantissimo sermone hoc verbum cum praepositione 'ad' coniunctum sensu proprio: 2, 5, 5 'ad hostem accessere', 12, 7, 8 'ad montem accessit', 13, 3, 8 'ad quem . . . accedere', 15, 4, 17 'ad dormientem accessit', translato: 37, 3, 1 'ad regni deinde admini-

strationem cum accessisset'. adesse 16, 4, 12 'adfuturum se amplius grassanti in populum senatui ait'. adfluere cum dativo iunctum 26, 2, 1 'novusque illi hostis Gallograeciae exercitus adfluxisset', a Ciceronis et Caesaris dictione prorsus abhorret et a Livio demum in sermonem inductum est, post quem posteriores id receperunt. neque aliter se habet res in verbo adhaerere 4, 1, 1 'Siciliam ferunt... Italiae adhaesisse', 44, 1, 8 'adhaeret Galliae'. adsuescere Iustinus et cum dativo et cum ablativo coniungit: 23, 1, 8 'ut a primis annis duritiae parsimoniaeque . . . adsuescerent', 31, 1, 8 'adsuetum imperio et immoderata licentia militari', 36, 1, 3 'veteri Macedonum imperio adsueti'. ante Livii aetatem dativus huic verbo adnexus in pedestri quidem sermone exstare non videtur, cf. Caes. bell. Gall. 6, 28, 4 'adsuescere ad homines', Sall. Hist. 3, 62 'adsuetum ad omnis vis controversiarum', Liv. 5, 48, 3 'umorique ac frigori adsueta'. congruere 43, 2, 10 'aetas expositionis temporibus congruens', consentire 13, 3, 2 'militibus consentiunt', convenire 11, 6, 8 'occulta consilia victoriae furtivae convenire', 12, 7, 5 'gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent'. sed hic locus esse videtur, ut quomodo Iustinus structuram 'convenit mihi cum aliquo' in suum usum converterit, paucis exponam. ac primum quidem in medium profero constructionem impersonalem, quae legitur 21, 2, 6 'cum quibus sibi de pace conveniret'. deinde personaliter constructum hoc verbum deprehendimus eis, inter quos convenit, non additis: 30, 3, 10 'quae (pax) in Macedonia non conveniebat'. quae structurae cum optimorum scriptorum dicendi consuetudini nequaquam repugnent, insolita et ab eleganti sermone prorsus aliena est constructio, quae 9, 5, 3 reperitur: 'quae (pax) non ipsis civitatibus conveniret'. desideramus enim personam, quacum civitatibus pax convenit. intelleges quidem e verborum conexu 'cum rege' vel 'cum victore'; sed haec verba in personali constructione praestantissimo cuique scriptori diserte erant adponenda; nam verba sola 'convenit alicui aliquid', id quod supra diximus, idem denotant quod nostrum '*es passt etwas zu etwas*'. nec minus mira est constructio, qua personae, inter quas de aliqua re convenit, verbi 'convenire' efficiunt subiectum ('homines conveniunt de aliqua re'), quae maxime in iuris consultorum sermone frequentatur. sed num ea usus sit Iustinus 15, 4, 23 codicibus fluctuantibus in ambiguo relinquitur. classe Π enim 'cum de praeda conveniunt' et codicibus Transalpinis et altera codicis E Italicae classis manu 'cum de praeda convenirent' exhibetur: contra ceteris libris Italicis 'cum de praeda conveniret' exaratum est; codice C liber XV non continetur. quodsi in talibus angustiis ad Orosium confugimus, locum, de quo agitur, ab illo ita redditum reperimus 3, 23, 48: 'cum victoribus de praeda non conveniret'.[1]) priores igitur editores

---

[1]) Quamquam silentio praeterire nolo in codice Rhedigerano primitus 'convenirent' scriptum fuisse et postea litteram 'n' erasam esse.

non dubitaverunt 'convenirent' probare, Ruehlius autem hac lectione damnata 'conveniret' recepit. ego vero, si, quam longe interdum Iustinus ab elegantissimorum scriptorum dictione discedat, respicio, non nego quidem fieri potuisse, ut hanc usurparet structuram, sed re vera eam ab illo profectam esse, ut huius loci comparata est in libris memoria, pro certo adfirmare non audeo. imminere 18, 4, 14 'illis acerbos cruciatus ... imminere', 25, 1, 3 'Macedoniae imminentes', 29, 4, 10 'Macedoniae imminebat'; absolute adhibitum est 5, 3, 4; 7, 5, 10. in usu verbi immorari 2, 1, 17 'humillimo autem solo ... immoratam', 2, 3, 16 'pacandae Asiae immorati', quod in Ciceronis Caesaris Sallustii scriptis nondum exstat, Iustinus conspirat cum Celso Plinio Quintiliano et cum ipso Trogo Pompeio, in cuius oratione Mithridatica, quam suo operi inseruit Iustinus, legimus 38, 4, 6 'Italiae... immoratum', ibid. 4, 13 'veteribus immoretur exemplis'. immori 44, 2, 3 'tormentis pro silentio rerum creditarum immortui'. praeter Sen. Controv. 10, 5 (34), 6, ubi plane eandem habes locutionem, dativus reperitur apud Ovid. Epist. ex Ponto 3, 7, 40 'Euxinis immoriemur aquis' et translata notione apud Hor. Ep. 1, 7, 85 'immoritur studiis', Quintil. 9, 3, 73 'legationi immoriturum' al. dativus a verbo increscere translate usurpato pendens 11, 11, 12 'mirusque animo increvit tumor' Iustino communis est cum Vergilio, cf. Aen. 9, 688 'increscunt animis discordibus irae'. incubare 23, 1, 8 'cui incubarent', 24, 7, 8 'vino velut praedae incubantes'. inhiare 27, 3, 4 'Asiae inhiabat'. de verbo illudere vide quae p. 81 adnotavimus. insinuare 5, 2, 5 'cui se celeriter ... insinuavit'. ita Liv. 3, 15, 2 'plebi se magis insinuabant'. semel etiam Cic. De or. 1, 20, 90, 'insinuare iis ...'; sed crebrius Cicero praepositionem 'in' usurpat (Verr. 3, 157, Caecin. 13, Rabir. 33). insultare 5, 7, 1 'fortunae hostium insultat', 22, 4, 2 'victoribus insultaret', absolute positum 2, 10, 10; 9, 4, 3; 42, 4, 8. dativus iam a Cicerone adhibitus (Verr. 5, 50, 132 'tibi insultare'), frequentior est inde a Livio; cf. Liv. 1, 48, 2, Flor. 2, 3, 6, Valer. Max. 2, 7, 12, al. interesse 15, 2, 17 'bello', 16, 4, 13 'discordiis'. invehi 12, 10, 5 'ostio fluminis Indi invehitur', 43, 3, 4 'ostio Tiberis invecta'. abhorret ab hac structura Cicero, quae invenitur apud Livium 23, 47, 8 'patenti hostium portae invectum'. obsistere 3, 1, 2 'voto suo obsistentes'. obvenire 16, 1, 19 'Antipatro ... obvenerat', 37, 4, 5 'patri suo ... obvenisse'. succumbere 12, 4, 2 'vitiis ... succubuisse', 14, 6, 11 'morti succumbentem'. superesse 3, 1, 5 'sceleri suo', 17, 1, 7 'caedibus', 18, 3, 18 'proelio', 19, 2, 10 'cladi'. supervenire 2, 11, 13 'securis et laetis superveniendum', 5, 8, 1 'urbi hostes superveniunt', 8, 3, 15 'inopinantibus fratribus ... supervenit', 13, 8, 5 'ut ... Eumeni superveniant'. item Verg. Aen. 12, 356, Buc. 6, 20, Liv. 24, 35, 9; 28, 7, 7. apud Ciceronem Caesarem Sallustium hoc verbum non reperies. supervivere 28, 3, 3 'non diu filiis supervixit' Iustinus pro 'superstes fuit' dixit, quod 22, 8, 14 'quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat' usurpavit. atque hoc tantum

verbum in elegantissimorum scriptorum dictione invenitur: contra 'supervivere' scriptorum est aetatis argenteae eorumque paucorum.

B) Verba composita transitivae notionis.

Addere 2, 8, 9 'adduntur vocibus lacrimae', 4, 4, 2 adduntur precibus lacrimae', cf. 31, 8, 8; 38, 1, 10; 42, 2, 4; 43, 2, 2; 43, 3, 3, addicere 22, 3, 4 'eidem titulo pacis addictas'. adferre 2, 4, 18 'ut arma... sibi adferret, cf. 18, 5, 12; 18, 7, 8; 24, 6, 8; 27, 1, 10; cum praepositione 'in' 2, 5, 4 'verba in aciem, non tela adferenda'. adfigere 18, 3, 18 'omnes... crucibus adfixit', cf. Sall. Hist. 4, 40, Tac. Ann. 15, 44. adicere 1, 2, 8 'Aethiopiam quoque imperio adiecit', 1, 9, 1 'imperio patris Aegyptum adiecit', cf. 3, 6, 13; 5, 4, 6; 7, 3, 3; 12, 3, 11; 13, 6, 14; 23, 3, 12; 36, 1, 9; 39, 3, 9; 41, 6, 8. adhibere 14, 4, 8 'roganti vim adhibere'; cum praepositione 'in' coniunctum: 3, 6, 2; 6, 6, 7; 7, 3, 3; 13, 6, 10. adigere 1, 9, 22 'adigi mago ferrum iussit'. frequens id apud scriptores aetatis argenteae, cf. Suet. Ner. 49, Tac. Hist. 4, 23, Ann. 1, 61. adimere 1, 7, 12 'victis arma et equi adempti', 6, 8, 11 multis al. adiungere 7, 6, 8 'exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere', 8, 3, 6 'provinciam imperio Macedoniae adiungit', cf. 21, 6, 1; 23, 2, 7; 42, 3, 1. dativus huic verbo adpositus non pugnat quidem contra elegantissimorum scriptorum usum — nam et apud Ciceronem et Caesarem hic illic invenitur — sed tamen apud eos demum, qui post Livium vixerunt, scriptores usitatior esse coepit. admovere 18, 6, 12 'impuberes... aris admovebant'. adpellere vi propria cum dativo constructum 44, 3, 3 'Hispaniae litoribus adpulsum', prorsus alienum est ab optimorum scriptorum dicendi consuetudine, qua id non ponitur nisi praepositione 'ad' adiecta. dativi autem usus sicut in aliis verbis ita in hoc apud posteriores magis magisque percrebruit; cf. Curt. 4, 2, 24, Tac. Hist. 4, 84, Ann. 3, 9. adplicare cum dativo positum est 11, 10, 12 'exercitu insulae adplicito (adplicato TΠ)', 12, 9, 9 'trunco se... adplicuit', cum praepositione 'ad' iunctum 2, 4, 21 'ad litus Amazonum adplicuit'. haec tantum constructio optimae convenit latinitati, illam usurpant poetae et inde a Livio pedestris quoque orationis scriptores: cf. Verg. Aen. 1, 616, Liv. 32, 30, 5. adquirere 3, 7, 8 'adquirere se illi... periculum... infamiam', 3, 6, 11 'inimicis suis hostes adquirerent', 13, 6, 4 'ut viribus auctoritatem regiam adquireret'. adserere 44, 3, 2 'sibi originem adserunt'. comparare 1, 7, 14 'nullus... fortunae Candauli comparandus', 4, 3, 1 'facinus nulli tyranno comparandum', 25, 5, 3 'regem comparandum Pyrro', 31, 3, 4 'Flaminino, Romano imperatori compararetur'. dativus etsi ne a Cicerone quidem plane evitatur (cf. De sen. 5, 14 'equi fortis et victoris senectuti comparat suam') argentea tamen crebrior fit aetate. etiam Trogus Pompeius or. Mithr. 38, 7, 1 'illis comparetur' huius verbi usus exhibet exemplum. deferre cum dativo con-

sociatum est 1, 5, 2 'querela regi delata', 9, 6, 7 'querelam Philippo saepe detulerat', cf. 11, 7, 13; 19, 3, 4; 38, 8, 2, cum praepositione 'ad' 2, 10, 9 'certamen ... ad patruum suum ... deferunt', cf. 12, 5, 7; 14, 1, 9; 16, 4, 16 al. deligare 3, 5, 10 'tesseras ... dextero bracchio deligarent'. rara haec constructio, cui aliquid simile legitur apud Suet. Ner. 45 'alterius (statuae) collo ascopera deligata'. demandare 2, 12, 16 'abditis insulis ... demandant' (ubi cf. Fittbogenium). demere 7, 6, 5 'contemptum sibi hostium demeret' (vide Fittbogenium); cf. 11, 1, 8; 11, 9, 15; 15, 3, 13; 39, 3, 9. detergere 15, 4, 17 'sudorem ... lingua ei detersit'. in construendo verbo eripere Iustinus partim consentit cum optimorum scriptorum usu, partim ab eo recedit. illud fit, si verbum eadem vi qua nostrum *'entziehen, entreissen'* positum cum dativo personae et cum accusativo rei coniungitur: 1, 10, 12 'quod ut eriperent magis', 8, 6, 7 'ereptum Arrybae regnum', 17, 2, 5 al. atque eadem retinetur structura, si cui eripitur malum aliquod, velut 6, 3, 12 'populo ... condicio servilis eripitur'. si autem Iustinus verbo 'eripere' eandem notionem habente quae est nostri *'Jemand aus etwas herausreissen, befreien'* personam accusativo exprimit et rem, e qua quis eripitur, in tertio aut sexto casu ponit, adversatur optimae dicendi consuetudini, qua res in ablativo poni solet praepositione 'ex' vel 'de' praefixa. certe conspicitur dativus 37, 1, 5 'parvulum sceleri matris ... eripuit' et ablativus 13, 1, 3 'quotiens praesenti morte ereptus esset'. quae autem 16, 5, 4 'se tam funestis calamitatibus ... eripiunt' et 44, 4, 11 'tot periculis ereptus' leguntur formae utrum sint pro dativis an ablativis accipiendae, ex eis ipsis intellegi non potest. pariter res se habet in verbo eximere. etenim id partim secundum praestantissimorum scriptorum usum usurpatum reperimus 12, 15, 12 'exemptum digito anulum' et 30, 3, 5 'omnem cunctationem ... senatui eximit', partim, si notio liberandi ei inest, res, a qua quis liberatur, ab Iustino dativo exprimitur loco praepositionis 'ex' cum ablativo coniunctae: 35, 2, 1 'belli periculis eximerentur', 39, 3, 7 'quas (feminas) sexus ipse periculis bellorum et saevitiae victorum eximat'. quae structura cum ab aliis argenteae aetatis scriptoribus tum maxime a Tacito frequentatur: cf. Ann. 1, 48; 14, 40; 12, 27 al. immittere, cui ab optimis scriptoribus semper praepositio additur, apud Iustinum cum dativo iunctum legimus 26, 3, 6 'cui ... percussores immittuntur'. haec autem constructio non solum, ut Draegerus I^2, p. 423 adnotat, poetarum est, sed etiam ut apud Iustinum ita apud alios solutae orationis scriptores aetatis argenteae invenitur: cf. Flor. 1, 31, 18. imponere 15, 3, 13 'diadema ... capiti eius imponeret', cf. 18, 2, 9; 18, 4, 12; 18, 5, 5; 22, 4, 5; 23, 2, 6; 23, 2, 12 al. incutere 9, 7, 11 'incussa populo superstitione', 42, 5, 10 'metum Phrahati incussit'. item apud Trogum Pompeium or. Mithr. 38, 7, 8 'illis odium Romanorum incussit' et Flor. 2, 26, 16 'non minimum terroris incussit barbaris Comidius centurio'. abest haec constructio a Ciceronis Caesaris Sallustii Taciti scriptis. inferre construit

Iustinus Taciti aliorumque scriptorum aetatis inferioris more cum dativo loci 11, 15, 15 'reliquias eius maiorum tumulis inferri iussit'; cf. Tac. Ann. 4, 44; 16, 6. ceteris autem locis Iustinus non discrepat a scriptoribus optimis, veluti 18, 5, 10; 38, 8, 14 al. hoc loco adferendum est verbum infundere, quod 3, 5, 8 codices Transalpini et classis Π tuentur. in eis enim haec exhibentur verba: 'ne contra fortunam pugnando maiora detrimenta civitati infunderent'; codices Italici pro 'infunderent' habent 'infligerent'. hoc autem verbum a Berneckero receptum damnavit Vorstius (cf. Frotsch. II, p. 317) scribendumque pro eo esse dixit 'iniungerent'. quam coniecturam ii, qui post Vorstium in Iustini opere recensendo operam collocaverunt, omnes missam fecerunt excepto Ruehlio, qui ab oblivione vindicans eam reposuit, ut mihi quidem videtur, iniuria. nam etsi non nego 'infundere detrimenta' tam audacter vel dure dictum esse, ut, si in scriptoris, qualis est Caesar vel Sallustius, libris obviam fieret, dubitationes nobis iniceret, tamen non tam moleste id fero apud Iustinum, quippe cuius in dictione multa inesse iam cognoverimus a communi dicendi genere recedentia atque adeo nonnulla plane singularia. hanc porro insolentem locutionem e librarii cuiusdam manu fluxisse quis est qui credat? immo id statuere licet de codicum Italicorum lectione 'infligerent', quae ei tribuenda videtur, qui verbum 'infundere' explicare vel corrigere studuit. adde quod hoc verbum ab aliis quoque scriptoribus inferioris aetatis sensu translato cum dativo copulatur, id quod ex Ammiani intellegitur loco, quem adtulit Gronovius: 14, 5, 6 'fluminis modo fortunis complurium sese repentinus infudit'. praeterea verbum 'infundere' apud Iustinum propria vi positum legimus 32, 4, 5 'auro suo in statuis ('in' om. TΠ), quas secum portabat, infuso'. ingerere 18, 7, 9 'omnium se oculis ingereret', 6, 8, 7 'recusanti omnia imperia ingesta sunt', 20, 4, 10 'frugalitatem omnibus ingerebat'. ante Livium haec structura in prosa oratione non invenitur, cf. Liv. 41, 10, 6 'cum ... ingessisset probra M. Iunio' (v. Kuehnast. p. 135). inicere 3, 5, 10 'ardorem militibus iniecit'; cf. 6, 7, 12; 18, 4, 15; 25, 1, 7. intendere 2, 5, 5 'inopinantibus verbera intenta', 24, 3, 8 'quae (vulnera) liberis intendebantur'. praeterea cum praepositionibus 'ad' 13, 6, 4; 21, 1, 4; 21, 4, 1 et 'in' 1, 8, 9; 11, 8, 8 coniungitur. offerre 2, 6, 21 al. verbo permiscere Iustinus pari modo ac Tacitus (cf. Ann. 13, 24; 15, 44) non solum dativum personae adnectit 36, 4, 3 'noxia innoxiis permiscebat', sed etiam dativum rei 36, 2, 16 'iustitia religioni (religione IT) permixta', qua in re a Cicerone et Sallustio recedit, qui ablativo utuntur modo solo modo praepositione 'cum' adiecta. eodem modo, quo optimi scriptores 'posthabere' adhibent, usurpat Iustinus verbum postponere 30, 4, 9 'ne Hannibalem quidem Alexandro Magno postponendum'. ac similiter etiam Tacitus Ann. 14, 55. praetendere 29, 4, 11 'Philopoemeni Achaeorum duci ... insidias praetendit', 43, 4, 10 'regi insidiae praetenduntur'. in eleganti sermone non usitatus esse videtur dativus, qui a verbo proscribere

pendet 2, 12, 2 'saxis proscribi curat'. provolvere 11, 9, 14 'provolutae deinde genibus Alexandri', item Tac. Ann. 11, 30; 12, 18; 14, 61. alii scriptores velut Livius Curtius Florus praepositione 'ad' utuntur. subdere 11, 1, 4 'facem nuptiis filiae accensam rogo patris subditam'. sic Livius Curtius Tacitus alii. subicere 1, 3, 3; 13, 2, 12 al. submittere 13, 2, 3 'ut ei aliquis se submitteret'. dativus Iustino communis est cum poetis, velut Verg. Aen. 4, 414, Ovid. Her. 4, 151, et Tacito Ann. 2, 72, nisi quod hi dativum rei ponunt, apud Iustinum dativus persona efficitur. subtrahere 2, 12, 25 'pugnae se paulatim subtrahere'; cf. 5, 11, 9; 16, 4, 20; 18, 4, 14; 43, 2, 6. sufficere 5, 6, 1 'Conon Alcibiadi suffectus'. ceteris locis pro dativo locutio 'in locum alicuius sufficere' usurpatur: 11, 10, 7 'suffectis in loca eorum novis regibus', 21, 1, 1 'in locum eius milites maximum natu ... suffecere', 22, 1, 12; 29, 1, 6. utramque structuram Livius et Tacitus admittunt. suffigere cum dativo ponitur 22, 7, 8 'patibulo suffixus est', 30, 2, 7 'patibulis suffiguntur', cum praepositione 'in' 18, 7, 15 'eum cum ornatu suo in altissimam crucem ... suffigi iussit'. alteram structuram apud meliores scriptores frustra quaeras. dativi structura omnium longe rarissima exstat 12, 14, 9, ubi verbum supermittere, idem quod 'insuper addere', cum dativo conexum est: 'quam (aquam) praegustatae iam potioni supermiserunt'. simile exemplum Georges s. h. v. profert: Itin. Alex. 18 (46) 'arae lapidem s.'

His verbis compositis nonnulla subiungo simplicia, quorum cum dativo structura ab eleganti sermone magna certe ex parte aliena est. ita invenitur alienare cum dativo constructum 6, 1, 7 'regem Tisapherni alienatum'.[1] Iustinus hac in constructione Livium sequitur, qui quamquam plurimis locis pariter ac Cicero praepositionem 'ab' adhibet, hic illic tamen dativo utitur, velut 44, 27, 8, cf. Kuehnast. p. 122. deinde cum dativo coniunctum legimus haerere 29, 4, 8 'reges lateri eius haerentes'. huius locutionis translatae exemplum sine dubio a Vergilio repetitum est, in cuius Aen. 4, 73 eadem verba sensu proprio occurrunt: 'haeret lateri letalis harundo'. sed 2, 10, 16 Iustinus post hoc verbum 'in' praepositionem posuit: 'haerentibus in coniectura viris'. Livii eorumque, qui post Livium scripserunt, usui congruenter Iustinus verbo iungere dativum adposuit: 2, 6, 8 'marem feminae matrimonio iunxit', 8, 6, 4 'uxori suae ... artissima cognatione iunctum', cf. 9, 3, 5; 9, 3, 8; 12, 13, 7; 13, 5, 10; 15, 4, 24; 16, 2, 2; 30, 2, 5. notabilis porro videtur verbi mitigare significanter positi, ut ei insit eadem notio, quae nostro '*Jemanden mit Jemandem aussöhnen*', cum dativo structura, quam legimus 9, 7, 6 'vixque revocanti mitigatus est patri', 31, 4, 4 'qui ... Hannibalem ... Romanis mitigarent'.

---

[1]) Sed 1, 7, 18 legimus: 'uxorem ... a se alienavit'.

De dativo finali.

Ad significandum finem dativus rei verbo 'esse' ita adiungitur, ut unam cum eo efficiat notionem, ad quam accedit dativus personae. in adhibendis autem substantivis, quae finis designandi causa in dativo ponuntur, Iustinus eum, quem priores scriptores tenuerunt modum, fere non egressus est: pauca adhibuit substantiva atque ea, quae sola mente sunt percipienda, velut 'exitium fraus, salus, spectaculum, offensa, praeda, quaestio'. id quod vere dictum esse intelleges, si exempla, quae collegi, inspexeris. ex his autem ea primo loco colloco, quae Iustino cum omnibus fere vel optimis certe scriptoribus communia sunt: 12, 7, 2 'quae res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit', 43, 4, 3 'Massiliam exitio finitimis populis futuram', 21, 3, 5 'quae res ne virginibus voto civitatem solventibus fraudi esset', 22, 1, 5 'saluti ei fuit, quod . . .'. substantivi 'spectaculum' dativum, qui exstat 11, 13, 4 'acies hostibus spectaculo fuit', 38, 8, 11 'Africanus . . . spectaculo Alexandrinis fuit', iam Cornelius Nepos praef. 5 et Livius 2, 38, 3 cum verbo 'esse' coniunxerunt. minus vero usitata est locutio 'offensae esse', quae ex analogia locutionis 'offensioni esse' ponitur 32, 2, 7 'apud patrem nota absolutionis causa offensae fuit'; hoc exemplum eo quoque est notabile, quod pro dativo personae Iustinus usus est praepositione 'apud'. pari insolentia conspicuus est dativus finalis 'quaestioni' 2, 10, 15 'quaestioni res diu fuit'. equidem tale exemplum apud solutae orationis scriptores non repperi. ex comicorum autem sermone Nielaender (in comment., quam adiecit programmati gymnasii Schneidemühlens. a. 1877, p. 34) adtulit locum, qui est Plaut. Cist. 321 'ne quaestioni mihi sit, si quid eum velim'. pro dativo finali etiam nominativus praedicativus usurpatur. huc pertinet substantivum 'praeda', quod modo in dativo modo in nominativo positum conspicimus: 3, 6, 4 'Lacedaemoniis praedae ac rapinae esset (pecunia)', 30, 4, 12 'qui . . . praedae eisdem Dardanis fuerint', 39, 5, 6 'praedaeque Arabum genti . . . fuerint', 34, 2, 5 'coniuges quoque liberique . . . captivi facti praeda hostium fuere', 41, 1, 4 'praeda victorum fuere'. 31, 1, 1 duo codicum genera ita inter se discrepant, ut ITP tradatur: 'qui in spem regni relictus praeda etiam domesticis erat', in cod. C contra pro 'praeda' exaratum sit 'praedae'. ac Ruehlius quidem codicis C scripturam amplexus est. sed non habet altera lectio, cur alteri praeferatur. nam utraque Iustini optime convenit dicendi consuetudini; cf. de frequenti in his structuris codicum fluctuatione Dukerum ad Flor. 1, 1, 10. alterum exemplum nominativi praedicativi pro dativo finali positi exstat 11, 3, 10 'odium eos omnium populorum esse'.

Dativus finalis etiam verbis 'habere' et 'dare' adicitur non contra usum ab optimis scriptoribus observatum: 37, 4, 9 'sic ludibrio habiti legati', 43, 3, 5 'quod illis temporibus gloriae habebatur', 8, 1, 5 'Lacedaemoniis crimini datum', 44, 4, 9 'regi dono datus est', 3, 7, 9, 'agros ipsos dono rei publicae

dederat'. multis denique aliis verbis dativum, quo finis designetur, Iustinus simili modo ac Livius et Tacitus subiungit, velut 24, 1, 5 'huic bello ducem deligunt Area', 21, 4, 2 'cui sceleri sollemnem nuptiarum diem filiae suae legit'. saepissime vero ab Iustino finis, ad quem spectat actio, dativi loco praepositione 'in' cum accusativo exprimitur, velut 6, 1, 2 'Herculides dux in hanc militiam electus'. atque in primis unum est substantivum, cui in locutionibus verbis 'venire, mittere, adhibere, relinquere' aliis conformatis Iustinus constanter praefigit praepositionem 'in': hoc est substantivum 'auxilium'. nusquam hoc apud Iustinum in dativo positum reperies, veluti 'auxilio venire, mittere' vel tale quid, sed semper dicitur 'in auxilium', semel 'ad auxilium'. conferas exempla, quae congessi: 'in auxilium venire': 1, 7, 3; 2, 12, 1; 2, 12, 23; 12, 9, 11; 23, 1, 15; 27, 2, 9; 'in auxilium mittere': 2, 4, 28; 4, 4, 3; 5, 9, 9; 9, 2, 6; 15, 2, 17; 18, 2, 1; 'ad auxilium' 22, 2, 3; 'relinquere in auxilium' 13, 8, 3, 'adhibere in auxilium' 3, 6, 2; 6, 6, 7. huic substantivo cum praepositione 'in' coniuncto alia praeterea verba adduntur velut 'vocare, invocare, implorare' 4, 3, 1; 5, 3, 3; 24, 5, 9; 25, 2, 11; 23, 3, 2. iam ex his exemplis satis clare, ut opinor, intelleges, quo modo dativus praepositionibus compensetur apud Iustinum. e cuius libris quotquot notavi locos, si velim commemorare, complures facile possim complere paginas. sed hoc longum est et ab eo, quod mihi propositum, alienum. proinde ad dativum finalem revertamur.

Hoc casu exprimitur res, in qua finis cernitur, his porro locis: 28, 2, 5 'sedemque sepulcris eorum praebuisse, quam illi urbibus imperioque suo proposuerant', 35, 2, 1 'ut... paternae ultioni servarentur', 1, 4, 12 'permitteretque sibi sive fortunae ipsius sive spei suae puerum nutrire'. dignus admodum qui adnotetur est dativus verbo 'parare' adiectus 26, 2, 2 'se proelio pararent'. nam simplicia huius verbi tempora nisi a poetis velut Verg. Aen. 10, 259 'pugnaeque parent se', cum dativo non usurpantur. minore autem insolentia Livius 1, 1, 8 'animum vel bello vel paci paratum' participio perfecti passivi ita utitur, quod vim prae se fert adiectivi. alios locos videas apud Beneckium ad h. l. ratio finalis his quoque locis cernitur: 36, 2, 16 'Arruas sacerdos sacris Aegyptiis, mox rex creatur', 2, 15, 6 'spatium consummando operi quaerebat', 1, 6, 1 'socium coeptis assumeret' (quo cum loco cf. 1, 7, 1 'Cyrus Sybaren coeptorum socium...').

Atque his exemplis prolatis iam transeamus ad eius dativi usum, qui pro genetivo positus esse videtur. dico 'videtur', nam dativus non ita genetivi vice fungitur, ut idem quod hic valeat, ut nullum inter utramque intercedat structuram discrimen. immo quotienscumque dativus genetivi loco positus videtur, nova ac peculiaris quaedam enuntiato ingeritur ratio. dum enim nomen in genetivo positum nihil aliud nisi substantivum, unde pendet, adficit praetereaque actione non tactum, eius tamquam non particeps est, nomen dativo expressum sui iuris fit et adversus totius enuntiati substantiam, quam quodam

modo adficit, tamquam altiore loco constituitur, vel, ut paucis dicam, in toto enuntiato pondus habet multo maius. tantam igitur cum in sese habeat vim dativus, non miraberis eius omnium longe amantissimum fuisse Tacitum, cuius dictionis granditati is optime convenit; cf. Draeger. De Taciti elocutione², p. 24 sq. etiam Livius, de quo conf. quae Kuehnast. p. 119 sq. exposuit, hunc dativum satis frequenter usurpavit: ac ne Cicero quidem eum prorsus aspernatus est (cf. Catil. 2, 5, 11 'huic ego me bello ducem profiteor'). apud Iustinum non ita rara sunt huius dativi exempla, quamquam non tam audaces, quam Tacitus praebet, inveniuntur structurae. e locorum, quos excerpsi, copia primum nonnullos in medium proferam, quibus verbum 'esse' legitur: 12, 15, 9 'tanta illi magnitudo animi fuit', 31, 6, 1 'huic sententiae obtrectatores amici regis erant', 38, 9, 5 'hortator illi et comes Callimander amicus erat'. sequantur loci, quibus praedicatum alio verbo efficitur: 12, 10, 6 'relicto ex numero amicorum litoralibus Indis praefecto', 29, 4, 1 'aperte hostem se his professus', 36, 1, 7 'qui se tutorem Antiocho ... substitui a populo laboraverat', 38, 2, 8 'rex illis a senatu Ariobarzanes statuitur'. porro dativus genetivi tamquam munere fungitur his locis: 11, 10, 13 'augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum' (cf. Liv. 6, 38, 9 'ducibus plebis accendit ... animos'), 43, 5, 3 'quae res illis ... virium fiduciam auxit', 19, 1, 8 'hostibus quoque crevere animi' (cf. Liv. 28, 19, 16 'hostibus cresceret animus'), 36, 3, 1 'opes genti ... crevere', 36, 2, 14 'illa dies famem illis erroremque finierat', 12, 8, 10 'finem tandem bellis faceret'. cum autem hi loci ita comparati sint, ut fortasse alicui in mentem venire possit dativum cum verbo coniungere, iam duos proponam locos, quibus dativus verbo non intercedente exstat: 11, 15, 7 'illi debitorem mori', 24, 8, 5 'comites ei'. haud inepte Rumpelius, qui de dativi vi et usu accuratissime egit, p. 302 hunc dativi usum cum locutione comparavit, quae etiam apud nos non quidem in culta politaque oratione, sed in vulgari tamen sermone satis frequenter recurrit: *'dem Fritz sein Vater hat es gesagt'*.

De ablativi usu.

De ablativo causae.

Siquidem qui filium genuit, effecit, ut is sit, ideoque tamquam causa eius potest cogitari, quem procreavit, in hoc caput referre licet ablativum, qui verbis nascendi adiungitur, quemque etiam originis dicunt. verum verba huc spectantia, 'natus, genitus, procreare, provenire', ab Iustino non ubique cum ablativo nudo coniunguntur, sed satis saepe praepositiones 'ex' vel 'ab' substantivis in ablativo positis praefiguntur. ac primum quidem participium 'natus' cum solo consociatur ablativo his locis: 2, 10, 7 'matre regina natum', 20, 4, 3 'Demarato, locuplete negotiatore, patre natus' (e codicum VQRP

scriptura, ceteri inter se discrepant), 22, 1, 2 'patre figulo natus'. item solus usurpatur ablativus, si non pater, sed summatim familia vel genus significatur, unde quis ducit originem: 15, 3, 1 'erat hic Lysimachus inlustri quidem Macedoniae loco natus', 15, 4, 15 'fuit hic humili quidem genere natus'. contra praepositionem 'ex' deprehendimus his locis: 3, 4, 7 'ex his nati', 13, 2, 7 'natum ex Barsine', 13, 2, 11 'quod ex Larissaeo scorto nasceretur', 17, 3, 14 'ex quo nata est Olympias', 23, 4, 6 'ex ancilla natus'. dum autem hoc verbum eiusque structurae non abhorrent a probatorum scriptorum consuetudine dicendi, participii 'genitus' cum ablativo constructionem e poetarum sermone (cf. Verg. Aen. 7, 679 'Volcano genitum') a Livio primo esse haustam ac tum a scriptoribus aetatis argenteae usurpatam esse constat: Curt. 9, 8, 22, Flor. 1, 1, 1, 2. hunc igitur usum sequitur etiam Iustinus: 2, 4, 13 'genitas se Marte praedicabant', 23, 4, 4 'genitus erat patre † Hieroclito', 39, 2, 10 'eadem matre genitus'. saepius tamen praepositiones adhibet: 8, 3, 10 'ex noverca genitos', 23, 2, 6 'genitosque ex ea duos parvulos', 36, 4, 6 'ex paelice Ephesia . . . genitus', 38, 2, 5 'ex eo Ariarathe genitum', 12, 7, 10 'ab eo genitum', 42, 2, 12 'ab Aegeo, rege Atheniensium genito'. denique ablativus, quo significatur origo, verbis 'provenire' et 'procreare' adiungitur: 2, 10, 4 'Dareo sed privato provenisse', 2, 10, 6 'non patre tantum sed et matre privatae adhuc fortunae, ita avo quoque materno privato procreatus sit'. ceteris locis praepositionem 'ex' adiectam conspicimus: 26, 3, 3 'ex filia Ptolemei procreatus erat', 43, 1, 9 'ex filia Fauni . . . procreatur', 31, 8, 1 'ab his procreatos'.

Ab ablativo originis ad ablativum causae, qui proprie dicitur, transgrediamur. haud iniuria hunc ablativum nonnulli grammatici, veluti Draegerus Schmalzius alii, in duo genera dispertierunt, quorum unum eos complectitur locos, quibus causa, qua actio movetur, in animo subiecti agentis sita est, alterum eos, quibus extra subiectum posita est causa. hanc autem partitionem recte se habere iam e ratione, qua per singulas linguae latinae aetates hic ablativus a scriptoribus usurpatur, satis clare adparet. cum enim si causa est indicanda interior, omnibus fere temporibus ablativus inveniatur, rarissime a Cicerone atque frequentius a Livio demum et Tacito adhibetur ad causam, quae extra subiectum posita est, significandam. etiam apud Iustinum plura ablativi prioris generis exstant exempla quam alterius. ac plerumque, id quod ex ipsa rei natura sequitur, animi quidam adfectus causam efficit interiorem. frequentantur enim ab Iustino hi ablativi: 'admiratione, aemulatione, amore, conscientia, contemptu, cupiditate, fiducia, metu, miseratione, misericordia, odio, pudore, recordatione, spe, taedio, verecundia'. quibus ablativis Iustinus rarius quam Cicero Caesar Nepos participium perfecti passivi adicit: 25, 4, 5 'admiratione nominis eius simul et rerum adversus Romanos Poenosque gestarum adtonita', 14, 5, 2 'aemulatione perculsa', 20, 2, 11 'quo metu territi', 28, 3, 16 'pudore motus', 5, 10, 7 'misericordia exulis populi permotus,

17, 3, 20 'misericordia fortunae eius ... inductus', 32, 2, 4 'verecundia eius motus'. sed magis digna quae commemorentur ea sunt exempla, in quibus causam exteriorem, eam dico, quae extra subiectum posita est, ablativo solo expressam conspicimus: 5, 5, 2 'praedae dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites habet' (cf. Liv. 4, 12 'dulcedine contionum'), 41, 3, 1 'uxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent', 12, 4, 4 'laborem militiae molliorem fore dulcedine uxorum', 8, 6, 6 'maiora in eo obsequia habiturus sive conscientiae pudore sive regni beneficio', 9, 8, 9 'amicitias utilitate, non fide colebat', 13, 1, 5 'indulgentia victoris in eam diem vitae non paenituerat', 16, 1, 11 'regem ... se Macedoniae vel aetatis experimentis vel causis iustiorem esse', 20, 5, 10 'bellum quod lue deseruerant', 21, 5, 9 'magisque haec arte quam amisso regali pudore faciebat', 22, 2, 1 'odio Syracusanorum primo praetor mox dux creatur', 22, 8, 10 'a patre noctis errore discesserat' (cf. Liv. 24, 17 'id errore viarum an exiguitate temporis exsequi non potuerit incertum'), 24, 4, 4 'Alpium iuga invicta et frigore intractabilia loca *('wegen der Kälte unwirtbare Orte')* transcendit', 29, 1, 7 'apud Karthaginienses quoque aetate immatura dux Hannibal constituitur, non penuria seniorum sed odio Romanorum', 34, 2, 7 'ut ... sensu hominis nimia sagina careret', 38, 2, 7 'timens ne Mithridates accessione Cappadociae *('nach dem Zuwachse, wegen, infolge des Zuwachses von Cappadocien')* etiam Bithyniam finitimam invaderet', quo de loco Ruehlius non recte iudicare mihi videtur, si post 'Cappadociae' aliquid intercidisse opinatur, 38, 8, 9 'sagina ventris non homini sed beluae similis'. huc denique pertinent 44, 4, 2 'ad regnum tot periculorum miseratione pervenit' et ibid. s. 10 'admiratione deinde tot casuum periculorumque ab eodem successor regni destinatur', ubi vide quae exposuerunt Beneckius et Fittbogenius. qui 24, 4, 1 legitur ablativus: 'Galli abundante multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, CCC milia hominum ... velut ver sacrum miserunt', pro ablativo absoluto habendus esse videtur. cum igitur ad significandam et interiorem et exteriorem causam idem usurpetur ablativus, quid mirum, quod etiam alteram cum altera coniunctam ablativo expressam deprehendimus, velut 17, 2, 8 'ut ... nihil illi moliri vel verecundia matris vel appellatione patris auderent', quem usum etiam apud Livium et Tacitum inveniri exemplis adlatis C. L. Rothius confirmat ad Tac. Agricol. p. 172.

Ad hoc caput porro pertinent ablativi, qui verbis et adiectivis adiunguntur, quae sive animi sive corporis habitum significant. sed non ita multa hac in re praebet Iustinus, quae pluribus verbis persequamur. namque eadem fere verba cum ablativo coniungit, quae optimae aetatis scriptores huic casui adposuerunt: 'ardere' (8, 4, 5 'tanto odio Phocensium ardentes'), 'delectari' (praef. 1), 'exsultare' (1, 8, 9; 12, 6, 4; 24, 5, 12; 28, 3, 14), 'flagrare' (31, 3, 10; 38, 1, 1), 'florere' (31, 1, 12; 18, 6, 1; 28, 2, 12; 43, 5, 4), 'gaudere' (13, 3, 10; 18, 5, 8; 19, 3, 4), 'gloriari' (2, 6, 3; 19, 3, 4; 30, 4, 15), 'laborare' (4, 3, 1; 16, 3, 4; 18,

6, 11), 'laetus' (11, 11, 8; 17, 2, 2; 23, 3, 3; 27, 2, 4; 38, 8, 3, cum praepositione 'ex' coniunctum 13, 8, 5), 'fessus' (2, 5, 2; 3, 7, 13; 6, 6, 4; 12, 8, 10; 18, 5, 9; 24, 7, 1). praeter haec verba pauca tantum Iustini libros legenti obviam fiunt, quae apud Ciceronem et Caesarem nondum secum habent ablativum, 'tumere' 39, 2, 1 'tumens successu rerum' et 'virere' 30, 4, 15 'virentem recentibus experimentis', quae verba poetarum more scriptores iam inde a Livio cum ablativo consociare solent. in construendo autem verbo 'stupere' Iustini codices in duas partes ita discedunt, ut alii ablativum, accusativum alii exhibeant. ita 26, 1, 8 'hac tam saeva dominatione stupentibus' traditur libris CΠQ[2], quibuscum consentiunt etiam Transalpini, nisi quod 'ac' habent pro 'hac', in Italicis 'hanc tam saevam dominationem' exaratum est. atque accusativo, si e Iustini sermonis consuetudine rem spectas, nihil, puto, reperies, quod obstet; nam cum adfectuum verbis rem, qua animus movetur, accusativo expressam coniungi iam supra vidimus. verum si ei rei, quod plurimis codicibus et eis non pessimis ablativus traditur, aliquid tribuendum censes, hunc casum accusativo praeferes. item 24, 6, 8 ablativus 'admiratione stupentibus' cum codice C contra codices ΙΤΠ 'admirationem' exhibentes retinendus esse videtur. sed aliter hic locus accipiendus est ac 26, 1, 8. nam cum 26, 1, 8 ablativus 'saeva dominatione' tamquam obiectum sit verbi 'stupere' (nostro sermone dicas: *'über die grausame Herrschaft'*), hoc loco 'admiratione' non obiectum, sed causa est stupendi (*'aus Bewunderung, vor Verwunderung'*). neque igitur accusativus, qui in ΙΤΠ exstat cum 'stupentibus' potest coniungi — hoc enim nullum omnino efficeret sensum — sed ad verbum 'adfert' referendus est. quod si verum est, e verborum collocatione ipsa adparet accusativum 'admirationem' non ab Iustino profectum esse. qui si voluisset 'admirationem' sicut 'terrorem' verbi 'adfert' obiectum esse, substantivum 'admirationem' aut cum voce 'terrorem' ipsa coniunxisset verbis 'ignaris rei' non interiectis, aut, id quod veri similius est, 'admirationem' post 'stupentibus' collocasset ita, ut chiasmus exoriretur, qua figura ille mirum quantum delectatur. a Ciceronis denique dictione recedunt adiectiva 'anxius' et 'animosus' cum ablativo causali coniuncta: 23, 3, 6 'anxius tam ambiguo periculo', 11, 10, 12 'animosis Tyriis fiducia Karthaginiensium'.

De ablativo instrumenti.

Ablativus instrumenti ab Iustino pariter atque ab aliis scriptoribus et verbis et adiectivis adponitur, ubi instrumentum est significandum, quo aliquid efficitur. ita 2, 5, 6 'supplicia crucibus luerunt', voce 'crucibus' non locus, sed instrumentum indicatur, quo servi poenas dederunt, et 41, 4, 7 'hic solitus latrociniis et rapto vivere', 'latrocinia' et 'raptum' tamquam instrumenta sunt, quibus Arsaces vitam tolerabat, cf. Sall. Hist. 3, 52 'rapto vivere coacti'. item 31, 1, 8 ad participium 'adsuetus' accedit ablativus instrumenti: 'adsuetum

imperio et immoderata licentia militari', quod Vorstio (cf. Frotscher. III, p. 291) nequaquam offensioni esse debuit.[1]) cum igitur in his similibusque structuris Iustinus cum elegantissimis scriptoribus plane congruat, alia est res in verbis 'constare' et 'occupari *(beschäftigt sein)*'. quorum prius, si idem valet, quod nostrum *'auf etwas beruhen'*, Iustinus contra Ciceronis et Caesaris usum, qui 'constare in aliqua re' dicunt, cum solo ablativo coniungit: 12, 13, 5 'si fatis constent'. non minus a Caesaris Ciceronisque usu abhorret alterius verbi structura: 3, 6, 5 'cum Messeniorum bello occupati essent', 6, 6, 3 'occupato sibi Aegyptio bello', 31, 6, 6 'praeda Romanis occupatis'. invenitur ea in Livii potissimum et Flori libris; cf. Fabrium ad Liv. 21, 45, 2. sed, si rem, qua quis occupatus est, non pro instrumento haberi, sed locum designari vult, in quo versatur illa occupatio, Iustinus ablativo addit praepositionem 'in': 1, 7, 11 'occupato in aliis bellis', 11, 2, 7 'in cuius apparatu occupato', 26, 2, 9 'in quo (bello) cum occupatus esset . . .', 43, 3, 9 'occupatus in apparatu nuptiarum'. atque eodem modo inter se differunt ablativus nudus, cuius crebrior est usus, et cum praepositionibus coniunctus post verba, quae occultandi, recludendi similemve habent notionem, veluti 1, 2, 3 'ne novo habitu aliquid occultare videretur'; ablativo 'novo habitu' vis inest instrumentalis: contra 25, 2, 3 'in proxima silva taciti se occultarent' locus praepositione 'in' exprimitur. ad locum significandum 1, 9, 19 'occultato sub veste ferro' etiam praepositio 'sub' adhibetur. cum praepositione porro constructum videmus verbum 'recludere' 26, 1, 7 'in carcerem recluduntur'. nudus ablativus vi instrumentali praeditus nonnullis aliis verbis huc spectantibus adicitur, veluti abscondere 31, 2, 4 'habebat ibi navem cum remigibus occulto sinu litoris absconditam', quod verbum ita constructum apud poetas (cf. Verg. Georg. 3, 558 'foveis abscondere') et posteriores legitur scriptores, sepeliri notione translata 43, 4, 7 'urbem somno ac vino sepultam', quam locutionem ex Verg. Aen. 2, 265 constat petitam esse (cf. Sonnyum p. 476), involvere 15, 3, 8 'manum amiculo involutam', 18, 4, 12 'involucris involuta'.

Identidem ablativus instrumenti verbis proficiscendi adiungitur: 11, 7, 13 'quo (plaustro) vehenti regnum delatum fuerat', 41, 3, 4 'equis omni tempore vectantur'. perquam miri duo sunt loci, quippe quibus verba 'ire' et 'incedere' cum ablativis 'plaustro' et 'equis' coniunguntur: 11, 7, 11 'euntem plaustro repperissent', 41, 3, 4 'liberi non nisi equis incedunt', cum quibus locis conferas similes, quos adtulit Beneckius.

His omnibus locis res aliqua est instrumentum, quo actio efficitur. at non solum res, sed etiam personae pro instrumentis accipi ideoque ablativo exprimi possunt praepositione non adiecta. Iustinus autem hac licentia, qua

---

[1]) De huius verbi cum dativo structura vide p. 114.

maxime poetae et scriptores posteriores excellunt, non intemperanter abusus est, sed eas potissimum notiones, quae e rebus militaribus sunt, in ablativo instrumentali posuit, velut 6, 5, 9 'quae incensa fuerant, praedarum fructu et exercitu Persarum restituit', 30, 4, 14 'non enim alio exercitu ... sed his ipsis, quos in acie habeat, militibus subactos', ubi ablativus 'exercitu' eo minus offendit, quod 'exercitus' nomen collectivum est, quo singuli milites tamquam in unum corpus comprehenduntur. idem valet de loco 42, 5, 5 'Scytharum maxime auxilio in regnum restituitur', quo loco 'auxilium' nostrum '*Hilfsheer*' significare recte adnotat Fittbogenius. et ut his locis, ita etiam 18, 2, 2 omnibus codicibus nudus exhibetur ablativus: 'ut, quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis iuvarentur', neque debebat Ruehlius futtilem sane Fabri coniecturam 'ab externo hoste' e tenebris in lucem protrahere. nam ablativus solus h. l. eo facilius ferri potest, quod verba 'externis auxiliis' opposita sunt illis 'externo hoste'. ceterum similes ablativi iam apud Livium satis frequenter occurrunt, veluti 23, 42, 6 'nullo externo adiuti nec duce nec exercitu'. de loco, quem legimus 13, 1, 14 'cum exercitus Macedonum tot non ducibus sed regibus regeretur', iam supra (p. 107) dubitari posse dixi, 'ducibus' et 'regibus' utrum ablativi an dativi habendi essent. contra Iustinus, sane quidem parcissime, pro ablativo instrumenti earum notionum, quae ad rem quandam pertinent, praepositionem 'ab' adhibuit, velut 2, 12, 18 'ne circumveniri a multitudine possent', 12, 1, 11 'etsi a multitudine victus', 11, 13, 3 'a repentina securitate datum', ad quem locum vide Fittbogenium.

Iam vero exponere aggredior, qua dicendi ratione utatur Iustinus, cum agitur de comitatu militari. cuius generis locutiones quamquam a plerisque grammaticis in eo, quo de ablativo modi disputant, capite tractantur, ego tamen huic capiti ea de causa insero, quod quatenus solus adhibetur ablativus, is pro ablativo instrumenti habendus est. Iustinus igitur ad copias significandas, quibuscum dux quidam res gerit, modo ablativum solum modo praepositionem 'cum' usurpat, neque pertinet ad eum illa lex, quam Caesarem secutum esse dicit Krahnerus ad Bell. civ. 1, 41, 2, quae in eo consistit, ut praepositio 'cum' ponatur, si certus quidam copiarum numerus proferatur, contra, si de copiis generaliter tantum agatur (velut in locutionibus, quales sunt 'omnibus copiis, magna manu' simil.), solus usurpetur ablativus. immo Iustinus tum quoque praepositionem 'cum' substantivis praefigit, si certus numerus non significatur: veluti scripsit 23, 2, 13 'Karthaginienses... magnis viribus eo traiciunt', 30, 3, 2 '... parva Macedonum manu', contra 11, 8, 1 'Dareum cum ingenti exercitu adventare', 13, 5, 7 'cum valida manu', 25, 3, 7 'cum conducta Gallorum mercennaria manu'. in ablativo praepositione non adiecta ponitur porro 'armati' 43, 4, 7 'urbem ... armatis invaderet', quo loco temptanda non erat librorum scriptura, id quod fecit Beneckius, qui 'armatus' vel 'armis' scripsit. eiusdem ablativi exempla exstant apud Livium et Cornelium Nepotem (cf. Dion. 9, 2 al.).

item praepositio 'cum' abest 2, 5, 10 'armatis septingentis milibus hominum Scythiam ingressus', 2, 9, 9 'instructis decem milibus civium et Plataeensibus auxiliaribus mille ... in proelium egrediuntur', nisi forte mavis his locis statuere ablativum absolutum. cum his locis eos compono, quibus praepositionem ('cum') positam conspicimus et non indicato copiarum numero: 13, 5, 14 'obviam ei Athenienses cum instructis copiis ivere', et certo copiarum numero commemorato: 2, 11, 2 'cum IIII milibus militum', 11, 12, 5 'cum quadringentis milibus peditum', 42, 5, 3 'cum sedecim validissimis legionibus'.

Ad ablativum instrumenti pertinet etiam ablativus cum verbo mutandi iunctus. is, quo res vel persona exprimitur, quam quis pro alia accipit, apud Ciceronem quidem inveniri non videtur, invenitur apud Sallustium Livium Curtium Tacitum alios. Iustinus autem huius modi exemplum offert 1, 1, 4 'primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem et quasi avitum gentibus morem nova imperii cupiditate mutavit'. nam equidem 'nova cupiditate' non ablativum causae esse puto, quem putat Forbigerus, qui ita interpretatur: '*Ninus veränderte ... die alte Sitte aus bis dahin unbekannter Herrschbegierde*'. immo mea quidem sententia ita interpretandus est hic locus: '*Ninus vertauschte die alte ... Sitte mit einer bis dahin unbekannten Herrschsucht*', ita ut vetus mos et nova imperii cupiditas abierint in contrarium. quam interpretationem veram esse toto verborum contextu confirmatur. cum enim in s. 3 morem fuisse narretur fines imperii tueri magis quam proferre, iam excipit hunc veterem morem cupiditas fines proferendi aliasque occupandi terras. et in s. 5 dicitur Ninum primum intulisse bella finitimis et rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Libyae perdomuisse. plane similes huic loco sunt ii, quorum unus legitur 20, 4, 2 'mutassentque vitam luxuria', alter 22, 1, 5 'vitam latrociniis mutavit'. atque etiam personam, quae in alterius locum substituitur, Iustinus in solo ablativo posuit 5, 5, 4 'Alcibiadem ducem Conone mutarent'. praeterea autem utitur praepositione 1, 2, 11 'veluti sexum cum matre mutasset'. cum praepositione porro construitur verbum compositum 'commutare' 3, 1, 8 'iubet Artabanum secum (loricam) commutare'. superest ut commemoretur verbum 'permutare' apud Iustinum accusativum tantum adsumere: cf. 2, 6, 19; 1, 4, 13.

De ablativo copiae et inopiae.

Casus instrumentalis vim habet quoque ablativus, qui verbis copiae et inopiae adiungitur. quibus in verbis usurpandis Iustinus elegantissimorum scriptorum usum accuratissime observat. cum ablativo enim coniungit haec verba: abundare 18, 3, 6; 18, 4, 2; 21, 5, 9; 25, 1, 10, explere 5, 4, 16 (ubi vide Beneckium); 9, 2, 7; 41, 5, 3, implere 2, 13, 12; 11, 7, 14; 22, 2, 6; 23, 2, 11; 24, 2, 10; 24, 6, 9; 25, 2, 8 (examine aliquo ITΠ, examen aliquot C), 29, 4, 9; 43, 1, 8, replere 1, 8, 13; 10, 3, 1; 11, 3, 11; 21, 2, 2; 24, 5, 8; 32, 4, 4; 32, 4, 7,

supplere 12, 11, 4, satiare 1, 8, 13; 12, 6, 5, saturare 12, 12, 6, carere 2, 13, 10; 15, 2, 14; 22, 8, 14; 34, 2, 7; 36, 3, 7, egere 9, 2, 4; 24, 4, 9; 24, 6, 5; 31, 5, 2; 41, 5, 3; [44, 4, 5],[1]) indigere 18, 1, 1; 25, 1, 10.[2]) ex adiectivis, quae copiam significant, ablativum secum habent 'dives' et 'onustus', quorum hoc tantum cum ablativo constructum ab optimis scriptoribus frequentatur, illud a poetarum et scriptorum posteriorum sermone haud alienum est: 'onustus' 24, 6, 1; 25, 1, 6, 'dives' 8, 1, 9; 44, 1, 7; 44, 3, 5. de adiectivis 'plenus' et 'refertus' vide quae p. 102 exposui.

De verborum 'utor, fruor, fungor, potior, vescor' constructione.

Ablativum, qui sequitur verba 'utor, fruor, fungor, potior, vescor' instrumenti habere vim nemo est qui nesciat. neque minus constat haec verba etiam cum accusativo coniungi eumque usum in vulgari potissimum sermone viguisse, etiamsi argumentis non satis comprobatum est, quod putat Schmalzius p. 280, adn. 2, accusativi structuram esse antiquiorem et primariam; cf. P. Langenium in Woelfflini archiv. t. III, p. 329 sq. nobis vero iam nascitur ea quaestio, utrum Iustinus cum his verbis ablativum tantum copulaverit an etiam accusativum admiserit. ac priores quidem editores, Gronovius Duebnerus Beneckius Fittbogenius Ieepius, nulla interposita dubitatione accusativum Iustino vindicaverunt, sed Ruehlius eum ne uno quidem loco vult admittere. perquam sane difficile est, si fieri ullo pacto potest, certum de hac quaestione facere iudicium, praesertim cum nonnullis locis, qui huc spectant, non solum codicum classes altera contra alteram stent, sed etiam singuli eiusdem classis libri ita inter se discrepent, ut quid habuerit archetypus haud facile cognoscas. sed iam singulorum verborum usum tractemus et in eos locos accuratius inquiramus, quibus nonnulla exstant accusativi vestigia. atque 'utor' quidem verbum ubique cum ablativo constructum traditur codicibus velut 2, 2, 4 'quibus (plaustris) ... pro domibus utuntur', 3, 3, 5 'una veste uti', 11, 3, 6 'eadem indulgentia usurus' al. saepe numero etiam sicut apud alios scriptores alter ablativus priori praedicati vice accedit, velut 8, 2, 11; 18, 1, 2; 38, 1, 6 al. iam aliter res se habet in verbo 'vesci', quod tribus locis omnium codicum consensu cum ablativo coniungitur: 2, 2, 8 'lacte et melle vescuntur', 19, 1, 10 'canina vesci prohibebantur', 41, 3, 3 'carne nonnisi venatibus quaesita vescuntur': at 2, 6, 5 sola classis Italica ablativum praebet, in TΠ exaratus est accusativus: 'glandem vescentibus'. nec mihi displicet codicum TΠ scriptura, quae non ex librariorum libidine fluxisse videtur. facilius certe id fieri potuit, ut in scriptura 'glande', quae codicibus Italicis suppeditatur, virgula supra 'e' a

---

[1]) Eum locum, quo participium 'egens' legitur genetivo adiecto, 23, 4, 7, iam supra p. 103 adtuli.

[2]) Huic verbo Cicero frequentius genetivum adiungit.

librariis omitteretur. quod si Ruehlius (*Textesq.* p. 101) ad tres locos, in quibus ablativus legitur, nos revocat, id nullius fere momenti est, quia Iustinum unius structurae nequaquam tenacem esse satis superque cognovimus. ceterum alter praesto est locus, ubi omnibus inter se conspirantibus codicibus accusativum positum animadvertimus: 44, 4, 11 'et ex agresti cibo mitiora vesci odio eorum, quae ipse passus fuerat, homines coëgit'. Ruehlius p. 149 hunc locum corruptela inquinatum esse ideoque ita corrigendum censet: 'et agresti cibo vesci'. at mea quidem sententia nulla subest causa scripturae traditae immutandae. nam praepositionem 'ex' nihil habere offensionis iam Fittbogenius ad 12, 10, 1 ostendit. neque magis offendere debet illud 'mitiora', quod oppositum est 'agresti cibo'. Habis enim postquam barbaros docuit agriculturam, ad hunc cultum eos etiam victum iubet accommodare, i. e. non feris venandis vivere, sed mitibus agrorum fructibus. difficilior diiudicatu est quaestio, num cum verbo 'fungor' accusativum tamquam obiectum coniunxerit Iustinus. unus enim tantum exstat locus 19, 1, 1 atque is ita comparatus, ut codices in diversum tendant: 'diem fungitur' praebent FLT, 'defungitur' $E^2Π$, ceteri 'die fungitur'. postremam scripturam in contextum recepit Ruehlius contra priores editores, qui accusativum reposuerant. utra vera sit lectio, e codicibus tanto opere inter se discrepantibus vix diiudicare possis. neque Orosius hanc tollere potest difficultatem, utpote qui in hac parte non usus sit Iustino. id tantum certum est ceteris Iustini locis inveniri ablativum: 2, 4, 25; 6, 7, 11; 7, 4, 8; 9, 2, 12; 21, 3, 4. maiore cum fide statuere licet, qua usus sit Iustinus structura in verbo 'potiri'. quod, si 11, 7, 4, ubi gerundivi constructio nihil habet miri: 'cuius urbis potiundae... cupido eum cepit', excipis, omnibus locis intransitive usurpatum est idque coniunctum aut cum ablativo: 1, 2, 10; 2, 4, 31; 3, 1, 3; 5, 11, 9; 12, 7, 10; 12, 7, 13; 14, 5, 10; 18, 3, 7; 36, 1, 8; 37, 1, 4; 40, 1, 4; 43, 1, 2; 43, 2, 1 aut cum genetivo 'rerum': 8, 1, 4; 16, 3, 9; 33, 2, 6. restant duo loci, ubi una classis Transalpina contra ceteros codices accusativum praebet: 6, 4, 8 'potiti victoriam' ('victoria' ceteri) et 9, 7, 12 'ultionem potita' ('ultio' I, 'ultione' ceteri). sed priore loco ex Oros. 3, 1, 18 intellegimus ablativum 'victoria' genuinam scripturam esse. itemque altero loco 'ultione' scribendum esse existimo, etiamsi Orosio teste non utimur. denique cum verbo 'fruor' ablativum consociatum videmus 8, 3, 11 'voto fruitur' et 13, 6, 3 ablativum praegreditur accusativus vocis 'nihil': 'ut nihil hostis victor suarum rerum praeter incendii spectaculo frueretur', qui accusativus non offendit, quia neutri pronominum formas cum omnibus verbis intransitivis coniungi notum est.

De ablativo mensurae.

Non veremur, ne in errorem delabamur, si aliorum exempla secuti hunc ablativum ad ablativum instrumenti referimus. sequitur autem primum ablativus mensurae verba aestimandi, metiendi, velut 17, 1, 12 'vitaeque finem

non annorum spatio sed imperii terminis metiebantur', 22, 7, 3 'amicitiarum iura non fide sed successu ponderantes', qua in structura Iustinus cum optimi cuiusque scriptoris sermone consentit. sed iam in verbi 'aestimare' usu Iustinus a Ciceronis eiusque aequalium dicendi consuetudine eo recedit, quod nudum ablativum cum hoc verbo coniungit, Cicero vero melioresque scriptores praepositionem 'ex' ablativo praemittere solent, cf. 30, 4, 10 'sed nec Macedonas veteri fama sed praesentibus viribus aestimandos'. ab aureae aetatis sermone abhorrent etiam verborum 'censeri' et 'taxare' constructiones, quorum hoc 5, 7, 11 'quae tectorum tantum ruina taxatae sint', illud 9, 2, 9 'Scythas autem virtute animi et duritia corporis non opibus censeri' et 11, 11, 8 'hoc se patre censeri iubet' legitur. hunc usum aetate argentea viguisse exemplis edocemur, quae viri docti in Frotscheri commentariis ad locos adlatos contulerunt. deinde ablativus mensurae ponitur coniunctus cum comparativis. ac perinde atque apud alios scriptores in Iustini libris inveniuntur plerumque ablativi: 'multo' 1, 10, 1, 'paulo' 18, 3, 1, 'aliquanto' 25, 4, 10, 'hoc . . . quo' 8, 5, 11, 'tanto . . . quanto' 1, 7, 6 al.[1]) tum ablativus mensurae coniungitur cum vocibus 'ante' et 'post' ad indicandum, quanto ante vel post certum tempus praeteritum res quaedam acciderit. indicari autem tempus potest aut generalibus tantum notionibus aut certo dierum vel annorum numero prolato. ac priorem illam temporis exprimendi rationem conspicis in his iuncturis: 'paulo ante' 2, 13, 10; 5, 4, 15; 6, 4, 12, 'paulo post' 41, 2, 9, 'brevi post' 24, 3, 10, 'multo post' 2, 15, 16; 7, 5, 4. saepius autem ablativus 'tempore' diserte adiungitur: 'brevi post tempore' 4, 4, 4; 12, 2, 6; 17, 1, 4; 17, 3, 7; 32, 3, 4, 'multo post tempore' 30, 3, 7, pro qua locutione aliis locis Iustini proprium est dicere 'magno post (ante) tempore' 11, 10, 14; 13, 4, 25; 32, 3, 10; 41, 4, 8; 42, 4, 6; 25, 2, 2. altera temporis constituendi ratio efficitur certo annorum vel dierum numero addito: 18, 6, 9 'condita est haec urbs LXXII annis ante quam Roma', 14, 5, 10 'sex annis post Alexandrum potitus regno'.[2]) sed Iustinus pro ablativo, qui ei cum omnibus scriptoribus communis est, etiam praepositione 'post (ante)' utitur sequente accusativo, qui ab optimis quidem scriptoribus tum potissimum usurpatur, ubi is, qui narrat, ad suum tempus refert rem quandam actam: 18, 2, 4 'Mago Punico ingenio post paucos dies . . . Pyrrum adiit', 42, 4, 13 'post multos deinde dies . . . nihil aliud quam Pacorum vocabat'. huc pertinet etiam 6, 8, 1 (si sanus est locus) et 36, 2, 9. quibus locis adicio alios multo magis insolitos, in quibus ad accusativum 'annos' a praepositione 'post'

---

[1]) Subicio unum quidem locum, qui eo memorabilis est, quod comparativus non diserte expressus, sed mente intellegendus est: 39, 3, 10 'quanto Grypos abnuit, tanto muliebri pertinacia accenditur'.

[2]) Ab hoc loco discernas 1, 2, 10 'duos et XL annos post Ninum regno potita' *('hatte im Besitze')*, ubi accusativus ad temporis spatium exprimendum usurpatus est.

pendentem accedit genetivus: 14, 3, 8 'post tot annos emeritorum stipendiorum' pro 'tot annis post emerita stipendia', 18, 3, 5 'ante annum Troianae cladis', 38, 8, 1 'post annos tres et XX sumpti regni'.

De ablativo modi.

Ad ablativum instrumenti proxime accedit ablativus modi, ita ut multis locis animo pendeas, utrum hic an ille statuendus sit. hic autem ablativus, quo exprimitur, quo modo vel qua condicione aliquid fiat, aut caret adtributo aut eo est instructus. adtributo non adiecto inveniuntur apud Iustinum ablativi 'iure' 2, 1, 9; 2, 15, 6; 21, 2, 9, 'consilio vel ratione' 31, 6, 3, 'dolo' 3, 1, 2; 27, 1, 7 ('per dolum' 2, 8, 6; 8, 3, 6), 'silentio' 43, 1, 2 alii, quibus locis omnibus ille consentit cum optimorum scriptorum consuetudine. a Ciceronis vero Caesaris Sallustii dictione recedit usus ablativi 'astu' 2, 6, 20 et 11, 6, 8, qui Iustino communis est cum poetis, inprimis scaenicis, et scriptoribus, qui inde a Livii aetate vixerunt. huic ablativo significatione similis est alter: 'artibus' 9, 8, 12 'hic aperte, ille artibus bella tractabat', qui apud Livium et Florum saepe invenitur. pro ablativo modi porro accipiendum videtur 'furto' (= furtim) 36, 2, 13 'sacra Aegyptiorum furto abstulit', item 'legibus' et 'armis' 43, 4, 2 'legibus, non armis vivere'. longius adeo ab eleganti sermone, quo praepositio desideratur, recedunt haec exempla: 12, 8, 10 'lacrimis eum deprecatur', 44, 2, 4 'inter tormenta risu exsultavit', 2, 4, 12 'vicibus gerebant bella' (ubi v. interpretes). his igitur nisus exemplis nego 38, 2, 7 'ac ne contumelia regum foret ademptum illis' cum Ruehlio voci 'contumelia' praepositionem 'cum' praefigendam esse. instrumentalis magis eminet significatio in his exemplis: 12, 11, 6 'nec iam precibus sed convicio agebant', 14, 2, 8 'Eumenes blandimentis agere, suppliciter singulos adloqui', 24, 5, 12 'non votis agendum . . . ratus'. quibus adde 5, 2, 5 'interficiendum insidiis', 12, 15, 2 'insidiisque periisse', 20, 5, 14 'insidiis ad postremum suorum interficitur', 38, 1, 1 'Ariarathen . . . per Gordium insidiis occiderat', 38, 10, 7 'insidiis Antiochum tentabat'. sed non minus frequenter praepositionem 'per' invenimus: 'per insidias' 3, 5, 1; 5, 10, 9; 7, 6, 6; 16, 1, 9; 17, 2, 4.

Saepe numero ablativum modi comitatur adtributum, quod constat aut genetivo nominis aut adiectivo aut pronomine. atque si priorem adtributi formam spectamus, partim cum elegantissimi sermonis usu congruere partim ab eo discrepantem posteriorum dicendi consuetudinem amplecti deprehendimus Iustinum. his igitur locis non recedit a scriptorum optimorum usu: 11, 2, 5; 11, 3, 2 'exemplo patris', 13, 6, 17 'exemplo furentium', 33, 1, 5 'lege victi', 2, 7, 10 'more vaecordium', 9, 1, 9 'more negotiantium', 6, 1, 1 'more ingenii humani', 8, 3, 15 'more ingenii sui', (36, 3, 4 'in vinearum morem'), 8, 6, 5 'nomine sororis', 14, 5, 3 'regis nomine' (9, 7, 13 'sub nomine Myrtales'), 34, 3, 8 'specie venandi', (12, 7, 2 'sub specie insidiarum', 27, 3, 4 'sub specie sororiae ultionis',

31, 4, 4 'sub specie legationis', 32, 2, 1 'sub specie tributariae necessitatis'). ad argenteae autem aetatis sermonem referendi sunt hi ablativi: 1, 10, 16 'transfugae titulo', 9, 7, 10 'titulo officii', 22, 3, 4 'titulo pacis', 30, 3, 6 'titulo ferendi sociis auxilii', 18, 4, 1 'Alexandri auspiciis', 18, 7, 2 'cuius auspiciis'; 8, 3, 2 praepositio adiecta est: 'sub auspiciis eius'. atque ita Iustinus saepius modo nudum ablativum modo praepositiones adhibet; cf. 24, 7, 10 'quorum contemptu', 1, 9, 6 'cum contemptu religionis', 2, 4, 6 'cum contemptu virorum', 3, 7, 2 'cum contemptu deorum hominumque', 11, 14, 1 'cum contemptu totiens a se victi hostis', 24, 8, 2 'cum contemptu hostium'; 6, 3, 6 'pugnaturus periculo regis, victurus praemio patriae', 5, 9, 6 'audendum aliquid . . . communi etiam cum periculo'. quae cum ita sint, non offendemus in praepositione 'cum' omissa 39, 3, 11 'tunc Cleopatra execratione parricidarum mandata violatis numinibus ultione sui decedit', etiamsi legimus 38, 10, 5 'cum execratione superbiae Parthicae', quo loco adductus est Gronovius, ut 39, 3, 11 scriberet 'cum execratione'. neque Sprengeri opus est coniectura 'execrationi' scribentis (cf. Ann. phil. a. 1883, p. 176). quam in coniecturam ille ea de causa incidit, quod verba 'execratione parricidarum mandata' inter se conexa esse opinatus est (*'nachdem sie die Verfluchung der Verwandtenmörder befohlen'*). sed participium 'mandata' cum 'ultione' coniungendum est, ut haec sit illius loci sententia: *'nachdem Cleop. mit einer Verwünschung der Mörder den entweihten Göttern ihre Rache übertragen hatte, verschied sie'*.

Omnium longe frequentissime in ablativo ponuntur substantiva adiectivis vel pronominibus instructa, quae aut animi quendam habitum personae agentis, qui actionem tamquam comitatur, significant, velut 1, 10, 19 'bellum recentiore ira gerere', 2, 7, 5 'tanto temperamento inter plebem senatumque egit', 15, 2, 14 'regum tamen nominibus aequo animo caruerint', 31, 1, 8 'eum aequo animo sub legibus vivere', 18, 6, 2 'Punico cum ea ingenio egerunt', 42, 1, 3 'tyrannica crudelitate oblitus', aut exteriores condiciones cum actione coniunctas. ex quo genere ea priore loco ponam substantiva, in quibus ipsa rationis et modi inest vis: 'pari ratione' 2, 3, 4; 8, 2, 8, 'hoc modo' 3, 4, 14; 18, 4, 1, 'nullo modo' 11, 1, 6, 'regio more' 9, 8, 3; 11, 15, 14; 14, 6, 1. iam nonnulla alia sequantur exempla e singulis libris huius dativi usus illustrandi causa collecta: 2, 12, 20 'maiore labore', 38, 3, 8 'magno . . . labore', 3, 6, 9 'aequo Marte', 6, 3, 6 'diversis artibus', 9, 8, 21 'quibus artibus', 17, 2, 10 'omnique arte', 6, 5, 8 'magno civium gaudio', 6, 7, 1 'tacito consensu', 11, 8, 2 'magna celeritate', 14, 2, 2 'hac lege', 15, 2, 5 'pari fraude', 19, 3, 11 'tali vociferatione', 20, 2, 14 'faustisque . . . ominibus', 22, 8, 15 'aequis condicionibus', 23, 1, 5 'aequis legibus', 23, 1, 14; 43, 5, 10 'aequo iure', 24, 8, 12 'citato agmine', 25, 1, 4 'ingenti apparatu epularum', 26, 1, 7 'uno agmine', 26, 2, 4 'non meliore eventu quam omine', 28, 2, 9 'vi publica', 30, 3, 4 'tutorio nomine', 31, 8, 6 'maiore dedecore quam periculo', 34, 3, 8 'tacito iudicio', 34, 3, 9

'secundo favore omnium', 38, 3, 8 'ingenti favore civitatium', 37, 1, 9 'voluntaria morte', 37, 4, 8 'falso nomine', 38, 2, 6 'falsis nominibus', 43, 2, 6 'agresti vita'. ablativi modalis cum adtributo coniuncti vice funguntur locutiones praepositionibus formatae: 2, 4, 10 'in eundem ipsis morem', 5, 7, 2; 16, 5, 5; 32, 1, 7 'in triumphi modum', 5, 8, 6 'in has leges' 6, 7, 12 'ex tacito consensu'.

De ablativo etymologico.

Disputatione de ablativo instrumenti et modi ad exitum perducta non alienum puto paucorum mentionem facere locorum, qui quamquam partim ad casum instrumentalem partim ad modalem pertinent, id quidem inter se habent commune, quod substantivum ablativo expressum eiusdem est stirpis ac verbum, cui adiungitur. vides agi de figura etymologica, cuius speciem quandam, dico accusativum etymologicum, iam supra cognovimus. atque ea huius figurae vis, qua in accusativo etymologico sive obiecto interno notionem vocabulorum inter se conexorum augeri atque amplificari intelleximus, etiam in ablativo etymologico luculenter cernitur. cuius rei testimonium primum adfero locutionem apud Iustinum satis frequentem 'occidione caedere', quae idem valet atque 'ad interneccionem delere': 22, 7, 2 'occidione caesi nuntiabantur', 26, 2, 5 'omnes occidione caesi', 28, 2, 1 'a quibus tot bellis occidione caesi sint', 28, 4, 12 'caesis occidione Spartanis fortunam tantae urbis miseratus'. Cicero et Livius dicere solent 'occidione occidere', qua cum locutione cave confundas verborum iuncturam similiter fere sonantem, quam apud Iust. 2, 14, 8 deprehendis: 'Mardonii copias occidione occidisse', quae propter soni quandam similitudinem memorabilis est, sed nequaquam ad figuram etymologicam referenda. deinde duo exempla in medium proferam, in quibus ablativus adtributo aliquo ornatus est: 37, 4, 5 'superbo responso hereditarium patri suo regnum obvenisse respondit', 41, 5, 8 'omnes reges suos hoc nomine... cognominavere'. postremo subiungere iuvat locum, qui non Iustini est, sed ex fragmento illo Trogi Pompei desumptus: 38, 7, 8 'ut etiam vocibus vocet'.[1])

De ablativo limitationis.

Ablativus limitationis adhibetur ad circumscribendum terminis quibusdam aut totum enuntiatum, velut 2, 14, 10 'omnium iudicio', 31, 3, 4 'opinione omnium', aut singula nomina, substantiva et adiectiva. atque ut a substantivis incipiam, supervacaneum non videtur commemorare Iustinum, cum personae cuiusdam nomen primum proferat, ei semper ablativum 'nomine' adiungere: 1, 3, 2 'nomine Arbactus', 1, 6, 2 'nomine Sybaren', 2, 9, 2 'Hippias nomine', 7, 1, 6 'Europus nomine', 11, 8, 5 'nomine Philippus', 12, 8, 1 'Porus nomine',

---

1) Haec verba Madvigius Adv. crit. II, 628 in 'vicibus vocet' mutanda esse censuit, haud dubie in hac re falsus.

13, 2, 7 'nomine Herculem', 38, 2, 1 'Ariarathen nomine', 41, 5, 7 'Arsaces et ipse nomine', 42, 4, 16 'Phrahates nomine', 43, 1, 8 'nomine Fatua', 43, 3, 8 'Nanum nomine'. qui ablativus quamquam ab aliis quoque scriptoribus usurpatur, a nemine tamen frequentius quam ab Iustino. deinde ablativum limitationis cum adiectivis coniunctum invenimus, velut 2, 7, 11 'deformis habitu', 38, 8, 9 'et vultu deformis et statura brevis', 27, 3, 2 'integer ipse viribus', 32, 1, 9 'secundum ... scientia militari', 6, 2, 5 'pede claudus', 3, 5, 5 'claudum pede', ubi non est quod cum Scheffero ex T revocemus 'claudo pede'. atque ex huius adiectivi analogia Iustinus verbum 'claudicare' cum solo ablativo iunxisse videtur 6, 2, 6 'melius esse ingressu regem quam imperio regnum claudicare', discrepans cum Ciceronis usu, qui praepositionem 'in' ablativo praefigere solet. a meliorum scriptorum sermone alienum est quoque adiectivum 'sollers' cum ablativo coniunctum 9, 8, 6 'divitiarum quaestu quam custodia sollertior'. interdum per pleonasmum ablativus adiectivis adiungitur, velut praef. 4 'voluptate iucunda' (ubi vide Fittbogenium) et 1, 1, 6 'temporibus antiquiores'. denique ad numeralia similesque notiones ablativus 'numero' accedit: 2, 10, 20 (de quo loco vide Ruehlium *Textesq.* p. 128); 10, 1, 7; 33, 1, 2.

De ablativo temporis.

Ad indicandum, quo tempore aliquid factum sit, Iustinus sicut ceteri scriptores nudo utitur ablativo substantivorum adtributo quodam plerumque ornatorum, quibus temporis notio continetur, velut 'tempus, dies, nox, hora, momentum' al.: 1, 6, 2 'antelucano tempore', 2, 14, 9 'matutino tempore'. praecipue notabilis est locutio 'medio tempore' 2, 4, 1; 3, 2, 7; 4, 3, 1, quae idem valet atque 'interea' et apud nonnullos quoque posterioris aetatis scriptores invenitur; cf. Suet. Iul. 76, Cal. 25, Claud. 24. huc porro referas 2, 14, 9 'meridianis horis ... brevi horarum momento', 5, 7, 6 'perpeti nocte', 18, 3, 10 'medio noctis'. deinde alia substantiva in ablativo temporis ponuntur, quae certum quoddam tempus per se non significant, velut 12, 16, 4 'ipso ortu', 22, 8, 3 'primo adventu', 31, 7, 4; 38, 3, 3 'primo ... adventu'.

Etiam in aetatibus hominum significandis Iustinus ita agit, ut optimorum scriptorum usus rationem habeat. nudo enim utitur ablativo, si substantivum coniunctum est cum adiectivo. quod si abest, praepositio 'in' ablativo praefigitur: 41, 5, 5 'matura senectute', 41, 6, 9 'gloriosa senectute', 11, 1, 9 'in qua aetate', 17, 1, 11 'in hac aetate'. hanc praepositionem adhiberi notissimum est, ubi non tempus ipsum, sed temporis designatur condicio. locutio igitur illa 'in tempore' idem valere solet quod 'suo tempore' i. e. 'iusto et opportuno tempore'. sed apud Iust. praef. 6 'sufficit mihi in tempore iudicium tuum, apud posteros ... industriae testimonium habituro', e verbis, quae opposita sunt, 'apud posteros' intellegitur 'in tempore' significare 'in hoc tempore'. cum autem hanc significationem locutioni 'in

tempore' tribui posse negarent nonnulli grammatici (velut A. Gronovius, Beneckius), pronomen 'hoc' inserendum esse putaverunt. at recte cognovit iam Wopkensius (v. Frotscher. II, 13 sq.) 'in tempore' aliquando idem valere quod 'in hoc tempore', ad quam rem demonstrandam legentes ad Tac. Ann. 12, 46 'non abnuere pacem Hiberos, quamquam in tempore validiores' aliosque scriptorum inferioris aetatis locos delegavit. ac fortasse id quoque ad fulciendam scripturam traditam adferri potest, Iustinum saepius quam alios scriptores pronomina omittere solere. ita 13, 8, 3 'etiam prodere partium exercitum voluit' pronomen 'suarum' omissum aegre ferimus. multo crebrius autem pronomina indefinita desiderantur, velut 6, 7, 7 'cui par ante dies (i. q. ante aliquot dies) universa iuventus esse non potuit'. et huius generis multi praeterea exstant loci. deinde praepositio 'in' ablativo adiungitur, ubi, intra quod tempus aliquid factum sit, indicatur velut, 44, 2, 7 'in tanta saeculorum serie'. ad eandem rem exprimendam Iustinus etiam praepositione 'intra' utitur, quam eodem sensu nec Cicero nec Caesar usurparunt: 3, 7, 2 'intra XV annum', 12, 5, 12 'intra diem', 12, 15, 1 'intra XXX annum', et praecedente adverbio numerali 14, 4, 3 'ter intra hunc annum'.

In usu ablativi substantivorum 'bellum, proelium, pugna' aliorumque eius generis Iustinus non multum discrepat a Livio, de quo conferas Kuehnast. p. 181. modo enim solus usurpatur ablativus isque tum maxime, si haec substantiva cum adiectivis coniuncta sunt, velut 2, 11, 2 'Marathonia pugna', 5, 5, 6 'priore bello', 32, 4, 6 'terrestri bello', 5, 4, 8 'his omnibus proeliis', 13, 5, 4 'equestri proelio', modo praepositio 'in' praefigitur, velut 5, 4, 2; 22, 2, 2; 11, 2, 8; 27, 3, 7; 43, 1, 11 al.

In eis quae adhuc de ablativi temporalis usu adtulimus, Iustinus paulum aut omnino non dictionis elegantissimorum scriptorum communis terminos egreditur. sed iam ad usum illustrandum pervenimus, quem ille amplexus est in temporis diuturnitate exprimenda. qua in re cum probatissimi scriptores accusativo aut solo aut cum praepositione 'per' coniuncto uti consueverint, Iustinus illa structura plane evitata[1]) hanc quidem admittit, sed longe maxime frequentat ablativum, qui apud scriptores bonos rarissime, saepissime in aetatis argenteae sermone reperitur et usque ad postrema latinitatis tempora permansit.[2]) quantopere autem Iustinus hanc structuram amplexus sit, intelleges, si satis magnum exemplorum, quae collegi, numerum inspexeris: 1, 2, 13 'imperium Assyrii... mille trecentis annis tenuere', 1, 6, 17 'regna-

---

[1]) Si exceperis locum 1, 2, 10, de quo vide p. 131, duobus ceteris 2, 10, 12 et 40, 2, 3, ubi nonnullis codicibus nudus accusativus suppeditatur, suo iure Ruehlius meliorum librorum scripturam secutus altero loco ablativum, altero praepositionem 'per' restituit.

[2]) Sic Lucifer episcopus Sardiniensis ubique dicit 'viginti quattuor annis regnare'; cf. G. Hartelium in Woelfflinii archiv. t. III, p. 43. nisi me omnia fallunt, hic ablativi usus primitus in sermone ortus est vulgari et inde in sermonem cultiorem inrepsit.

verunt annis CCCL', 1, 8, 14 'Cyrus regnavit annis XXX', 2, 5, 1 'cum annis octo... afuissent', 2, 3, 15 'XV annis pacandae Asiae immorati', 3, 4, 3 'annis X in obsidione urbis tenerentur', 3, 7, 14 'quam non nisi sex annis servaverunt', 9, 8, 1 'cum annis XXV regnasset', 11, 14, 8 'XXXIV diebus praedam recognovit', 33, 2, 6 'quorum sub regno fuit quidem annis DCCCCXXIV, sed rerum non nisi CL duobus annis potita', 37, 2, 2 'stella cometes... septuaginta diebus ita luxit', 39, 2, 9 'Grypos octo annis quietem et ipse habuit', 40, 2, 3 'qui X et VII annis, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciae latuerit', 43, 1, 13 'quae (Alba Longa) CCC annis caput regni fuit', 44, 2, 7 'annis decem Romanos... fatigavit', 4, 1, 12 'durare tot saeculis tantus ignis potuisset', 11, 7, 14 'quibus tutior omni vita quam armis fuit', 11, 14, 10 'urbem multis annis inlustrem', 14, 5, 7 'multis saeculis murus urbi virtus civium fuerit', 16, 5, 18 'multisque annis... Heracleenses regnum tyrannorum fuere', 21, 3, 4 'uno stent in lupanari mense', 23, 4, 7 'parvulum... apes... multis diebus aluere', 31, 2, 3 'tota die in oculis principum legatique Romani... observatus', 31, 4, 3 'multis diebus deliberant', 42, 4, 12 'multis diebus non adloqui quemquam', 42, 5, 5 'cum magno tempore finitimas civitates... fatigasset', 2, 11, 4 'triduo ibi... dimicatum', 12, 3, 1, 'exercitui suo triduo luctum indixit', 6, 9, 7 'Philippus obses triennio Thebis habitus', 7, 5, 3 'siquidem triennio Thebis obses habitus', 12, 6, 15 'quadriduo perseverata inedia est'. etiam Trogi Pompei fragmentum, quod Iustinus nobis servavit, huius structurae exhibet exemplum 38, 4, 6 'Hannibalem sedecim annis Italiae victorem immoratum'.

Rarius quod iam dixi ad temporis spatium exprimendum praepositio 'per' usurpatur: 2, 3, 17 'per mille quingentos annos', 2, 8, 10 'per annos XXXIV', 3, 5, 2 'per annos octoginta', 9, 1, 3 'per septem annos', 40, 1, 4 'per X et VII annos', 44, 5, 6 'per annos sedecim', 2, 4, 3; 24, 4, 5 'per multos annos', 4, 1, 5 'per tot saecula', 44, 4, 14 'per multa saecula', 5, 1, 1 'per biennium', 21, 1, 5 'per triennium' 2, 10, 12; 12, 16, 8 'per quinquennium'.

De ablativo loci.

De ablativo loci disserenti mihi tractanda primum est structura, quam terrarum urbiumque sequuntur nomina, cum quaeritur, ubi aliquid factum sit. sed quia de eo, quo modo terrarum urbiumque construantur nomina, si non solum ubi quid fiat, sed etiam unde veniat et quo tendat, interrogatur, continua disputare oratione magis ad rem visum est, totam hanc quaestionem in appendice reposui. hoc igitur loco adpellativorum tantum nominum habeo rationem. atque in ea re Iustinus ultra Livii usum vix egressus est. paucissima enim substantiva, maxime cum adtributis coniuncta in nudo ablativo posuit. inprimis huc referas ablativum vocis 'locus', velut 5, 4, 6; 12, 10, 7 al. deinde huc spectat tritissima illa locutio 'terra marique' 8, 2, 11; 9, 1,

2; 15, 1, 4, quae etiam disiungi potest particulis 'aut...aut' (3, 7, 12) vel 'neque...neque' (16, 3, 11) interpositis. haud insolitus quoque est nudi ablativi usus in indicandis Historiarum libris velut 1, 10, 23 'quod sequenti volumine referetur'. iam rarius in Ciceronis certe Caesarisque sermone leguntur ablativi 'regionibus' et 'partibus', quos Iustinus his locis habet: 17, 1, 1 'Hellesponti et Chersonesi regionibus terrae motus fuit', 37, 2, 8 'diversis montium regionibus pernoctabat', 44, 1, 8 'reliquis partibus undique in orbem mari cingitur'.[1]) ad poetarum dicendi consuetudinem accedit solus ablativus in his exemplis: 8, 4, 7 'Graeciam...multarum adhuc urbium dominam alienis excubare sedibus' et 18, 3, 12 'ubi vero dies adventare coepit editissimisque culminibus urbis oriens splendere'. sed dubitationem inicit unus locus, qui legitur 44, 4, 4. omittitur ibi ante vocem 'tramite' praepositio 'in' codicibus ELT: 'relatum domum tramite angusto...proici iubet'. tradunt eam soli SP; codicem C autem iam non offerre hunc locum utpote in 44, 4, 3 desinentem dolendum est; neque is continetur codice F classis Italicae, quem 41, 6, 9 terminari docet Ruehlius (*Textesq.* p. 9). maxime etiam dolendum est, quod Orosio teste antiquissimo hoc loco caremus. quae cum ita sint, utrum praepositionem scripserit Iustinus necne, sane diiudicari nequit. certum tamen est facile fieri potuisse, ut littera 'm' vocem antecedentem 'domum' claudente praepositio 'in' absorberetur. superest, ut commemorem adiectiva 'totus, universus, omnis, medius', quibuscum coniuncta substantiva in solo ponuntur ablativo: 2, 11, 16 'totis castris', 6, 6, 5 'tota Graecia', 11, 7, 4 'tota Asia', al., 12, 5, 4 'universis castris', 2, 2, 12 'terris omnibus', 12, 13, 8 'media potione', 24, 6, 9 'media ferme montis altitudine', 30, 4, 1 'medio utriusque ripae maris spatio' (de quo loco vide Fittbogenium). nonnumquam autem adiecta est praepositio, velut 22, 7, 8 'in medio foro' al.

De ablativo separationis.

Cum ablativo loci artissime coniunctus est ablativus separationis. huius post verba separandi usum apud Iustinum increbrescere nemini, qui huius scriptoris libros circumspecte legerit, obscurum esse poterit. cum enim Cicero et Caesar[2]) in quibusdam tantum locutionibus, quae certa constitutae sunt consuetudine, nudum usurpent ablativum, longe plurimis autem locis verba separandi cum praepositionibus ('ab, ex, de') construant, ab Iustino saepius et liberiore quodam modo ablativus solus adhibetur. qua in re non solum conspirat cum Livio, sed haud raro ultra eum progreditur ita, ut verbis a

---

[1]) Horum ablativorum apud Livium creberrimus est usus; cf. Fabrium ad Liv. 21, 8, 2.

[2]) De nonnullis verbis apud Ciceronem Caesarem Livium cum ablativo et cum praepositionibus 'ab, ex, de' coniunctis quam subtilissime egit Hildebrandius in progr. gymn. Dortmundensis a. 1858 et 1859. non sine fructu hac usus sum commentatione, quam iam in verbo 'excire' desinere aegre ferimus.

Livio semper cum praepositionibus coniunctis ablativum solum adiciat poetarum et scriptorum posterioris aetatis secutus exempla. ac si forte numeri aliquod huius usus cognitioni adferre possunt adiumentum, dicam apud Iustinum inter locos verborum compositorum cum solo ablativo constructorum et eos, in quibus praepositiones 'ab' et 'ex' usurpatas conspicimus, eam fere intercedere rationem, quae inter numeros 7 et 3. nec piget commemorare illam licentiam, quam sescentiens apud Iustinum deprehendimus, studium illud variandi, hic quoque conspici. nam uni eidemque verbo unum idemque substantivum modo in nudo ablativo positum adnectitur modo praepositione praefixa. sed iam singula sequantur verba.

A) Verba simplicia.

arcere 11, 6, 8 'finibus', cedere 18, 1, 6 'proelio', 29, 2, 6 'regno', 31, 5, 7 'Italia', 31, 5, 9 'terris', 31, 7, 8 'Asia'; latius patet apud Iustinum huius verbi cum ablativo constructio quam apud Ciceronem et Caesarem, de quibus conferas Hildebrandium I, p. 20. liberare 1, 7, 1; 2, 6, 21; 4, 4, 9; 5, 3, 9; 5, 9, 1; 11, 11, 6; 11, 13, 3; 12, 13, 3; 14, 4, 6; 15, 1, 3; 31, 2, 1; 35, 1, 4; 39, 1, 1; 39, 2, 7; 41, 4, 9; ablativis personae praefigitur praepositio 'a' 31, 1, 6. pellere: in hoc quoque verbo cum solo ablativo coniungendo Iustinum dictionis optimis scriptoribus usitatae fines excessisse hac larga exemplorum copia evincitur: 2, 4, 1; 2, 9, 7; 4, 3, 1; 8, 6, 4; 9, 7, 12; 13, 5, 4; 13, 5, 9; 13, 5, 17; 20, 2, 3; 21, 2, 10; 21, 3, 9; 25, 2, 9; 28, 1, 4; 28, 2, 7; 30, 4, 9; 34, 2, 8; 35, 1, 2; 36, 2, 12; 38, 3, 4; 41, 1, 10; 42, 2, 12; 42, 4, 1; 43, 1, 5; contra tres tantum exstant loci, ubi praepositio traditur, quam non audeo cum Ruehlio eicere: 20, 1, 1 'e Sicilia Karthaginiensibus pulsis', 22, 8, 3 'pulsis e Sicilia Poenis',[1]) 36, 2, 15 'pulsos se ab Aegypto'. solvere 3, 3, 12; 9, 2, 2; 12, 11, 5; 13, 5, 16; 14, 2, 5; 14, 4, 7; 21, 3, 5; 24, 2, 10; 29, 3, 7; 41, 4, 7.

B) Verba composita.

abire 4, 5, 2 'Sicilia', 23, 3, 9, 'a Sicilia', 7, 3, 4 'e convivio'. abstinere 12, 2, 11; 15, 2, 13; 30, 3, 3; 31, 1, 2; 34, 3, 1; praepositio 'a' praemittitur substantivo personam significanti 8, 6, 4; suo iure Ruehlius 1, 1, 7 verba 'contentique victoria imperio abstinebant', quae codicibus TΠ post 'quaerebant' inseruntur, tamquam spuria removit. delabi 33, 2, 1 'equo delapsus'; nudus ablativus huic verbo adiectus poetarum est, cf. Verg. Aen. 10, 596 'curru delapsus eodem', 5, 722 'caelo facies delapsa parentis'. e scriptoribus orationis solutae primus Livius 1, 16, 6 'caelo repente delapsus' hunc usum recepit; Cicero

---

[1]) Opere iam absoluto in manus meas venit censura, quam Petschenigius in ephem. gymn. Austr. a. 1887 p. 440 sq. de editione Ruehliana egit. qua ex censura intellego etiam Petschenigii sententiam eo inclinare, ut Ruehlium codicis C auctoritate plus quam par erat confisum esse statuat. ita et his duobus locis Petschenigius praepositionem 'e' cum codd. ITΠ contra C servandam arbitratur.

melioresque scriptores praepositionibus utuntur. neque minus poetarum, Vergilii Horatii, proprium est desilire cum solo ablativo constructum, quod Iustinus in prosam orationem induxit 1, 10, 9: 'ut... confestim equis desilierint'. sed duobus aliis locis 12, 11, 8 'e tribunali' et fortasse 15, 3, 13 'ex equo' ('ex' om. TΠ) praepositionem 'ex' adhibuit. educere non quidem apud Iustinum, sed in Trogi Pompei fragmento ab Iustino servato cum solo ablativo legitur: 38, 5, 6 'non Cappadocia filium eductum'. efferre 12, 13, 9 'convivio', 24, 7, 6 'villis'. Cicero melioresque scriptores hoc verbum cum praep. 'ex' construere solent. egredi in locutione '(e) navi egredi' Iustinus ut iam Caesar et Livius modo cum solo ablativo (2, 8, 3; 39, 1, 8) modo cum praepositione 'ex' coniungit (19, 2, 10). de verbi eripere structuris conferas quae p. 117 exposui. excedere c. abl. 9, 8, 16; 11, 5, 6; 24, 8, 12; 34, 3, 1; a Cicerone et Caesare magis frequentatur praepositio 'ex'. excidere c. abl. 25, 4, 3 'devictis adquisitisque celeriter excidebat'.[1]) solus ablativus legitur iam apud Terentium, tum apud Curtium Senecam Suetonium al. de verbo eximere vide p. 117. expellere c. abl. 3, 4, 12; 20, 5, 8; 21, 6, 5; 23, 1, 4; 38, 1, 3; 38, 1, 5; 38, 2, 2; 39, 4, 2; 39, 4, 6; 44, 5, 7. intercludere duplicem admittit structuram: 'aliquem aliqua re' 4, 4, 5 et 'alicui aliquid' 2, 5, 10; 2, 13, 5; 11, 14, 4. interdicere Iustinus cum ablativo non coniunxit, sed coniunxit Trog. Pomp. or. Mithr. 38, 6, 4 'eique interdictum Italia'.[2]) ille vero accusativi structurae, quae apud Ovidium Suetonium Senecam usitata est, quattuor praebet exempla: 5, 4, 15; 16, 4, 5; 41, 3, 2; 44, 4, 13. praecipitare c. abl. 27, 3, 12; 32, 1, 5. haec constructio legitur iam apud Caesarem bell. Gall. 7, 50, 3 'muro praecipitabantur', bell. civ. 2, 11, 1 'praecipitataque muro' et Livium 9, 22, 7 'equo praecipitaret', cf. Kuehnast. p. 170, adn. 112, tum apud poetas, Vergilium Ovidium, et scriptores aetatis argenteae, Cicero autem praepositione 'ex' utitur. post verbum proficisci nudus ablativus praebetur quidem 37, 3, 4 ('regno') codicibus ITP et 20, 1, 15 ('Lacedaemone') codicibus TΠ, sed codex C his duobus locis et ceteris omnibus 13, 7, 3; 31, 8, 1; 31, 8, 5; 34, 3, 8 uno omnes ore codices praepositionem 'ab' testantur. prohibere duplicem habet structuram, ablativum solum 1, 8, 2; 2, 5, 3; 14, 5, 9; 44, 3, 3, eundem praepositione 'ab' adiecta 2, 3, 14; 6, 2, 13; 11, 6, 1; 12, 7, 12; 28, 4, 12.

In prioribus Iustini editionibus praesertim in ea, quam Ieepius adornavit, nonnulla alia verba cum solo ablativo constructa legis. sed ex codicibus, quos Ruehlius adhibuit, sine ulla dubitatione adparet haec verba cum praepositionibus coniungenda esse. nam plerumque solis in libris Transalpinis

---

[1]) Sic suo iure Ruehlius ad codicis C auctoritatem haec verba constituit. nam quod altero codicum genere traditur verbum 'carebat' veri simile est a librario quodam vel correctore loco verbi insolentioris ('excidebat') substitutum esse.

[2]) Plane eadem verba legimus apud Tac. Ann. 14, 41.

praepositio omissa est ceteris eam testantibus. quod ita se habere ex his locis cognosces: 15, 4, 12 'a cervicibus iugo servitutis excusso' ('a' om. T), 16, 4, 9 'de exilio reversus esset' ('de' om. T), 19, 3, 1 'procedit et ipse e navi sua' ('navi sua' T), 21, 1, 5 'e carcere dimittit' ('e' om. T [P]), 38, 3, 7 'a Scythia... venire' ('a' om. T), 39, 2, 5 'e templo Iovis solidum ex auro signum Victoriae tolli iubet' ('in templo' AHGVP 'templo' L [R]). cetera separandi verba ab Iustino non cum ablativo nudo, sed cum praepositionibus coniunguntur. conspectum horum verborum dedit Domkius p. 8 sq.

Appendix.

De urbium terrarumque nominum constructione.

Si indicandum est, ubi aliquid factum sit, haud raro ab Iustino urbium nomina secundae declinationis contra usum optimorum scriptorum, qui locativum usurpant, in ablativo ponuntur: 2, 13, 5 'quem (pontem) ille Abydo veluti victor maris fecerat', 5, 4, 1 'Sesto Mindarus et Pharnabazus Lacedaemoniorum duces... expectabant', 18, 4, 3 'rex Mutto Tyro decedit', 20, 3, 9 'Corintho[1]) et Athenis et Lacedaemone nuntiata est victoria'. quibus locis adde 11, 10, 11 'cum id eum Tyro Vetere in antiquiore templo facturum dicerent'. nam cum verba 'Tyrus vetus' tamquam in unum vocabulum coaluerint (cf. Graecum Παλαίτυρος), hic quoque exspectes locativum; cf. Kuehneri Gr. lat. II, p. 350, adn. 5. praeter Iustinum hac constructione utuntur Vergilius Hyginus Vitruvius Tacitus Florus Eutropius aliique aetatis inferioris scriptores (cf. Schmalz. p. 281, s. 101). contra locativum urbis nominum tertiae declinationis usurpat Iustinus 19, 2, 8 'quae res cum nuntiata Karthagini esset'. forma autem 'Karthagini' duobus tantum codicibus, C et L, servatur, ceteri partim 'Carthagine' partim 'Carthaginem' exhibent; sed haud veri dissimile videtur scripturam 'Karthagini' esse germanam.

Duobus locis Iustinus ablativo urbis nominis praepositionem 'in' adiecit ad significandum aliquid non in urbe ipsa, sed in eis, quae circa urbem sunt, factum esse: 11, 5, 12 'in Ilio quoque ad tumulos heroum... parentavit', 12, 2, 7 'fama rerum in Troia gestarum'. optimi autem scriptores ad eandem rem significandam praepositiones 'ad' vel 'apud' usurpare solent, quarum alteram etiam apud Iustinum invenimus 2, 15, 18 'apud Marathonem pugnatum est'.

Nolim silentio transire duos locos, qui eo sunt notabiles, quod praepositio 'in' ad accusativum urbis nominis accedit, qui respondet ad interrogationem 'quo?': 12, 13, 4 'in Borsipam urbem trans Euphraten, desertam olim, concessit', 14, 6, 2 'in Pydnam urbem concedit'. hic praepositionis usus quamquam adpositione 'urbem' aliqua ex parte excusatur, alienus tamen est

---

1) Hoc loco ablativus 'Corintho' ea de causa minus offendit, quod excipitur aliis urbium nominibus in ablativo positis.

ab optimorum scriptorum sermone. in quo praepositio cum urbis nomine ipso non coniungitur, sed cum nomine adpellativo sive ante urbis nomen posito sive ei postposito, cf. Kuehneri Gr. lat. II, p. 350, 2 et p. 351, adn. 6.

Si quaeritur, unde aliquis proficiscatur, in optimae aetatis sermone urbis nominibus raro additur praepositio 'ab', idque tum potissimum, si aut ea, quae circa urbem sunt, significantur aut ipsa directio aut spatium, quod inter duas urbes interiectum est, accuratius indicatur. haec structura, quam ad sermonem vulgarem spectare Schmalzio, qui de ea exposuit p. 281, s. 102, plane adsentior, iam apud Sallustium Plinium maiorem Suetonium Florum satis frequens est, latissime autem patet apud Livium, de quo conferas quae disputavit Kuehnast. p. 185 sq. horum igitur scriptorum consuetudinem sequitur etiam Iustinus, id quod ex hac locorum serie cognosces: 3, 6, 4 'a Delo', 4, 3, 1 'ab Himera', 4, 4, 10 'a Lacedaemone', 15, 2, 1 'ab Apollonia', 18, 7, 7 'a Tyro', 31, 8, 5 'ab Ilio', 38, 8, 12 'a Cyrenis', 43, 1, 10 'ab Ilio', 43, 5, 8 'a Delphis', 44, 5, 2 'a Tyro'.

In modum urbium nominum etiam insularum maiorum nomina ab Iustino construuntur: 6, 1, 7; 39, 4, 2 'Cypri'[1]), 44, 3, 2 'Cyprum', 3, 3, 12; 32, 4, 3 'Cretam'. quid quod etiam terrarum nomina, si significandus est locus, qui petitur, in accusativo ponuntur praepositione non addita: 5, 1, 2 'Elidem', 15, 2, 7; 18, 2, 9; 20, 4, 3; 23, 2, 6; 28, 4, 10 'Aegyptum'. hoc nomen in tali re significanda ne Cicero quidem et Caesar adhibere dubitaverunt. in universum autem haec structura sermoni plebeio est adsignanda, id quod inde elucet, quod invenitur apud Plautum auctorem belli Hispaniensis Petronium (cf. Guerick. p. 54) Tacitum (cf. Draeger. p. 17 sq.) Apuleium alios.

Etiam ad significandum, unde quis veniat, veri simile est Iustinum uno loco terrae nomen in nudo ablativo posuisse. traditur enim 12, 1, 4 codicibus ITP 'epistulae Antipatri Macedonia ei redduntur', contra quos testes unus tantum stat liber Z, qui nomini 'Macedonia' praefigit praepositionem 'a'. ita ablativum terrarum nominum apud Curtium Velleium Tacitum[2]) Florum adhibitum reperire licet.

Urbium nominum constructionem sequuntur nonnulla adpellativa, e quibus unum dignum est, quod proferam. vocis 'rus' accusativus, qui respondet ad interrogationem 'quo?', nihil quidem habet mirum, si solus adhibetur: 1, 6, 2 'antelucano tempore rus[3]) iter ingressus', sed si coniunctus est cum adiectivo 31, 2, 3 'rus suburbanum . . . contendit', plane abhorret ab optimo genere dicendi.

---

[1]) Ita iam Caes. Bell. civ. 3, 106, 1.

[2]) Cf. Heraeum ad Tac. Hist. 2, 79.

[3]) Illud 'rus' e coniectura Ieepii scriptum est; 'ruri' praebent IVQRΠ, 'ruri*' A, 'ruris' HGM.

Index locorum ratione critica tractatorum.

DE USU

CONIUNCTIONUM QUARUNDAM

APUD

SCRIPTORES ATTICOS ANTIQUISSIMOS

SCRIPSIT

ERNST KALINKA.

Huius disputatiunculae, quae praecipue ad scriptores Atticos antiquissimos pertinet, materiam mihi praebuerunt Gorgias, sub cuius nomine duae declamationes feruntur, quarum num utraque sit genuina, in medio relinquo, Antiphon, Thucydides, libellus de re publica Atheniensium, in cuius sermonem, quamquam tot de illo commentationes conscriptae sunt, nemodum inquisivit, Andocides, cuius in dicendi consuetudinem perscrutandam, textum constituendum, singulos locos explanandos operam impendi tantam, quanta dignus videbatur orator ille a grammaticis usque ad haec tempora iniuria saepe neglectus, primis sermonis Attici efflorescentis temporibus gravissimus, ut plerique magis magisque sibi persuadent, testis iudicii oratorii ab argutiis nugisque Siculorum ad naturam simplicitatemque se convertentis.[1]) titulorum quoque in lapidibus incisorum ratio erat habenda; sed fructus eius operae praeter exspectationem erat minutus, cum eis titulis dialecti Atticae, qui oratione soluta scripti sunt, me continerem, eos autem, qui metri numeris vincti sunt, praetermitterem, eodem modo, quo poetarum Atticorum opera, quippe qui proprias leges sequerentur, in hac quaestione non respexi.

His igitur disputationis meae fundamentis iactis, quia alicuius momenti esse existimabam cognoscere, qualem speciem oratio prosa ante primos Atticos prae se tulisset, Herodoti usum examinavi. qua in re, cum, quae de eo ab aliis disputata sunt, non semper sufficerent, saepe, ut Herodotum cum Atticis antiquissimis in hac illave re interiore contendere possem, ipse prius consuetudinem Herodoti explorarem necesse erat.

Deinde ut adpareret, quomodo quidque temporibus, quae continuo sequebantur, immutatum esset an servatum an repudiatum, plerumque Lysiae quoque et Isocratis orationes respexi; atque eadem de causa nonnumquam etiam ad oratores aetate inferiores, maxime Demosthenem descendi, multoque

[1]) L. Egger, die Parenthese bei den attischen Rednern (Mittheilungen des Vereins Mittelschule 1887, t. I, f. 1), p. 32: Andocides bezeichnet eine Art Reaction; cf. Blass, att. Ber. I² 298, Morawsky, Z. f. ö. G. XXX 401 sqq.; quae autem ratio inter quinque illos scriptores intercederet, quique eorum sermonem Atticum quodam modo fundasse putandi essent, primi exposuerunt Wilamowitz in actis conv. phil. Germ. Visbadae 1877, p. 39 et Susemihl ann. phil. CXV 798 sq.

saepius ad Xenophontem et Platonem, quos in comparationem vocare eo utilius videbatur, quod, cum propius eos a sermone vulgari abesse constet, liberius genus dicendi et ab oratoribus aliquanto diversum praebent itaque frequenti usus discrepantia clarius lumen discriminibus adfertur, ipsi similitudini maior vis tribuitur.

Iam omnes enumeravi scriptores, quorum in hac quaestione mentionem faciam. ut autem ad argumentum libelli ipsum adgrediar: quod ex rerum multitudine fere immensa particulas causales et conclusivas, quae arte inter se cohaerent nec saepe tractatae sunt a grammaticis, elegi, de quibus dissererem, eam rem explicare profecto opus non est; sed in ratione disputandi si quis me reprehenderit, quod parum animum adverterim, quibus coniunctionibus scriptores transitum in oratione effecturi usi essent, respondebo eius modi locis coniunctiones tanto opere variare, ut ex tali disquisitione fructus non percipiatur, nisi de quaque formula dicendi singillatim agatur, id quod fecit Gebauer in commentario, quo orationes Lysiacas illustravit, nulla quidem temporum ratione habita, quod certe maximum gravissimumque esse debebat. neque vero, usus earum coniunctionum per amplius temporis spatium idem permanserit an paulatim immutatus sit, quo tempore id factum sit, a quo principio res profecta, quo modo in singulis scriptoribus progressa, iam certum exploratumque est.[1])

---

[1]) Hoc loco eorum nomina proponam, qui iam de similibus rebus atque ego commentati sunt. in quibus primi sunt nominandi, qui in singulis scriptoribus operam posuerunt, cum aut in commentariis vel tabulis adiunctis res memorabiliores protulerunt, quas in usum meum converti, veluti Stein ad Herodotum, Classen et Krueger ad Thucydidem, Gebauer ad Lysiam, Schneider ad Isocratem, Rehdantz ad Demosthenem, Kuehner ad Xenophontem, Stallbaum ad Platonem, aut separatos libellos confecerunt, veluti Broschmann, de part. γάρ usu Herod. 1882, V. Hoffmann, de particularum nonnullarum apud Herod. usu 1880, idem, über den Gebrauch der Partikel ὦν bei Herod. 1884, Saeve, quaestiones de dicendi usu Thuc. I, de vi et usu part. γάρ 1864, Schaefer, de particularum nonnullarum apud Antiph. usu 1877, Wetzell, Beiträge zum Gebrauch der Partikeln bei Antiphon 1879, F. A. Mueller, observationes de elocutione Lysiae I, de anacoluthis 1877, Hoefer, de nonnullarum part. apud Plat. usu 1882, Kugler, de particulae τοὶ eiusque compositorum apud Plat. usu 1886, quibus subiciendus mihi est index Thucydideus a van Essenio nuper in lucem editus. praeterea exempla a Baeumlinio et Kuehnero e scriptis Xenophontis et Platonis collecta et a Gebauero in libro, quem inscripsit *De hypotacticis et paratacticis argumenti ex contrario formis,* ex oratoribus hausta hoc loco commemoranda sunt.

ΓΑΡ.

I.

Initium faciamus a causali particulae γάρ usu, quippe qui frequentissimus sit et iam temporibus antiquissimis inveniatur. ac primum quidem complures, quibus illud γάρ causale legitur, locos Andocideos tractemus, qui aut emendatione aut explicatione egere mihi videntur.

Magnum coniecturarum certamen excitatum est And. I 29 καὶ γὰρ οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων ταῦτα τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον καὶ λόγους εἶπον, in quibus verbis multa hominibus doctis displicuerunt.[1] mihi vero, cum apud Andocidem saepius verba parvo spatio interiecto iterum ponantur (I 107 γνόντες τῶν συμφορῶν τῶν ἐπιουσῶν τὸ μέγεθος — ἔγνωσαν τούς τε φεύγοντας καταδέξασθαι —) et apud Graecos concessum sit, ut subiectum enuntiati posterioris ex casu obliquo prioris repetatur (And. I 45, III 12, Ant. V 48, Isae. VI 5), una difficultas tanta esse videtur, ut codicum lectionem cum Lindero, de rerum dispositione apud Ant. et And. p. 68, adn. 58 tueri non possim. nam obstat haud dubie Harpocrationis interpretatio, quominus λόγοι subiectum verbi ἀνωρθίαζον esse statuamus. atque huius testimonii gravitati etiam Blass cessit, qui οἳ post οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων inseruit, qua coniectura verbis τούτων οὖν τῶν λόγων substantivum οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων, quod certe enuntiato relativo longiore interposito in animis audientium fere oblitteratum erat, renovari statuitur. sed vehementer equidem dubito, num locus reperiri possit, quo aeque atque hoc non id substantivum, quod enuntiato relativo explicatur, κατήγοροι pronomine

[1]) Primum vix tolerari posse videbatur substantivum λόγοι brevi intervallo iteratum sensu usuque non plane eodem. quae offensio sane tolleretur Sluiteri (lect. And. p. 113) commento καὶ ἀλόγως εἶπον, nisi id reiciendum esse inter omnes constaret. deinde aegre tulerunt, quod, cum οἱ λόγοι subiectum esset verbi ἀνωρθίαζον, aliud rursus subiectum adsignandum esset verbo paratactice coniuncto λόγους εἶπον, nomen dico οἱ κατήγοροι, quod in enuntiato priore formam genetivi habet. quae subiecti varietas adeo indigna oratore habebatur, ut alterum membrum καὶ λόγους εἶπον exstirpandum censeret Helbig ann. phil. LXXXV 680. at puto causam satis idoneam tibi non fingas, qua quis commotus haec verba adscripserit; neque deesse potest οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων, quod damnaverunt K. L. Kayser Mus. Rhen. XVI 80 et Usener ibid. XXV 589. hi enim negaverunt subiectum οἱ λόγοι coniungi posse cum verbo ἀνωρθίαζον nisi in ea re Harpocrationis glossa: ἀνωρθίαζον ἀντὶ τοῦ ὄρθιον βοῶντες ἔλεγον Ἀνδοκίδης. isdem de causis alii subiectum οἱ λόγοι ita mutaverunt, ut eo persona significaretur, quae et cum ἀνωρθίαζον et cum λόγους εἶπον consociari posset, veluti Sluiter p. 113 scripsit οἱ λόγιοι, Köpke progr. gymn. Guben. 1869 οἱ λέγοντες, Frohberger Philol. Anz. II 328 οἱ μυθολόγοι. sed hi omnes emendandi conatus contra sanam rationem eo peccare mihi videntur, quod vix credibile est Andocidem negotium τοῦ λόγους εἰπεῖν verbis disertis ad partem rettulisse accusatorum, eam nimirum, quae verba faciebat in iudicio, quasi non omnes idem sensissent.

postposito in memoriam revocetur, sed illud, ex quo hoc pendet, οἱ λόγοι. apud Andocidem quidem omnibus locis, qui conferri possunt, verbum, e quo enuntiatum relativum aptum est, aut ipsum iteratur aut alio repetitur (I 88, 149, II 9, III 5; cf. Thuc. I 80, 3, IIII 44, 4 τοῖς δ' ἡμίσεσι τῶν Κορινθίων [cf. 42, 4], οἳ ἐν τῇ Κεγχρειᾷ ἐκάθηντο φύλακες, — τούτοις οὐ κατάδηλος ἡ μάχη ἦν). accedit, quod hac coniectura recepta neque καί neque γάρ ullam habet explicationem. quamquam igitur Blassii coniectura improbanda est, tamen viam ille monstrasse videtur, qua manus scriptoris restitui possit. et ipse enim puto verbis τούτων οὖν τῶν λόγων oratorem nomen οἱ λόγοι τ. κ. respicere, quae autem ita nascatur inconsequentia, eam, si pro enuntiato relativo liberiorem in modum parenthesis intercedat, aliqua ex parte imminui. at quid particula γάρ faciamus, cuius vis causalis, quamvis in scriptura tradita clare adpareat, loco sic constituto non magis ferri potest quam, ut iam diximus, emendatione Blassii recepta? reponamus eam in interclusione, cui optime convenit, inter ΤΑΥΤΑ et ΤΑ, quo loco litteris maiusculis exarata facile omitti et postea falso loco inseri potuit. scribas igitur mecum: καὶ οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων — ταῦτα γὰρ τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον καὶ λόγους εἶπον . . . — τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων eqs., quae verba apte adplicantur ad sententias, quae enuntiato relativo interposito ὅπερ ἐμοὶ περὶ πλείστου ἐστὶν ὑμᾶς πεῖσαι praecedunt. quod autem residet anacoluthon, non est gravius molestiusque quam quod legimus Isocr. IIII 108, XII 118; cf. Kampfner, de anacol. apud Thuc. § 13.

I 30 orator dicit accusatorum verba nihil ad se pertinere; haec enim sententia subest interrogationi rhetoricae τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων ἢ τῶν ἔργων τί προσήκει; quam rem eo probare studet, quod rationem invertens ipse eos accusat, altero autem enuntiato eam sententiam fusius explicat. hunc igitur sententiarum ordinem Blass non plane perspexit, cum ταῦτα ante κατηγορῶ inseruit.

In verbis I 95 Ἐπιχάρης δ' οὗτος, ὁ πάντων πονηρότατος καὶ βουλόμενος εἶναι τοιοῦτος, ὁ μνησικακῶν αὐτὸς αὐτῷ· οὗτος γὰρ ἐβούλευεν ἐπὶ τῶν τριάκοντα Blass (att. Ber. I² 320) sine necessitate inconsequentiam inesse opinatus est. ac Francke, de And. or. de pace p. 15 cavendum esse ait, *ne figuram illam artificiosam, quae aposiopesis vocatur, putemus inesse in* I 95. sed haud difficile intellegitur praedicati locum tenere participium ὁ μνησικακῶν (cf. Pl. Euthyd. 290 e μὴ ὁ Κ. ἦν ὁ ταῦτ' εἰπών . . .;) et oratorem cum leni irrisione haec fere dixisse: *cum Cephisius et Meletus non deliquerint id ipsum quod gravissimum est et impunitatem sint adsecuti, Epichares, homo omnium sceleratissimus ac pertinacissimus, inter tres accusatores ille est, qui tanta commisit, ut fieri non possit, quin sibi ipse certe perpetuo memor sit malorum; is enim senator erat XXX viris dominantibus itaque, si non ipse exemptus est a facinorum oblivione*, ut ita dicam, *at tamen eis erat coniunctissimus, quibus civitas* μνησικακεῖ (cf. § 90).

III 21 codices exhibent καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται παραιτοῦμαι γὰρ ὄντα λέξω· in vulgata lectione ante γάρ insertum est τά, quod propter similitudinem

duarum, quae secuntur, litterarum facile excidere potuit. sed hac emendatione sententiarum contextus omnino corrumpitur. si enim in καί vim particulae *etiam* inesse ponimus, quod consuetudine Andocidis et Atticorum omnium antiquorum flagitatur (cf. infra p. 170), ita ut καὶ . . . εἰ coniunctio concessiva sit, id non convenit cum verbo primario παραιτοῦμαι. sed utut res se habet, verba καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται παραιτοῦμαι nec causam nec explicationem continent enuntiati antecedentis. quapropter aliam scripturam propono καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται, — παραιτοῦμαι γάρ — ⟨τὰ⟩ ὄντα λέξω, quae ex re palaeographica non minus commendatur. sententia autem loci haec est: postquam interrogavit, quibus condicionibus pacem facere Atheniensibus liceret, alterum illud subicit, quales se Lacedaemonii praebeant. cur autem eam interrogationem, qua orationem ad Lacedaemonios traduxit diserte eos nominando, adderet, in causa ei id erat, quod, quo modo re vera illi erga Athenienses se gessissent, ei erat in animo narrare, etiamsi ea re multorum auribus nequaquam se blandiri bene sciret. ea de causa iam inter enuntiatum secundarium et primarium causam interponit, cur talia dicere possit audeatque: παραιτοῦμαι γάρ *veniam enim rogo.*[1]) melius quoque inter se respondent hac scriptura probata artiusque conectuntur duo futura ἀχθεσθήσεται et λέξω, si praesens παραιτοῦμαι interpositionis locum habet.

His igitur praemissis iam rem, quam supra significavimus, adgrediamur.

1.

Peculiaris est indoles quattuor locorum Andocideorum II 23 (ἔτι γὰρ . . . .), I 15 (ἦν γὰρ . . .), 33 (ἐὰν γὰρ . . .), 37 (ἐν ὑμῖν γὰρ . . .), quae enuntiata non causam enuntiati ipsius praegressi continent, sed eis probatur, cur id, quod verbis antecedentibus dictum est, fieri possit vel potuerit. ex eorum igitur numero sunt, quibus ante enuntiatum causale, quod non ipsius antecedentis sententiae rationem reddit, aliquid supplere possis. atqui si talem sententiam enuntias, simul cum ea aliae quasi subsicivae sententiae ultro prodeunt, quales sunt: *id autem fieri potest; id autem pro certo scio; id autem dicendum esse puto* (cf. And. III 29, [IIII] 7; ac persaepe apud Isocr. velut VII 29).[2]) ergo perversum esse arbitror talia expressis verbis supplere velle.

Itidem res se habet, si exhortationi praegressae orator causam adiungit, cur eam proposuerit (And. I 18, 19, 69, III 25[3]). similis est is usus, quo post

---

[1]) Similiter idem verbum interclusionis locum obtinet I 32 οὐ παραιτοῦμαι.

[2]) Cf. Gomperz, herodot. Stud. in Act. acad. Vindob. CIII 554, quo loco de Her. II 135 disputavit: *Nicht allzuselten sind die Fälle, in welchen ein durch γάρ eingeleiteter Begründungssatz nicht den Inhalt der vorangehenden Aussage, sondern das Stattfinden derselben und das ihr zugrunde liegende Wissen erklärt; Lys. I 11, Her. III 102.* tamen eum usum, quantum ad Herodotum pertinet, frequentem esse negat Broschmann p. 19.

[3]) Hoc loco post διδαξάτω μέ τις lenius signum commatis ponere malim, quia enuntiatum, quod sequitur, ἀναμνήσθητε γὰρ eqs. significare mihi videtur, cur orator ex aliis cognoscere velit, quanti Atheniensibus sit Corinthus Boeotis amissis, aliosque roget, ut se de ea re edoceant.

interrogationem scriptor rationem reddit, cur haec interrogaverit (And. III 21, 26, Isae. XI 19, Dem. VIII 37); contra ceteris locis rhetorica interrogatione praemissa eam sententiam probare et confirmare studet, quae in interrogatione illa latet (And. I 30, 114, III 2, [IIII] 15, Ant. II β 6, 7).

Accedunt loci, quibus enuntiato a γάρ incipienti non redditur ratio sententiae cuiusdam, quam antecedens enuntiatum una complectitur, sed sententia, cuius causa additur, e contextu orationis supplenda est; id quod maxime in responsa cadit, quae supprimuntur ita, ut e sequenti enuntiato causali intellegantur, velut Thucydides Saevio (p. 21) teste ter sibi id indulsit (V 95, 97, 99 in diverbio Meliorum), Gorg. Pal. 9, 14, Ant. V 55. qui usus aetate inferiore increbruit; cf. Rehdantz ad Dem. III 6 et ind. p. 233. sed in orationibus Andocidis et in libro de re publica Atheniensium nullum huius rei inest exemplum.

2.

Pauca mihi adicienda sunt de enuntiatis particulae γάρ antecedentibus. quae si binis membris continentur, particula γάρ aut post prius inseritur (And. II 4, I 30, III 40, [IIII] 7, 39) aut post alterum. quodsi hunc tenet locum, enuntiatum a γάρ incipiens longe plurimis locis ad alterum membrum pertinet (And. II 1, 9, 19 et saepe; I 55 ad tertium membrum); aliis locis, quorum altero membro idem adfirmatur, cuius res contraria priore negatur, enuntiatum causale, quamquam illud membrum continuo antecedit, tamen potius ad prius referendum videtur (And. I 4, 140, 146, III 18, Thuc. VI 54, 5); denique perpaucis locis ad utrumque simul membrum spectat (And. III 26, [IIII] 8). nullo vero loco Andocides orationis concinnitatem eo aucupatus est, quod post utrumque membrum coniunctione γάρ enuntiatum adiunxit, id quod saepius invenimus apud Antiphontem, praesertim si tetralogias illas perpolitas percurrimus, velut IIII β 6.

3.

Enuntiatum a γάρ incipiens quamquam semper fere ad verbum primarium, quippe quo summa totius sententiae contineatur, referendum est, nonnullis tamen locis ad infinitivum spectat (And. I 33) aut participium (II 23, I 15, 19 ὁ μὲν γὰρ, III 18, [IIII] 7, 32) aut ad enuntiatum secundarium, cuius primum locum obtinet pronomen relativum (I 71, III 29) vel particulae ὡς (II 22, I 4), ὅτι (II 4, I 6, 140), ὅτε (II 9), ὥστε (II 16).

4.

Ipsum enuntiatum causale omnes formas potest induere, etiam formam imperativi (And. III 25, fr. 4 opt. μὴ γὰρ ἴδοιμεν,[1]) Ath. rp. III 6); maxime autem eius vis augetur forma interrogationis (And. I 4, Ath. rp. II

[1]) Cf. de hoc loco Kirchhoff Herm. I 2 sq.

11, 15, III 2). sed ante omnia hic mihi commemoranda est ea Graecorum consuetudo, ex qua, ut sententiam antecedentem comprobent, sola apodosi hypothetica, qua ostenditur, quid futurum sit, si illa vera non sit, utuntur protasi omissa. cuius usus exempla, quae apud Herodotum leguntur, collegit Broschmann p. 20, quae apud Thucydidem, Krueger II 260. in orationibus Andocidis unum inveni locum II 4, plures apud Antiphontem II β 7, 10, γ 6, V 25. neque tamen plenae orationis desunt exempla, velut And. I 92.

5.

Denique neminem adhuc distincte pronuntiasse video saepius non ipso, in quo γάρ positum est, enuntiato causam eorum, quae antecesserunt, contineri, sed eo demum, quod sequitur: velut And. II 24 παύσασθε εἴ τῳ ὑμῶν διάβολόν τι ἐν τῇ γνώμῃ περὶ ἐμοῦ παρέστηκεν. εἰ γὰρ, ὅσα οἱ ἄνθρωποι τῇ γνώμῃ ἁμαρτάνουσι, τὸ σῶμα αὐτῶν μὴ αἴτιόν ἐστιν, ἐμοῦ τὸ μὲν σῶμα τυγχάνει ταὐτὸν ἔτι ὄν, ὅπερ τῆς αἰτίας ἀπήλλακται, ἡ δὲ γνώμη ἀντὶ τῆς προτέρας ἑτέρα νυνὶ παρέστηκεν praemissum est enuntiatum condicionale, quod non arte cohaeret cum sententia probanda. vel causa ipsa inest in secundario enuntiato, cum antecedens primarium particulam γάρ contineat (And. II 26, III 25). vel duo sunt membra, quorum priori γάρ insertum est, alterum causam exhibet: And. I 7, 58, 140, Ath. rp. III 9. quibus locis cum prius membrum sententiarum conexu nequaquam flagitetur, studium manifestum adparet duo membra inter se respondentia praeter necessitatem efficiendi, unde Andocidem artis tum florescentis non tam ignarum fuisse, quam multi contendunt, facile intellegitur, etiamsi nimium orationum Antiphontearum ornatum et luxuriem, ut ita dicam, dicendi pro sua parte constrinxit.

II.

Ex usu causali particulae γάρ exortus esse videtur, qui saepe ab hoc distingui non potest, usus declarativus, qui minus late patet. atque uno etiam Andocidis loco tale γάρ mihi delendum esse videtur, etsi omnes editores id toleravere. etenim I 20 haec legimus in codicibus ὁ πατὴρ ἐπείσθη ἀγῶνα τοιοῦτον ἀγωνίσασθαι, ἐν ᾧ δυοῖν τοῖν μεγίστοιν κακοῖν οὐκ ἦν αὐτῷ ἁμαρτεῖν; ἢ γὰρ ἐμοῦ δόξαντος τὰ ὄντα μηνῦσαι κατ' ἐκείνου ὑπ' ἐμοῦ ἀποθανεῖν ἢ αὐτῷ σωθέντι ἐμὲ ἀποκτεῖναι. quo autem melius de hoc loco decernamus, similes conferamus necesse est I 57, III 28 atque inprimis II 7, Thuc. I 33, 3, IIII 28, 5.[1]) cum igitur ab

---

[1]) **Alia permulta huius usus exempla Gebauer Lys. I 433 sq., 440 sqq. collegit, in quibus aut duo infinitivi duplici ἤ in orationem inferuntur aut, si γάρ insertum est, tota et integra enuntiata secuntur, quorum verbum numquam, nisi oratio indirecta subest (Isae. III 74, Dem. XVIIII 151), formam infinitivi habet.**

omnibus locis, qui talem infinitivum explicativum [1]) exhibent, γάρ absit, hoc quoque loco ferri non potest. at quicumque loci Thucydidei γάρ iuxta solum infinitivum praebent, austeritate generis dicendi, quo ille utitur, explicandi sunt vel excusandi. namque in VII 28, 3, si modo γάρ recte codicibus traditur, similis inconsequentia inest atque I 25, 4; deinde III 65, 1 ἐλθεῖν et VIII 86, 3 ἐξεῖναι habendi sunt infinitivi orationis obliquae; denique II 17, 2 et IIII 68, 5 (sicut VI 24, 3; 68, 3, VIII 87, 3) facili negotio ad enuntiatum mancum ex eis, quae antecedunt, verbum finitum adsumitur. sed tali interpretandi artificio hic locus Andocideus defendi non potest; ut enim, quod quidam voluerunt, mente infinitivis ἢ ἀποθανεῖν ἢ ἀποκτεῖναι adicias verbum enuntiati praegressi ἦν, tamen non puto Graece dici ἦν αὐτῷ ἢ ἀποθανεῖν ἢ ἀποκτεῖναι (pro ὑπῆρχεν).[2]) quam ob rem dubium non esse mihi videtur, quin γάρ expellendum sit. cum enim γάρ compendio γ̀ scriberetur, a vero non abhorret quendam pro ἢ legisse et scripsisse γάρ, supra quod deinde alter veram scripturam ἢ adpinxit. quae res confirmatur ipsis codicum vestigiis, de quibus Blass in adnotatione critica haec rettulit: ἢ *a corr. habet A.*[3])

Iam de nonnullis locis Andocideis loquar, quibus difficilius est intellegere, quid enuntiato coniunctione γάρ illato illustretur. I 55 verbis νῦν γὰρ ἐμὲ μὲν λόγον δεῖ διδόναι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων μετὰ τῆς ἀληθείας explicatur, cur in eis, quae continuo antecedunt, orator dixerit ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων *(cognoscite ex rebus ipsis; nam quae ego nunc narro, res ipsae sunt);* I 104 ἀγῶνες, qui in interrogatione adtinguntur, copiosius explanantur; I 119 quae sint illae οἰκειότητες, quas ipsi ostendere possint et debeant avunculo mortuo eiusque filiabus superstitibus, exponitur; I 57 verbis εἰ μὲν γὰρ eqs. ea quodam modo evolvuntur, quae pronomen τί quasi operta complectitur; similiter III 13 enuntiato οἶμαι γὰρ agitur de pronomine interrogativo διὰ τί, quod explicatione eget; III 35 substantivum τρόπους, 41 πρεσβευτάς enuntiato sequenti explanatur.

1.

In universum de particulae γάρ usu declarativo id unum dicam, si unum verbum eis, quae secuntur, illustretur, sponte fieri, ut id conspicuo loco ponatur; itaque apud Andocidem modo locum enuntiati primum obtinet (tantummodo III 41), modo extremum (I 27, 55, III 35), modo ante ipsum

---

[1]) De qua re cf. Michaelis, de inf. usu Thuc. p. 36.

[2]) Quod autem γάρ aeque ac nostrum *nämlich* ideo usurpatum est, ut singulis verbis explicandi causa adpositis adiceretur, cuius usus exempla in scholiis sunt uberiora, id ad illa tempora referre non licet.

[3]) Postquam mihi de hoc loco sententia stetit, iam Dobraeum hoc mendum sensisse animadverti, qui in Adversariis scripsit: *delere malim* γάρ *vel* ἦν γὰρ ἢ ἐμοῦ; ad quae verba Hickie in ed. And. I (1885) adscripsit: *a simpler correction would be* ἦν γὰρ ἐμοῦ, simplicior sane, at deterior.

verbum extremum collocatur (I 118, 137, III 20). attamen hanc legem non tam constanter observavit orator, ut verba aliter conformare non auderet, veluti I 57 et III 13, ubi quidem aliter dicere vix potuit, et I 104, ubi post ἀγῶνας, de quibus enuntiato sequenti exponitur, plura verba leguntur (καθίστασθαι ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων), quae quidem omnia arte cohaerent cum verbo ἀγῶνας. sed cum Herodotus id curaret, *ut, quo magis exstaret vox illa explicanda et prae ceteris efferretur, eam in ipsa fronte collocaret eius, quae particula γάρ infertur, enuntiationis explicativae,*[1]) velut IIII 7, 103, VIIII 11, Andocides id prorsus neglexit. etsi enim III 11 necessitate quadam coactus εἰρήνην primo loco posuit, I 104 et III 41, ubi idem facere potuit, verba ἀγῶνα et πρεσβεύων longe distant ab initio enuntiati.

2.

Nulla particula frequentius adhibetur ad interclusiones adornandas quam γάρ, qua de causa hic breviter proponam, quo modo in hac re dicendi consuetudo paulatim mutata sit. Herodotus igitur pro dissoluto sermonis sui genere illaque simplicitate, qua parataxim, quam dicunt, hypotaxi praetulit, omnium saepissime illis usus est multis etiam locis, quibus nos enuntiatum relativum desideramus. posteriores vero scriptores iam certos sibi fines constituerunt, ne oratio quodam modo dilaberetur interclusionibus. Thucydides quamquam eas nequaquam fugit, tamen moderatior fuit in eis admittendis et vitavit, ne eas interponeret in enuntiatis secundariis praeter relativa. etiam angustioribus finibus hunc usum circumscripserunt oratores, quos in hac re perscrutatus est L. Egger. etenim antiquiores oratores interclusiones inserere noluerunt nec media in enuntiata primaria nec secundaria, sed pleraeque leguntur in intervallo, quod est inter enuntiatum secundarium et primarium (And. I 15, III 21 e nostra scriptura — παραιτοῦμαι γάρ —). neque vero *desunt apud Andocidem,* ut Egger p. 24 contendit, *loci,* quibus enuntiatum secundarium interclusione interrumpatur; nam III 29 in enuntiatum relativum, etiamsi eius ambitus maior est quam pro enuntiato secundario, verba inseruntur χρὴ γὰρ ἀναμνησθέντας τὰ γεγενημένα καλῶς βουλεύσασθαι.

3.

Inprimis autem hoc loco ille particulae γάρ usus nominandus est, quem plerique praepositivum dixerunt.[2]) Hartung vero, die griech. Part. p. 464 et Schraut, γάρ in vorgeschobenen Sätzen etiam talibus locis nullam aliam vim particulae γάρ subesse dicunt quam adfirmativam. sed rectius Piderit ann.

---

[1]) Cf. Broschmann p. 28.

[2]) Bäumlein p. 75, Kuehner p. 854, Sernatinger, de particula γάρ, cf. Bursiani annal. XV 272, Poppo Thuc. Prolegg., I 2 p. 305, Gebauer ad Lysiae XII 15 et pp. 214, 491; itemque

phil. LXX 69 iudicavit, qui primum quidem negavit omnes eius modi locos eadem regula esse metiendos, id quod maxime valet de eis enuntiatis causalibus, quae post vocativum leguntur; saepe enim eis non causa enuntiati sequentis profertur, sed cur quis adpellatus sit, explicatur (cf. Her. III 63, Plat. Phaedo 117 a). etsi autem explicanda sententia sequitur, tamen id numquam ita fit, ut enuntiatum causale toti periodo alteri praemittatur, immo semper interponitur. ut autem nonnullis locis sententiae cuiusdam causam vel explicationem praecipiat, scriptor eo movetur, quod, si res nova vel inopinata in orationem inducitur, hoc modo animos praeparare illamque rem probabiliorem reddere potest. atque inprimis ea Herodoti consuetudo est, ut, quotiens oratio ad novam personam vel locum ante nondum commemoratum vel similia transgreditur, semper fere initio enuntiatum a γάρ incipiens inserat (Broschmann p. 43 sqq., Stein ad I 8, 4). et quia, quae praeter exspectationem accidunt, non tam consilio quam casu quodam effici solent, a Thucydide talibus locis verbum τυγχάνειν omnium maxime frequentatur; hos enim locos ego contuli I 57, 6; 104, 2; 135, 3, IIII 70, 2; 113, 2; 130, 3, V 75, 2, VIII 98, 1. sed iam quae sit ratio eius modi enuntiatorum interpositorum in singulis scriptoribus, diligentius consideremus.

Apud Herodotum, quo nemo saepius particula γάρ hoc modo usus est (Stein in Bursiani annal. XXX 218 in censura libelli Broschmanniani), maxima in ea re libertas animadvertitur, ac paene pauciora sunt exempla, ubi post talem interclusionem oratio non turbata decurrit. sed apud eum etiam semper antecedit pars periodi illius, cuius ad partem sequentem enuntiatum causale referendum est, etiamsi subinde tantummodo vocativus (I 124 ὦ παῖ Καμβύσεω, σὲ γὰρ θεοὶ ἐπορέουσι,... σύ νυν Ἀστυάγεα τὸν σεωυτοῦ φονέα τῖσαι) vel coniunctio (V 33 καί, VII 214 ἀλλά) vel tale quid (I 74 μετὰ δὲ ταῦτα, οὐ γὰρ δὴ ὁ Ἀλυάττης ἐξεδίδου τοὺς Σκύθας ἐξαιτέοντι Κυαξάρεϊ, πόλεμος τοῖσι Λυδοῖσι καὶ τοῖσι Μήδοισι ἐγεγόνεε) enuntiato a γάρ incipienti praegrediatur. atque cavendum est, ne hanc legem relinquamus eis locis respectis, quos alii errore huc rettulerunt, velut IIII 79, VI 11, quos Broschmann p. 47 proposuit, cum his locis is, qui loquitur, orationis principio comprobet, cur verba faciat (continuo enim antecedit participium λέγων). nonnusquam vero interclusio aliquam vim habet ad sequentem partem enuntiati primarii conformandam, cum haec vinculo quodam cum illa coniungatur, ita ut interclusione omissa duae enuntiati primarii partes non bene inter sese quadrent; nam saepissime ὤν sequitur (I 69, cf. IIII 149), et si tali interclusione nova persona vel novus locus in narrationem infertur, Herodotum in verbis, quae secuntur, pronomine demonstrativo ad illa nos revocare solere

iam docti antiquitatis grammatici, veluti Aristonicus ad H 328, ed. Friedländer p. 133 ἡ διπλῆ ὅτι ἀπὸ τοῦ γάρ αἰτιώδους εἰσέβαλεν ἀρχαικῶς, scholia B L V ad H 328 εἴωθεν ἀεὶ ἀπὸ τοῦ γάρ ἄρχεσθαι τὴν αἰτίαν προτάσσων τοῦ πράγματος· ἐχρῆν δὲ τοὐναντίον ποιεῖν, Eust. p. 349 ὅρα ὅπως προτίθεται ὁ γάρ σύνδεσμος λαμβανόμενος ἀντὶ τοῦ ἐπειδή.

animadverti (V 111, VIII 5; III 78, VI 102); VIII 101 (σὺ ὦν ἐμοί, καὶ γὰρ περὶ τῆς ναυμαχίης εὖ συνεβούλευσας τῆς γενομένης οὐκ ἐῶσα ποιέεσθαι, νῦν τε συμβούλευσον) autem coniunctione τὲ, si modo retinenda est, quam artissime ea, quae interclusionem secuntur, verba huic adnectuntur. difficilius etiam res se habet, si verbum, quod ante interclusionem positum coniungendum est cum altera parte enuntiati primarii, ita constructum est, tamquam e verbo quodam interclusionis pendeat (VIIII 109; I 114).

Thucydides quoque talia enuntiata semper mediam in periodum inseruit, numquam omnino praeposuit; certe unum saltem antecedit verbum (καί I 31, 2, VII 48, 2). quam vero licentiam Herodotus pro dissolutiore sermone suo admisit, eam magno opere imminuit. nullum enim apud eum exemplum invenitur, ubi post interclusionem causalem vel explicativam οὖν legitur; ac raro pronomine demonstrativo substantivum quoddam interclusionis repetitur (III 70, 3). nec vero desunt loci, quibus pars altera enuntiati primarii cum interclusione conectitur; nam IIII 132, 2 Thucydides δέ inseruit et I 72, 1 altera enuntiati pars a καί incipit. etiam graviora anacolutha etsi pauca in talibus periodis inveniuntur; velut Thuc. VIII 30, 1 prorsus comparari potest cum Her. I 24 similibusque exemplis, de quibus supra diximus. sed alii loci (I 72, 1; 115, 4 τῶν δὲ Σαμίων, ἦσαν γάρ τινες οἳ οὐχ ὑπέμενον, ἀλλ' ἔφυγον ἐς τὴν ἤπειρον, ξυνθέμενοι — διέβησαν ὑπὸ νύκτα ἐς τὴν Σάμον) non tam anacoluthon quam breviloquentiam continent atque iniuria editores (Boehme ad I 31, 2, Classen ad I 72, 1) hos quoque locos cum Herodoteis contulerunt. cum enim apud Herodotum verbum, quod ante interclusionem collocatum est, continuo cum altera enuntiati parte coniungendum sit in alium quidem casum mutatum (IIII 200 τῶν δὲ πᾶν γὰρ ἦν τὸ πλῆθος μεταίτιον, οὐκ ἐδέκοντο τοὺς λόγους pronomen τῶν δέ, quod e verbo πλῆθος pendet, dictum est pro οἱ δέ), locis illis Thucydideis genetivus τῶν δὲ 'Αθηναίων et τῶν δὲ Σαμίων non usurpatus est pro nominativo, sed ex interclusione ad eum adsumendum est verbum primarium (πρεσβεία, τινὲς), ad quod explicandum additur interclusio, in qua brevitatis causa illud verbum collocatum est. itaque his locis non enuntiati primarii pars sequens explicatur, sed verbum, quod ante interclusionem ponendum erat.

Sed haec anacolutha partim Herodoti et Thucydidis communia, partim huius propria, quae ex hoc usu particulae γάρ oriuntur, post eos non reperiuntur. in libello de Atheniensium re publica nullum inest exemplum huius usus, quo interclusio ad sequentem enuntiati partem refertur, id quod haud dubie mero casu factum est. sed Antiphontem consulto hanc dictionem, quae ei fortasse longius a dicendi elegantia abesse videretur, evitasse credere malim; V 20 enim interclusionem a verbo ἐτύγχανε incipientem, quales interclusiones Thucydidem praemittere solitum esse vidimus, post prius membrum periodi posuit. quae autem I 11 legitur interpositio, non ad ea, quae secuntur, referenda est, sed illa verbum νῦν uberius explanatur.

Ex orationibus Andocidis quattuor eius generis locos collegi II 15, I 57, 117, III ⟨21⟩; de ultimo loco iam supra disputavimus. utroque autem loco orationis primae antecedit imperativus φέρε δή, sequitur interrogatio rhetorica, quam cur proposuerit orator, interclusione significatur. sed de primo loco (II 15 κἀγώ, θόρυβος γὰρ δὴ τοιοῦτος ἐγίγνετο τῶν βουλευτῶν, καὶ ἐπειδὴ ἐγίγνωσκον ἀπολούμενος, εὐθὺς προσπηδῶ πρὸς τὴν ἑστίαν) copiosius est agendum. etenim Reiske Turicenses Blass Kayser (Mus. Rh. XVI 80) καί, quod legitur ante ἐπειδή, deleverunt statuentes vocula illa orationis contextum moleste perturbari; nec dubium est, quin ea explicatio ferri non possit, quam Linder p. 75 adn. 76 protulit.[1]) neque enim verbis καὶ ἐπειδή ea, quam ille vult, subest notio neque Andocidi causa aderat enuntiato ἐπειδὴ ἐγίγνωσκον ἀπολούμενος, quod paene ultro ex enuntiato praegresso eluceat neque quicquam quod mirum sit adferat, vim praecipuam tribuendi. nihilo setius si cum hoc loco contendimus Thuc. I 72, 1 τῶν δὲ Ἀθηναίων, ἔτυχε γὰρ πρεσβεία πρότερον ἐν τῇ Λακεδαίμονι περὶ ἄλλων παροῦσα, καὶ ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων, ἔδοξεν αὐτοῖς, quem locum pari modo eiecta particula καί sanandum esse Krueger arbitratus est, et IIII 132, 2, facere vix possumus, quin illo Andocidis loco particulam servemus. nam oblitus quodam modo propter enuntiatum interpositum initii periodi eam, quae sequitur, sententiam coniunctione καί adnectit. quodsi ea, quae apud Andocidem observavimus, complectimur, satis raro ille talia enuntiata interposuit ac semel tantum parvam inconsequentiam admisit.

Lysias quoque hos fines angustos eius usus servavit, sed numquam, quod quidem ego videam, eis, quae post interclusionem collocavit, rectam verborum structuram turbavit (I 9, XII 15, XXI 23). scriptores autem posterioris temporis magis magisque hunc usum evitaverunt et talia enuntiata aut post eam sententiam, cuius causam continent, inseruerunt (cf. And. III 29) aut in ineunte enuntiato non γάρ, sed ἐπεί aliamve huius generis coniunctionem posuerunt. ii vero, qui minus severas dicendi leges sequebantur, etiam in hac re neglegentiores erant (Xen. An. I 5, 14, III 1, 24, Ages. II 15, Plat. Prot. 317 c).

4.

Sed iam loci nonnulli mihi commemorandi sunt, quibus orationis contextus non modo eo efficitur, quod sententia antecedens explicatur et amplificatur, sed etiam secundum enuntiatum priore indicatur et praemonstratur. sunt autem complures locutiones certaeque dicendi formulae, in quibus hoc fieri solet. quod vero non minus saepe quam particula γάρ ta-

---

[1]) Καί *in* κἀγώ *ea, quae secuntur, cum eis, quae praecedunt, coniungit, id autem, quod ante* ἐπειδή *collocatum invenimus, huius ipsius vocis* ἐπειδή *significantius efferendae causa usurpatur.* καὶ ἐπειδή *est: eo ipso tempore postquam.*

libus locis asyndeton invenitur, huius simul asyndeti generis, ut hunc usum plane intellegamus et plene perspiciamus, rationem habeamus oportet. atque in ea re Andocidis usum primum videamus. is igitur post multa verba sentiendi et dicendi, quae ad quid pertineant statim breviter significari solet, alterum enuntiatum primarium ponit, quo sententia illa antea indicata fusius explanatur. talia verba sunt ἀναμιμνήσκειν (I 19, 37, 130, [IIII] 41 βούλομαι δ' ὑμᾶς ἀναμνῆσαι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων. ἐγὼ γὰρ πρεσβεύσας — τοὺς μὲν διαφόρους ὄντας διήλλαξα eqs.), ὁρᾶν (II 17), ἀκούειν (II 20), σκοπεῖν (III 27), quibus locis omnibus γάρ legitur, (I 92, 124, [IIII] 30), ubi asyndeton exstat; deinde διδάσκειν (I 10, 72 γάρ; I 34, 73 asynd.), λέγειν et similia (I 49, 106, 133, III 21, 36, [IIII] 23 γάρ), διηγεῖσθαι (I 117, [IIII] 25), φράζειν (III 4 [1]), ἐπισκήπτειν (I 32 asynd.). quibus ex locis quamquam promiscue ab Andocide γάρ et asyndeton usurpata esse elucet, tamen ille asyndeton anteposuisse videtur, si in primis enuntiati alterius verbis particula μέν usus erat. praeterea huc referendi sunt loci, quibus pronomen vel adverbium demonstrativum antecedit, quod ad enuntiatum sequens spectat. veluti γάρ legitur post οὕτω I 34, τοσαύτην III 33, ἐντεῦθεν [IIII] 6, asyndeton post τοσοῦτον II 23, οὕτως ἔχει I 69, 105, 146, cui locutioni Andocides ea, quae secuntur, semper sine coniunctione adiecit. huc denique pertinet I 131, ubi dictum est οἰόμενος γάρ eqs., quasi antecessisset non adverbium interrogativum πῶς, sed οὕτως.

Herodotus aeque atque Andocides nulla lege adstrictus talibus locis modo asyndeton modo γάρ adhibuit et ea quoque re huic similis est, quod, ut Broschmann p. 70 ait, asyndeto tum maxime utitur, cum *bimembris est explicatio et priori comprehensionis membro per particulam μέν illato alterum opponitur per voculam δέ.* his unum addam, quod item ad Andocidem quodam modo spectat. etenim cum Herodotus post verba τάδε (οὕτω) ποιεῖν plerumque asyndeton ponat, tamen non raro γάρ invenimus, quod recte ita explicatur, ut non ea ipsa, quae fieri dicuntur, in orationem inducat scriptor, sed causam interponat, cur illa fiant vel fieri possint (II 60, III 159, VIIII 41). quam ob rem tales interclusiones semper fere asyndeton sequitur, semel tantum ὧν (I 207). similiter explicandam esse particulam γάρ And. I 25 puto, ubi ea, quae se facturum esse pollicetur orator, in enuntiato ἐγὼ οὖν eqs. exponit.

Eadem simplicitas ac libertas, quam in Andocide et Herodoto observavimus, in libello de Atheniensium re publica invenitur, ubi I 10 post φράσω, II 1 post οὕτω, 2 post τοιοῦτον asyndeton, contra I 17 γάρ post τάδε legitur.

Aliter res se habet in Thucydidis libris, qui paucis eius modi locis asyndeton admisit, saepius γάρ adhibuit. atque apud eum formulae quaedam ellipticae leguntur, quas apud illos frustra quaeras, ab oratoribus aetatis inferioris

---

[1]) Hoc loco Hirschig Phil. V 320 iniuria, id quod nemo non videt, γάρ post μέν inseri iussit; cf. de Ath. rep. I 10.

mirum quantum adamatae. tales sunt τεκμήριον δέ,[1]) σημεῖον δέ, τὸ δὲ μέγιστον, aliae, quas primo non usurpatas esse nisi adpositionis loco veri simile est (cf. Thuc. II 50, 2, Gorg. Pal. 29; v. Classen ad Thuc. I 142, 1). Thucydides vero eas formulas etiam ita construxit, ut post eas γάρ inferret (τεκμήριον δέ II 15, 4; 39, 2, III 66, 1; μαρτύριον δέ I 8, 1). atque idem de Antiphonte dici potest (V 61, VI 43).

Lysias post voces demonstrativas et post verba illa, quae supra commemoravimus, eadem fere structura utitur, quam Andocides exhibet (cf. inprimis I 22 διηγεῖσθαι cum asyndeto et XII 19 τοσαύτην cum γάρ coniuncta); sed [XX] 32 legimus ἔχει οὕτω adiecto γάρ, quem usum iam Strange ann. phil. suppl. III 29 omnino singularem esse dixit. neque vero illae formulae absunt, quibus orationes Andocideas carere vidimus (III 39 τὸ δὲ μέγιστον.... γὰρ.., XIII 20 τεκμήριον δέ· οἱ γὰρ..). accedit, quod transeundi forma pridem usitata in Lysiae orationibus primum cum γάρ coniungitur. nam quod Thuc. VI 20, 4 legimus ᾧ δὲ μάλιστα ἡμῶν προέχουσιν, ἵππους τε πολλοὺς κέκτηνται vel Lys. XXX 29 ὃ δὲ πάντων δεινότατον, ὑπογραμματεῦσαι μὲν οὐκ ἔξεστι δίς vel [And.] IIII 16 ὃ δὲ πάντων δεινότατόν ἐστι, τοιοῦτος ὢν ὡς εὔνους τῷ δήμῳ τοὺς λόγους ποιεῖται, certe non memorabile est; sed mox enuntiatum relativum, cuius pronomen ad sequentia spectabat, per se ponebatur tamquam enuntiatum primarium verbaque sequentia coniunctione γάρ adnectebantur. cuius usus prima vestigia inveni apud Lysiam (XVIIII 25, XXXII 24).[2])

Isocrates, qui omnes illas formulas iam plane novit liberoque arbitrio adhibet, omnibus fere eius modi locis ac maxime post formulas relativas, de quibus modo egimus, γάρ ponit, quod tanto opere constructioni dissolutae praefert, ut etiam post μέν particula γάρ utatur, ubi alii veluti Xenophon plerumque asyndeton admiserunt (aliter res se habet V 95). unam vero locutionem ne Isocrates quidem usquam cum γάρ coniunxit, dico οὕτως ἔχει (cf. S. Ljungdahl, de transeundi generibus, quibus utitur Isocr., p. 67). hanc rationem secutus est ille, quem maxime concinnitati artoque contextui periodorum indulsisse constat. apud posteriores autem veluti Demosthenem multo saepius eius modi asyndeta inveniuntur.

5.

Sed priusquam de causali et explicativo usu particulae γάρ agere desistimus, paucis verbis exponendum est enuntiatum a γάρ incipiens nonnumquam esse referendum non ad sententiam, quae continuo antecessit, sed ad remotiorem; id quod apud Herodotum observari potest ut aliis locis ita I 71 et VII 46, ubi verbis ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτῖραι Xerxes

---

[1]) Herodotus VIII 120 plenius scripsit μέγα δὲ καὶ τόδε μαρτύριον.

[2]) Uberius de his formulis disseruit J. Kvíčala in symb. phil. Bonn. p. 658 sq.; cf. Lys. XVIIII 33, XXIIII 11.

orationem Artabani quasi sine intervallo continuans causam addit eius sententiae, quam de eo ipso ille enuntiaverat. inprimis autem hic commemorandi sunt ii loci, quibus duo enuntiata, quorum utrumque a γάρ incipit, inter se excipiunt, si eorum condicio ea est, ut utrumque ad unum idemque enuntiatum praegressum spectet, veluti VII 51. tales loci in Thucydideis quoque libris reperiuntur (II 5, 4, VI 102, 2).

Andocidis loci quinque hic mihi adferendi esse videntur: I 19 (ἔλεξαν γὰρ), 38, 73 (ubi coniunctione γάρ ad διδάξω revocamur), quibus locis γάρ illud longius remotum explicativum est, 101 (iudicium istud non multo diversum esse a iudiciis, quae XXX viri habuerint, duplici ratione demonstrat orator; dicit enim Epicharem tum se accusaturum fuisse: εἰ γὰρ τότε ἠγωνιζόμην, τίς ἄν μου κατηγόρει; οὐχ οὗτος ὑπῆρχεν...; atque eundem nunc quoque idem agere: καὶ γὰρ νῦν), III 35 (enuntiatum οὐ γὰρ μόνον, ὦ 'A., πρὸς γράμματα τὰ γεγραμμένα δεῖ βλέποντας πρεσβεύειν ἡμᾶς eqs. sine dubio causam continet, cur ipse Andocides ceterique legati laudandi sint, quod, quamquam quidlibet decernendi et paciscendi potestatem accepissent, tamen rem Atheniensium arbitrio permiserint: μᾶλλον ἐπαινεῖν ἢ ψέγειν, εἰ πεμφθέντες αὐτοκράτορες ἔτι ἀπεδώκαμεν ὑμῖν περὶ αὐτῶν σκέψασθαι; enuntiato autem interposito, quod certe submissiore voce pronuntiatum est, exponitur, quod negotium ex illa legatorum modestia Atheniensibus ortum sit). cum hoc loco componere expedit de Ath. rep. I 8; verba enim ὁ γὰρ δῆμος οὐ βούλεται εὐνομουμένης τῆς πόλεως αὐτὸς δουλεύειν ad enuntiatum continuo praegressum sive explicandum sive comprobandum referri plane non possunt, neque, nisi forte post hoc enuntiatum mente supplemus: *id autem maximi est momenti*, quae prorsus nova sententia est, quam scriptor omittere omnino non potuit, fieri potest, quin hic quoque statuamus sententiam illam neglecto antecedenti enuntiato consecutivo referendam esse ad verba ἡ τούτου ἀμαθία καὶ πονηρία καὶ εὔνοια μᾶλλον λυσιτελεῖ ἢ ἡ τοῦ χρηστοῦ ἀρετὴ καὶ σοφία καὶ κακόνοια.

Eius modi periodi etiam apud posteriores passim inveniuntur. veluti Xen. An. V 6, 4 et Isae. X 12 similiter interpretari velim (verba καὶ μὲν δή, ὦ ἄ., οὐδὲ 'Αριστομένει γε οὐδὲ 'Απολλοδώρῳ — ἐξῆν locum interpositionis obtinent et enuntiatum θαυμαστὸν γὰρ ἂν ἦν causam continet enuntiati παρανόμως καὶ ἀσελγῶς ἔχουσι τὰ τῆς μητρὸς χρήματα). attamen qui elegantiori dictioni studebant, in hac structura duri aliquid inesse sentiebant. qua de causa Isocrates aut talia omnino vitavit aut perparva interposuit enuntiata, quae gravitate ceteris inferiora esse omnes statim animadverterent (VII 63/4, XVIII 4/5). accedit, quod γάρ illud longius remotum ab eo enuntiato, ad quod pertinet, omnibus fere locis Isocrateis explicativum est, quo transitus fit ad novam orationis partem, qua re, quae inest in ea conformatione duritia, magis etiam mollitur.

III.

Usum confirmativum particulae γάρ, quem tu forsitan dicas ut primitivum primo loco mihi tractandum fuisse, ad extremum reservavi, quia omnibus, qui in censum veniunt, locis diligenter examinatis intellexi eum longe esse rarissimum. in nulla autem re maior est grammaticorum dissensio. etenim alii, in quibus est Sernatinger, ullum praeter causalem et explicativum usum inveniri prorsus negant, quamquam ille ipse iam in carminibus Homericis notionem illam quibusdam locis veluti in enuntiatis optandi oblitteratam esse nec facile posse cognosci concedit; alii rursus, quorum princeps est Hartung, cui magis minusve adstipulati sunt Baeumlein et Kuehner et maxime Schraut, confirmativo usui nimium tribuerunt. inter quas sententias extremas mediam quasi viam iniit Gerth.[1]) ego vero haud scio, an potius aliter explicandum sit, qui fiat, ut quibusdam locis, quibus vis causalis vel explicativa particulae γάρ nullo pacto, nisi audacissime quaedam suppleveris,[2]) statui potest, γάρ more adverbii confirmativi, ut videtur, usurpetur. nam cum is usus etiam inferiore aetate certis atque angustis finibus circumscriptus sit et loci, quibus admittitur, veluti interrogationes et responsa, ita sint comparati, ut causalem sententiarum conexum, etiamsi adest, statim perspicere et γάρ ad eum referre difficile sit, suspicari licet e talibus locis secundum falsam analogiam, quam dicunt, eam libertatem natam esse, ut particula γάρ sine ulla dubitatione similibus etiam locis, quibus nullus causalis sententiarum conexus suberat, adhiberetur. huc pertinent tantummodo enuntiata optandi, interrogationes nonnullae, pauca responsa et allocutiones, denique enuntiata, in quibus particulae ἀλλὰ γάρ coniunctae leguntur. de quibus omnibus nunc agemus ita, ut unum quidque seorsim tractemus atque in singulorum scriptorum consuetudinem accuratius inquiramus.

1.

Enuntiata, quibus optata continentur, interdum incipiunt a particulis εἰ γάρ, quae dicendi ratio semper in usu mansisse videtur (Her. I 27, Xen. Cyr. VI 1, 38, Plat. Crito 44 d), quamvis pauca eius apud scriptores exstent exempla. tale γάρ Wetzell l. s. c. p. 37 repperisse sibi visus est Ant. V 36 in.

[1]) Qui in Bursiani annal. XV 273 haec ait: *Niemand wird leugnen, dass man da, wo ohne Künstelei die causale Bedeutung durchzuführen ist — und dies ist meiner Ansicht nach in der Mehrzahl der betreffenden Beispiele möglich —, von einem Zurückgehen auf ältere Stufen absehen muss. Anders aber gestaltet sich die Sache, wo jene Bedingung nicht mehr zutrifft, z. B., um die beiden klarsten Fälle hervorzuheben, in den Frage- und Wunschsätzen. Da Sernatinger selbst γάϱ aus γ' ἄϱ' entstanden sein lässt, so durfte er die Vermuthung, dass diese Entstehung der Partikel in manchen Gebrauchsweisen ihre Spur hinterlassen habe und für die Interpretation zu verwenden sei, nicht principiell abweisen.*

[2]) Quam interpretandi rationem sane artificiosam acerrime impugnavit Hartung V 3 § 2 p. 470 sq.

et 86, quod eum fefellit; utroque enim loco γάρ causalem sententiarum conexum indicat.[1]) neque in locutione φέρε γάρ is particulae γάρ usus conspicitur, etiamsi ea apud scriptores posteriores tam sollemnis est, ut facile suspiceris particulae γάρ adpositae vim causalem non semper intellectam esse; sed Ant. V 36 manifesto dubitatione φέρε γὰρ δὴ ποτέρῳ νῦν χρήσονται τῶν λόγων; causa significatur, cur accusatores servum necare non debuerint.

2.

Venimus ad interrogationes. inprimis hic nominandae sunt formulae illae ellipticae πῶς γάρ (οὔ); οὐ γάρ; quae Herodoto et Thucydidi nondum notae aut certe acceptae, sed ab Antiphonte iam usurpatae (V 41, item Gorg. Pal. 21) etiam postea in usu erant (Lys. I 27, Isae. VIII 30, Xen. Comm. IIII 6, 14, Pl. Gorg. 480a). in his formulis, quarum vim optime intellegemus, si eius modi interrogationes plene expressas comparabimus (Her. III 81 τῷ δὲ οὐδὲ γινώσκειν ἔνι· κῶς γὰρ ἂν γινώσκοι, ὃς...; Isocr. IIII 83), sine dubio causalis vis particulae γάρ valet. sed cum eae postea ex consuetudine frequentius nulla puto originis ratione habita usurparentur, et cum saepe ratio particulae γάρ in interrogationibus positae ad intellegendum difficilior esset nec primo obtutu causalis eius vis percipi posset,[2]) talibus locis utique γάρ iam re vera confirmativum esse videbatur. itaque apud posteriores scriptores et breves formulas reperimus (ἦ γάρ; Plat. Euthyphr. 10e, Phaedr. 263a, τί γάρ; Xen. Comm. II 6, 2 et 3, An. V 7, 10) et tota enuntiata interrogativa (Xen. Comm. I 4, 14), in quibus γάρ reapse vim confirmativam prae se fert.

3.

Praeterea in diverbiis si quis loqui incipit aut respondet, atque eis etiam locis, quibus diverbium ab oratore arte tantum fictum est, γάρ confirmativum interdum invenitur. sed in hac quoque re statuenda multi velut Kuehner nimii fuerunt; non enim in eo numero habendi sunt ii loci, ubi quis causam addit sententiae ab altero prolatae (Plat. Euthyd. 298b), aut responsum, quod ipsum

---

[1]) V 86 enuntiatum causale ἠξίουν μὲν γὰρ eqs. ad prius membrum periodi antecedentis referendum est (cf. huius dissertationis p. 152); nam orator iudices orat, ne in hac causa, quae contra leges instituta sit (§ 8), opinione temere concepta ducantur, cum velit, ut secundum leges de se iudicium fiat.

[2]) Velut Xen. Comm. III 5, 15 quaeritur, quo modo sententia antecedens iure enuntiari potuerit. Oec. XVIIII 2 sententia, quae interrogationi οὐ γὰρ σὺ ἐπίστασαι; subest, ipsa causa continetur, cur Socrates ea, quae praecedunt, praeter opinionem dixerit. sed si quis minus accurate hos locos inspiciat, facile eum causalis sententiarum conexus praetereat. Cyr. V 1, 9 adulescentulus ille dicit, qua causa et ratione commotus Cyrus ea, quae antecedunt, locutus esse sibi videatur. si vero sententias ipsas circumspicimus, adulescentuli responsum ea continet, quae e verbis Cyri colligi possunt. vides non esse, quod credas Karlowae, Bemerkungen zum Sprachgebrauch des Demosthenes mit Berücksichtigung anderer attischer Redner, p. 4 vim conclusivam primitivam particulae γάρ fuisse.

omissum est, aliqua re comprobare conatur; cf. supra p. 152 (Ant. V 37 in., quo loco γάρ esse confirmativum Wetzell p. 37 iniuria statuit, Lys. I 35, III 36, Xen. An. I 6, 8). quibus locis sublatis pauci tantum restant, quibus scriptorem de ipsa vi causali particulae γάρ iam non cogitasse constat. et in antiquioribus quidem Atticis sola fere locutio ἐγὼ γὰρ οἶμαι multum variata huc numeranda est, quae responsi locum obtinet. prima eius exempla sunt Ant. V 57 οἶμαι μὲν γὰρ οὐδένα et And. I 129 οἶμαι γὰρ ἔγωγε οὐδένα οὕτως ἀγαθὸν εἶναι λογίζεσθαι, ὅστις ἐξευρήσει τοὔνομα αὐτοῦ; postea ea legitur Lys. IIII 7, XXVI 7, Dem. XIIII 12, XXI 158. cuius generis exempla omnia talia sunt, ut rationem causalem inter responsum et interrogationem praegressam intercedentem non reperias, nisi enuntiatum aliquod cogitatione extrinsecus inducas. apud scriptores autem aetatis inferioris hic usus iam latius patet, cf. Xen. Comm. IIII 2, 6 initio orationis, Plat. Conv. 214 b καὶ γὰρ σύ, Euthyd. 298 c μὴ γάρ in responsis. atque eam potissimum consuetudinem tum exstitisse animadverti, ut, qui responderet, si interrogationis verbum gravissimum repeteret, ad hoc responsum adponeret γάρ saepe cum οὖν coniunctum, cf. Xen. Oec. XVIIII 1 ἔστι γὰρ οὖν, Comm. IIII 6, 14 φημὶ γὰρ οὖν, Cyr. V 5, 16 ἦλθες γὰρ οὖν, Plat. de rep. IIII 445 b γελοῖον γάρ, Theaet. 187 e φαμὲν γὰρ δή; quo in numero formula quoque οὐ γὰρ οὖν aliquo iure haberi potest, cf. Xen. Comm. IIII 6, 3, Plat. Euthyphr. 2 b.

Quodsi omnia, quae hucusque disputavimus, complectimur, id quidem nobis constat usum confirmativum particulae γάρ paucis locis certae condicionis contineri eumque superiore aetate rarum ac multo rariorem, quam plerique statuerunt, fuisse. velut inter omnia huius usus exempla Thucydidia, quae Saeve p. 6 enumeravit, — sunt autem plus centum — ne unum quidem iure huc referri potest.

4.

Supersunt particulae coniunctae ἀλλὰ γάρ, de quibus sententiae non minus discrepant quam de γάρ confirmativo universo. sunt enim, qui etiam hic γάρ mere causale esse adfirment, veluti Krueger Thuc. II 260, Gebauer in ed. Lysiae p. 491, Ljungdahl p. 39, Schneider in ed. Isocr. I 91. atque ut aliquam veri speciem opinioni suae adiciant, ad tam artificiosas violentasque ellipses confugere coguntur, ut, si eas omnino ad interpretandum adhibere liceat, hoc modo quidvis possis demonstrare. veluti Gebauer in ed. Lys. p. 491 talia supplet: *aber dem ist nicht so: denn, aber nichts weiter davon: denn, aber damit hat es keine Gefahr: denn, allein damit kann ich noch nicht schliessen: denn auch Folgendes gehört hieher.* at ut largiamur priores illas sententias omitti et suppleri posse,[1]) hanc extremam mente intellegi posse quis quaeso concedat? qua de causa ut consentio coniunctionem ἀλλὰ γάρ per

[1]) Id quod Gebauer ad Lys. XXV 17 probare studet, cum haec dicit: γάρ *motiviert den Abbruch, nicht eigentlich einen zu ergänzenden Zwischengedanken, dessen Supplierung nur für unser Denken das Verständnis der begründenden Partikel nach der adversativen fördert.*

transgressionem inde ortam esse, quod post ἀλλά enuntiatum, in quo alterum locum γάρ obtinebat, collocabatur enuntiatumque, quod particulae ἀλλά adiungendum erat, omittebatur, si facile sua quasi sponte neque ullo negotio suppleri poterat, veluti Xen. Cyr. II 1, 13, ita eo ipso, quod γάρ continuo post ἀλλά inserebatur, elucere causalem eius vim iam non perspectam esse persuasum habeo; quam ob rem explicationem Broschmanni (p. 59), qui compluribus locis verbis, quae enuntiatum ab ἀλλὰ γάρ incipiens secuntur, id enuntiatum contineri contendit, quod ad ἀλλά referendum sit, nullo pacto ferri posse arbitror, praesertim si in initio eius alia coniunctio legitur, veluti Her. III 152.[1])

Sed ut iam in usum ipsum particularum ἀλλὰ γάρ accuratius inquiramus, scriptoribus dialecti Ionicae is non erat ignotus. nam in scriptis Hippocrateis aliquotiens eas inveniri Kuehlewein, observationes de usu particularum in libris Hippocrateis p. 44 testatur; et Herodotus, apud quem eundem particulae illae alio verbo interposito leguntur (cf. VII 158 ἀλλ' εὖ γάρ, VIIII 27 ἀλλ' οὐ γάρ), quam fortasse formam primitivam eius conformationis fuisse supra ostendimus, iam satis saepe eis usus est, veluti II 139, VIIII 113.

Diversam rationem antiquissimi scriptores Attici sequebantur, quippe qui illud ἀλλὰ γάρ vitasse videantur, quod tum quidem magis sermonis vulgaris quam culti fuisse suspicor. legitur enim tantummodo Gorg. Pal. 32 et Ant. V 62 et ex omnibus Thucydidis libris unus locus adferri potest VI 77, 1, ubi particulae ἀλλά et γάρ vocula οὐ disiunguntur. in libello de Atheniensium re publica et Andocidis orationibus II. et III. ne unum quidem eius rei exemplum legitur. sed in prima Andocidis oratione, quam maxime a polito elegantique Atticorum dicendi genere recedere, quia tum Andocides ab exilio quindecim fere annorum modo Athenas reverterat, magis magisque mihi persuadeo, VIIII locis ἀλλὰ γάρ legitur: §§ 22, 23, 72, 101, 103, 124, 128, 130, 132, quo accedit [IIII] 37, quorum inprimis ii, qui exstant §§ 72 et 124, causalem interpretationem non admittunt. neque inutile est aliam orationem, [Lys.] VI κατ' Ἀνδοκίδου, cum hac comparare eodem tempore habitam, quam qui scripsit, eadem qua antiquiores consuetudine utitur. in ea enim numquam γάρ continuo iuxta ἀλλά est collocatum, sed semper hae particulae uno verbo interiecto disiunguntur: 40 ἀλλὰ Λακεδαιμόνιοι γάρ, 48 ἀλλὰ πλουτῶν γάρ, 50 ἀλλ' ἐστὲ γάρ.

Sed mox haec plane mutata sunt. etenim postquam Lysias, qui cum Andocide primus Atticorum hanc conformationem frequentius adhibuit, eam in loquendi genus, quod erat in orationibus, induxit, Isocrates eam ad varias figuras construendas adhibere consuevit, de quibus praeter Gebauerum disputavit Ljungdahl pp. 57, 59, 65. atque in dies etiam magis ei favebat,[2]) ita

---

[1]) Ceterum cf. Gebauerum in ed. Lys. p. 491 sq., qui, quibus consiliis oratores Attici his voculis coniunctis usi sint, exponit inde a p. 486.

[2]) Cf. quae dicit Fuhr Mus. Rhen. XXXIII 334: ἀλλὰ γάρ *liebt Isocrates sehr, besonders in den späteren Reden.*

quidem ut nonnullis eius orationum locis ἀλλὰ γάρ particulam μέν excipiat, cf. V 35. atque ex eo tempore ἀλλὰ γάρ iam in usu permansit plurimique loci testimonio sunt, quanto opere has voculas consociatas adamaverint scriptores Attici; cf. Xen. An. III 2, 25; 26; 32, Plat. Apol. 19 c, d, 20 c.

IIII.

Iam postquam de ἀλλὰ γάρ egimus, alteram eius modi conformationem examinemus, dico καὶ (οὐδὲ) γάρ. ceterum particula γάρ cum aliis quoque eius generis voculis coniungebatur, veluti legimus γὰρ οὖν, γὰρ δή, γάρ τοι, γάρ γε. atque de γὰρ οὖν et γὰρ δή infra exponemus; ceteras, quae nihil, quod memoratu dignum sit, praebent, omittere placet.

Duo quae sunt genera usus particularum καὶ (οὐδὲ) γάρ tam plana sunt, ut, si sola apud antiquos invenirentur, non haberemus, quod de ea re verba faceremus. nam καί (οὐδέ) aut vim adverbialem habet *(auch, sogar, nicht einmal)* aut alterum καί ei respondet. sed sunt loci, ad quos neutra quadret explicandi ratio, sed quibus καὶ (οὐδὲ) γάρ a simplici (οὐ) γάρ vix diversum esse videatur, cf. Kratz Zeitschr. f. Gymn. XX 599 sqq., Kuehner p. 855, adn. 2. hunc usum, ex quo tempore primum in scriptis Atticorum invenitur, persequi operae pretium est. namque non iam ab initio eum valuisse per se patet. sed si scriptores perscrutabimur, cavendum erit, ne ad hunc usum eos locos referamus, quibus, quamquam ea res hunc vel illum grammaticum fugit, et καί (οὐδέ) et γάρ suam utrumque vim servavit.[1]) etenim ut locos per se dilucidos, in quibus plerumque gradatio inest, praeteream, si quid scriptor similitudine alius cuiusdam rei comprobat (Thuc. I 40, 5) aut causae veritatem premit (*auch wirklich* Thuc. III 108, 2) aut si ad causam iam commemoratam addit aliam, quod etiam in argumenta ex contrario petita cadere solet, quae ob eam rem saepius particulis καὶ γάρ inducuntur (v. Gebaueri libri p. 88 sq.), ea omnia vocula καί significantur. quibus praemissis rectius de singulis locis iudicabimus.

Si in Herodoti usum inquirere volumus, optime proficiscemur a libello Broschmanni, qui p. 52 sqq. locos, qui huc pertinent, enumeravit et in duo genera distribuit ita, ut examinaret, utrum καί vim propriam servasset necne. tribus tantum ille locis καί cum γάρ quasi coaluisse animadvertit VI 77, VII 9, 223. ego vero ne id quidem concedere possum, cum mihi quidem locos illos

---

[1]) Luculentum, quanta opus sit in ea re cautione, exemplum adferam. si quis Xen. Ages. II 15 legerit καὶ γὰρ ἦν ἤδη ὀψέ, facile καὶ γάρ pro simplici γάρ usurpatum esse opinari possit; sed comparato Thucydidis loco simillimo VIII 61, 3 ἤδη γὰρ καὶ ὀψὲ ἦν quis dubitet, quin utroque loco particula καί significetur ad causam in rerum condicione ipsa positam id quoque accessisse, ut iam serum diei esset?

perscrutato constet et in eis adverbialem vim particulae καί subesse.[1]) neque vero eadem ratione omnes ii loci expediri possunt, quibus καὶ γὰρ (δὴ) καί legitur. cum enim in quibusdam utrumque καί (οὐδέ) per se valeat,[2]) quae res Broschmannum fugit, permultos tamen esse locos negari non potest, ubi utrumque καί per se explicari prorsus non possit. cuius generis sunt VII 236, VIII 25; cf. Broschmann p. 53. sed talibus locis, quibus solis, ut demonstrasse mihi videor, καί ante γάρ supervacaneum haberi possit, Herodotum non tam καὶ γάρ quasi simplicem coniunctionem accepisse quam prius καί cum altero mente coniunxisse arbitror, qua particula iterata enuntiati vim augeret. non enim καί ita, ut non utrumque propriam habeat vim, ab Herodoto duplicatur, nisi si idem quod *etiam* significat, quod per se ipsum gradationem efficiens hanc vim illo modo exaggerari facile, ut ita dicam, patitur. nusquam vero καὶ γὰρ καί apud Herodotum nihil aliud est quam *namque et (— et)*, id quod, si καὶ γάρ coniunctio causalis esset et alterum καί solum propriam vim haberet, item commode itemque saepe fieri potuit. quos autem locos fortasse Broschmann nobis opponet, dico I 163 et VI 108, eos supra alio modo interpretati sumus. accedit, quod Herodotus, ubicumque καὶ γὰρ καί ita usurpavit, ut particulis *namque etiam* reddendum esse videatur, δή inseruit, qua re eum non de coniunctis particulis καὶ γάρ sed καὶ δὴ καί cogitasse manifestum fit.

Thucydidios autem locos, quos considerare nostra interest, Saeve p. 9 sqq. cum satis magna diligentia congessit, sed non bene digessit. nam et hic, quod supra monuimus, multos locos iniuria eis adnumeravit, quibus καὶ γάρ similiter atque *etenim* unam causae significationem habere statuit. ceterum etiam praeter locos istos, quos collectos exhibuit litteris *a)* et *d)* significatos, alios falso tractavit. velut IIII 98, 6 eis locis adnumeravit, quibus particulae καί particula copulativa respondet (τὲ): ego rectius, nisi fallor, hoc καί ita explicandum esse puto, ut similitudo eorum, qui belli turbulentis tempestatibus iactati temere agant (οἱ ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσαντες), et qui inviti tale quid faciant, osten-

---

[1]) VI 77 sententia haec est: ***Argivi non proelium pertimescebant, sed malam fraudem cum per se ipsam tum quia illud oraculum editum erat;*** VII 9 in. argumentum ex contrario est, de quo genere supra exposuimus; 223 voce καί dicitur mandatum ipsi facto par fuisse.

[2]) VI 108 priore καί significatur, praeterquam quod Plataeenses in eo tempore Atheniensibus auxilio venire consentaneum fuerit, alias adfuisse causas, quae deinde duplici καί inter se iunguntur. I 163 altero καί, sicut opes subministratae non parcae fuissent, ita etiam ambitum muri non paucorum fuisse stadiorum Herodotus dicere voluit; alteri καί in eis, quae secuntur, τοῦτο δέ respondere recte Stein et Broschmann viderunt. II 107 duplex καί suum habet locum: quod etiam uxor eius aderat *(auch)* praeter exspectationem *(sogar)*, quia antea eam invitatam esse dictum non erat (αὐτὸν καλέσαντα καὶ πρὸς αὐτῷ τοὺς παῖδας). IIII 16 priore οὐδέ declaratur Aristeam quoque ipsum sicuti ceteros hanc terram non vidisse, altero οὐδέ gradatio indicatur (οὐδὲ γὰρ οὐδέ *denn auch nicht einmal)*, quia de Aristea magis illud quam de ceteris exspectari poterat. quae interpretatio, qua utrique οὐδέ sua tribuitur vis, eo quoque confirmari mihi videtur, quod mox tertium οὐδέ sequitur.

datur, quorum utrisque a diis certe facinorum veniam dari. verum talia, quia minoris ad nostram disputationem momenti sunt, neglegere licet; contra accurate eos locos examinemus, quibus καὶ γάρ *etenim* significare Saeve contendit. ex eis igitur locis, quos sub littera *a)* congestos proposuit, cum eis locis, quibus post καὶ γάρ altera coniunctio copulativa posita invenitur, adferendi erant sub litt. *c)* hi: I 136, 4 (καὶ γὰρ — καὶ ἅμα), III 112, 4, IIII 85, 6, quem locum utrumque etiam ipse Saeve sub *c)* iterum protulit; ceteris locis particulae καί vis adverbialis subest.[1]) omnibus ergo locis examinatis pro certo adfirmare licet numquam Thucydidem voculas καὶ γάρ coniunctas, quasi essent una particula causalis, neglecta vi particulae καί usurpavisse, quod iam Classen divinasse videtur; v. adn. crit. ad III 54. neque haec sententia inrita fit, si in voculis καὶ γὰρ καί (Saeve § 1, *d)* eum non eandem rationem secutum esse inveniemus. in qua conformatione quamquam nonnusquam utrumque καί propriam

---

[1]) Quae nullo paene negotio his locis intellegitur: I 75, 2 (ubi καί referendum est ad ἐλάβομεν οὐ βιασάμενοι), 4 (recte Classen: *denn sonst würden sogar*), 92 *(sicut iram non prae se tulerunt, ita etiam omnino se Athenienses impedire voluisse dissimulaverunt)*, II 4, 2; 61, 1, III 54, 4 (quo loco non cum Classeno ita interpretari velim καί, ut ei τὲ, quod post εἰ legitur, respondeat, sed referendum esse censeo ad participium ὄντες ita, ut vim eius concessivam urgueat), 108, 2 (quod exemplum iam supra protulimus), VI 102, 3; 103, 3, VII 11, 3; 42, 4 (οὐδέ *nicht einmal* cum ὑπομεῖναι continuo sequenti coniungendum est), 6 (Cl.: 43, 1), 48, 3, VIII 8, 4 (καί ad ἐκ τοῦ προφανοῦς spectat), 65, 2 (referendum est καί ad ea, quae continuo secuntur). sed his locis ratio, quae inter καί et loci sententiam intercedit, paulo obscurior est, quae res in Thucydide sane non mira videbitur: I 73, 2 orator res bello Persico gestas sibi commemorandas esse dicit, quia scilicet Atheniensibus id nunc utile futurum esse sperat. quam sententiam non expresse addit, sed eo demonstrat, quod etiam tum, cum res illas perfecerint, ea re salus allata sit universae Graeciae. hoc modo, si contrariam illam sententiam eum respexisse ponimus, id quoque optime explicatur, quod verbis a re ipsa aliquantulum alienis (ὅτε ἐδρῶμεν et ἐπ' ὠφελίᾳ) usus est pro simplici τότε et planiore locutione ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Ἑλλάδος. 141, 6 καί mihi non, ut Kratzio explicatione carere videtur; etenim Peloponnesii inferiores sunt nec quicquam ad finem perducere possunt, cum non unius imperio coerceantur, sed omnes simul, qui ne gentis quidem unius sunt, dominentur et rem gerant. alterum accedit argumentum, quod alius aliud spectat et persequitur *(denn zudem)*. IIII 126, 4 non adsentior Classeno, qui cum Torstrickio τολμηρότερον reprehendentis esse arbitratur; ego enim ut nescio, num ducis copias breviter cohortantis sit memorare audaciam nonnumquam esse perniciosam, ita dubito, utrum meliore cum eventu pugnetur, si milites edocti de virtute hostium (nam ea hoc loco sine dubio verbo ἀγαθόν significatur) cautius rem gerunt, an, si eius rei ignari quadam temeritate acrique impetu in hostes invehuntur. his aliisque de causis, quas enumerare longum est, Brasidam duobus membris contrariis, quorum in extrema parte similitudine (ἐθάρσυνε μᾶλλον — τολμηρότερον προσφέροιτο) similis interpretatio commendatur, exposuisse puto, quando utile, quando inutile esset copias de hostibus edocere. particula autem καί in priore membro, quam Classen item perperam intellexit, per transgressionem ad participium concessivum τῷ ὄντι ἀσθενῇ ὄντα referenda est. his locis unum ipse adicio difficiliorem, quem Saeve cum aliis, qui quidem planiores sunt, praeteriit, dico IIII 114, 3. Brasidas cum iniustum esse denuntiat eos, qui suas partes sequantur, in perfidorum civium numero habere, unicam etiam simul rationem talis existimationis tollit.

vim servavit (*namque etiam et — et* IIII 83, 3), tamen pluribus locis respondet Latino *namque etiam* (IIII 108, 4, V 7, 5 καὶ γὰρ οὐδέ, VIII 64, 4), numquam vero Latino *namque et — et*. unde sicuti apud Herodotum elucere videtur καί non cum γάρ, sed cum altero καί esse coniungendum, praesertim cum verba καί τι καί, quibus Thucydides γάρ saepe interposuit (IIII 31, 2, VI 61, 2 τὶς, 103, 4 τινὰ), apud eum etiam γάρ non adiecto ita, ut eadem eorum sit significatio, legantur, cf. I 107, 6.

Nullo igitur loco librorum Herodoti aut Thucydidis particulis καὶ γάρ simplex causalis vis tribuenda est, ceterique illius aetatis scriptores intra eosdem fines eius usus se continuerunt. nam de tribus locis, quos in declamationibus Gorgiae repperi, Pal. 18 καί aperte adverbialem vim *etiam* habet (similiter 6 οὐδὲ ⟨γάρ⟩), Pal. 29 et 32 καὶ γὰρ οὐδέ legitur, quod etiam Thucydides habet (V 7, 5) et posteriores (Isocr. XV 9); apud Herodotum potius οὐδὲ γὰρ οὐδέ invenire consuevimus. et quidem illo loco (Pal. 29) utraque vox per se valet, et καί, quo accusator eis adnumeratur *(auch)*, qui nihil, quod verum esset, Palamedi crimini dederunt, et οὐδέ, quo gradatio indicatur *(nicht einmal)*; hoc (Pal. 32) καί et οὐδέ coniungenda sunt ita, ut una efficiatur notio maiore vi exornata.

Antiphontem quinque locis scripsisse καὶ γάρ, tribus οὐδὲ γάρ repperi: I 25 huic καί alterum respondet, IIII γ 5, V 58, 81, fortasse etiam in fr. XV 49 adverbialis vis particulae καί statuenda est; deinde tribus locis legimus οὐδὲ γάρ: II a 7 οὔτε, quod in codicibus est, restituendum esse mihi videtur, III γ 2 voce οὐδέ significatur causam esse unam de pluribus, V 57 *(quippe ne ulla quidem simultas inter me et illum erat)*.

In libello de Atheniensium re publica haec conformatio uno tantum loco legitur I 2, ubi eam quater καί sequitur.

Nec multo saepius quam ceteri Attici antiquiores Andocides καὶ γάρ exhibet; nam in II. oratione non legitur: exstat in I. §§ [29,] 101, 119, 142, 143, in III. § 21; denique [IIII] 34 voculis καὶ γάρ in eis, quae secuntur, καί respondet. manifesto autem adverbialis significatio conspicitur I 101, 142, 143; deinde I 29 et III 21, quos locos aliis quoque de causis corruptos esse vidimus, ita restituere conati sumus, ut illic coniunctio καὶ γάρ seiungendo omnino tolleretur, hic eis particulis significatio *namque etiam* redderetur. eadem coniunctionis vis I 119 cognoscitur, dum modo sententiarum contextus bene intellegatur. Andocides Leagro persuadere studet, ut alteram filiam avunculi mortui in matrimonium ducat; quia vero Leagrum huic consilio non valde favere bene scit, hoc non extemplo profitetur, sed magna cum sollertia viam sibi praemunit. haec igitur dicit: *aequum non est nos has aspernatos alias uxores habere*, simulque cogitat: *immo has ipsas ducamus uxores necesse est; idem enim etiam faceremus easque habere nostrum esse putaremus, si condicio earum minus tristis esset.*

Ex eis, quae hactenus disseruimus, satis puto adparet primo coniunctionem καὶ γάρ usque in Andocidis tempora, sicut natura fert, ita esse usurpatam, ut utrique particulae sua vis magis minusve perspicue tribueretur. quia vero iam tum, si alterum καί accedebat, saepe, ut vidimus, unum καί supervacaneum videbatur, facile fieri potuit, ut vulgo καί ante γάρ positum non, ut debebat, cum altero καί mente coniungeretur, sed καὶ γάρ pro γάρ dictum esse et alterum modo καί propriam vim habere putaretur. hoc modo, qui factum sit, ut postea καὶ γάρ quasi una coniunctio causalis adhiberetur, rectius explicasse mihi videor, quam Kratz et Kuehner.[1]) ita etiam aliquanto melius intellegemus, cur haec coniunctionis καὶ γάρ significatio etiam eo, quod continuo sequebatur, tempore admodum fuerit rara et multo rarior per omne tempus quam utraque significatio, quae coniunctioni illi re vera convenit.

Oratores Attici ubi καὶ γάρ ita usurpabant, ut vis particulae καί fere evanesceret, τοί adponere solebant, velut Lys. XXVII 10 (ubi verbis, quibus dicit, qua ratione sola commotus sententiam antecedentem enuntiaverit, magno cum pondere repetit, quae paulo ante locutus erat), Dem. VIII 66, XXIII 200. sed etiam eis locis καὶ γάρ τοι legitur, quibus καί suam vim servavit, cf. Dem. XVIIII 56. uno verbo commemorandum est particulas καὶ γάρ τοι illo tempore ab Isocrate potissimum praepositas esse enuntiatis, quibus haud dubie consequentia continetur, id quod Isocr. VII 35 et 69 subiectis verbis διὰ τὴν γνώμην ταύτην praecipue manifestum est; cf. X 37, Lys. XXX 4, Dem. IIII 6. hanc dicendi consuetudinem Schneider in ed. Isocr. I 86 ita explanat, ut ante talia enuntiata sententiam esse supplendam contendat, velut *das ist aus den Folgen ersichtlich;*[2]) ego vero de eius modi supplementis dubitans potius credam similitudinem, quae coniunctioni καὶ γάρ τοι est cum particula conclusiva τοιγάρτοι, in causa fuisse, cur illa huius locum interdum occuparet, et Isocrati, artifici illi dicendi, quippe cui syllaba τοι iterata videri posset molesta, καὶ γάρ τοι magis adrisisse. ad huius fortasse exemplum postea etiam καὶ γὰρ οὖν vim conclusivae particulae τοιγαροῦν accepit, velut Xen. An. I 9, 8; 12.

---

[1]) Kratz Zeitschr. f. Gymn. XX 602 haec dicit: *Das einfache γάρ gebraucht der Grieche zur Begründung oder Erklärung eines anderen Satzes oder Gedankens; aber dieser durch γάρ eingeführte Begründungssatz trägt seine Bedeutung nicht in sich selbst, sondern ist nur da um des zu begründenden willen, ohne welchen er nicht wäre, und welchem er zwar nicht äusserlich der grammatischen Structur nach, wohl aber logisch untergeordnet ist. Es kann aber das Bedürfnis eintreten, einen solchen Satz, auch wenn er zunächst begründender oder erklärender Natur ist, doch auch zugleich als etwas an und für sich selbst Bestehendes hinzustellen; zum Ausdruck dieser selbständigen Bedeutung nun bedient sich die Sprache der einfach zufügenden oder beiordnenden Partikel neben der begründenden.* similiter rem illustrat Kuehner p. 855.

[2]) Sic Frohberger Lysiae XXX 4 hanc sententiam obtrusit: *Es ist schlimm, dass er nicht zur Rechenschaft gezogen wurde; denn auch jetzt ist er, durch seine Straflosigkeit dreist gemacht, in den alten Weg eingelenkt.*

Sed iam ea aetate ii, qui minorem orationi perpoliendae operam dabant, καὶ γάρ maiore cum libertate usi sunt, ita ut non multum a simplici γάρ distaret, cf. Xen. An. I 1, 6; 8, 21, II 6, 2, Comm. I 2, 31 οὐδὲ γάρ. et quanto opere καὶ γάρ frequentare veriti non sint, optime cognoscitur e Xen. An. VI 6, 13 sqq., quo loco intra breve spatium ter legitur. de posterioribus scriptoribus conferas, quae disputavit W. Schmid, der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dion. Hal. bis auf den zweiten Philostratus p. 65.

V.

Particulam γάρ inter frequentissimas esse particulas adparet, si cuiuslibet scriptoris librum evolvas. at tamen etiam in hac re scriptores inter se aliquantulum discrepant, qua de causa, ut haec quoque illustretur, ratio flagitare videtur.

Etenim Herodotus omnium maxime hanc coniunctionem frequentavit, qua, si Broschmanno (p. 5) fidem habemus, saepius quam milies sescenties usus est. id maxime eo efficitur, quod parataxim, quam vocant, anteponebat hypotaxi.

Hanc ubertatem Thucydides imitatus non est, quamquam sunt loci, ubi sane particulae frequentiam mireris, veluti VII 27, 2—4. neque minus scriptores, qui aetate ei proximi sunt, particulae γάρ quodam modo favebant. nam Gorgias eam in XXI sectionibus Helenae XVIIII locis, in XXXVII sectionibus Palamedis LVI locis posuit.[1]) de Antiphonte simile testatur Wiedenhofer, progr. Vindob. 1884, p. 26. quod verum esse confirmatur locis II α 4 et V 86 sq., quorum utroque intra octo versus editionis Teubnerianae γάρ quinquies legitur. item Andocides ut satis saepe hac particula usus est, ita multis locis eam adeo cumulavit, cf. I 19, 128 sqq., III 21.

Quod autem in titulis eiusdem temporis γάρ aut particulae conclusivae omnino non reperiuntur, id ex eorum dicendi genere mihi videtur explicandum esse. nam eorum erat tantum ipsas res posteris tradere nulla ratione, qua de causa eae factae essent, habita; ac si forte ratio habebatur, enuntiatum secundarium ab ἐπειδή vel ὅτι incipiens praemittebatur.

Sed Lysias dedita opera crebrum illum particulae γάρ usum imminuit ita, ut XXXI 4 sq., ubi quater γάρ legitur in oratione quidem, quae quanto opere discederet a consuetudine Lysiae, Blass I² 485 exposuit, locus singularis sit in genuinis Lysiae orationibus. et quam legem Lysias observaverat, eam disertis verbis Isocrates in fr. II 6 promulgavit τοὺς συνδέσμους τοὺς αὐτοὺς μὴ σύνεγγυς τιθέναι. nihilo minus ipsi excidit locus ille V 141, ubi tria deinceps

---

1) Cf. quae Rosenberg ann. phil. CIII 442 dicit: *In der Helena herrscht eine grosse Partikelarmuth...; im Palamedes dagegen machen wir die entgegengesetzte Beobachtung.*

enuntiata eaque brevia a particula γάρ incipiunt, similisque VII 34 sq., quales loci ipsa paucitate excusantur.

Sed eiusdem aetatis scriptores, qui non ita orationis elegantiae studebant, minime operam dabant, ne γάρ nimis saepe posito aures audientium offenderent. talem profecto locum, qualem legimus apud Platonem Apol. 39 e sq., quo in quinque continuis enuntiatis parvis γάρ quinquies exstat, numquam Isocratem eiusque sectatores scribere ausos esse pro certo adfirmari potest.

VI.

Huic loco extremo reservavi disquisitionem de sede, quam γάρ obtinere solet. qua in re per omnem illam aetatem, quam examinandam mihi proposui, nihil fere immutatum est. nam semper propriam huius particulae sedem alterum fuisse locum enuntiati satis constat; nec minus exploratum est particulam γάρ, si cum μέν vel τὲ concurrat, eis suo loco cedere. sed quando praeterea γάρ tertio loco positum sit, ut dicam, mihi relinquitur, quia nemodum, quod quidem ego video, de hac re accurate exposuit.

Ac primum et ad perspiciendum difficillimum est investigare, qui usus scriptorum fuerit, si primum locum enuntiati praepositio habebat. ego quidem omnibus locis Gorgiae Antiphontis Thucydidis Andocidis libelli de re publica Atheniensium collatis et plerisque Herodoti Lysiae reliquorum respectis haec observavi: si verbum, quod de praepositione pendet, cum articulo coniunctum est, particula γάρ constanter alterum enuntiati locum tenet, nisi forte μέν vel τὲ praepositionem continuo sequitur. quae hac consuetudine adparet cohaerentia articuli nominisque, tanta est, ut paucis locis, qui eam legem non secuntur, γάρ demum post nomen collocatum sit, numquam post articulum, cf. Her. I 194 ἀνὰ τὸν ποταμὸν γάρ *stromaufwärts,* VIIII 49 ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ γάρ, Ant. III δ 2 ἐκ τῶν λεγομένων γάρ, Lys. XXIII 13.

Sin e praepositione nomen nudum est aptum, magis in libidine scriptoris positum est, utrum hoc verbum an γάρ antecedat. sed eam certe quasi normam sibi proposuisse videntur scriptores, ut, si quod pronomen de praepositione penderet, γάρ postponerent, veluti Thuc. III 39, 3; 57, 3; 101, 1, IIII 3, 2; 29, 3, VII 62, 4, VIII 98, 3, Gorg. Pal. 36. quod quidem non semper observatum est, cf. Her. III 102 κατὰ γὰρ τοῦτο, contra IIII 86 nullo sensus discrimine legitur κατὰ τοῦτο γάρ; Thuc. II 35, 2 μέχρι γὰρ τοῦδε, IIII 50, 3 κατὰ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον, VIII 63, 3 ὑπὸ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον, quos duos locos ad exemplum eorum, quibus continuo post γάρ articulus positus est, conformatos esse patet, contra cf. VIII 90, 4 ἐπ' αὐτὸν γὰρ τὸν . . .; Antiphon in tetralogiis II α 10 ἐκ γὰρ τούτων, γ 8 περὶ γὰρ αὐτῆς τῆς εὐδαιμονίας, IIII γ 4 ἐκ γὰρ ὧν, praeter quos locos duo tantum huc pertinentes in tetralogiis exstant II β 2 εἰς τοῦτο γὰρ βαρυδαιμονίας et III γ 5 εἰς τοῦτο γὰρ τόλμης καὶ ἀναιδείας; Lys. XXII 10 περὶ γὰρ

ὧν, XXVI 4 διὰ γὰρ ταῦτα, sed XXIIII 23 διὰ τί γάρ. contra si μέν vel τὲ addebatur, quas particulas continuo ante γάρ collocare consueverant, γάρ praeponebant illi, quodcumque erat, nomini, ne in locum quartum removeretur; tamen Thucydides id ipsum admisit I 124, 2 ἐκ πολέμου μὲν γάρ, V 7, 3 ἐς μάχην μὲν γάρ, quibus substantivis utroque loco alterum membrum simile oppositum est; ex Ant. I 6 ἐν οἷς μὲν γάρ, V 22 ἐν ᾧ μὲν γάρ, Lys. VII 37 περὶ ἐμοῦ μὲν γάρ intellegitur pluris interfuisse pronomen personale et relativum continuo post praepositionem quam γάρ ante locum enuntiati quartum ponere; sed Ant. IIβ 3 legitur ἔκ τε γὰρ αὐτοῦ τοῦ ἔργου. accedit, quod in locis illis Antiphonteis alterum membrum sequitur pariter institutum.

Praeter istos locos si praepositionem nomen sine articulo sequebatur, quocum nihil artius erat coniunctum, nomen alteram enuntiati sedem occupavit, particula γάρ tertiam:[1]) discrepat unus locus Thuc. VII 44, 6 ἀπὸ γὰρ ἀμφοτέρων. verum si adtributum vel aliud adpositum substantivum accedebat, γάρ plerumque altero loco collocabatur.[2]) quae regula cum in libello de Ath. rep. III 10 ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ πόλει tum pluries a Thucydide neglecta est aut ad vim verbi praemissi augendam aut sine ulla causa dilucida, cf. II 44, 1 ἐν πολυτρόποις γὰρ ξυμφοραῖς, II 52, 4 ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα (particula γάρ substantivo νόμον postpositum est, ut δή, quod ad νόμον referendum est, iuxta γάρ, ut solebat, locum haberet), IIII 12, 3 ἐπὶ πολὺ γὰρ — τῆς δόξης (dictum ex similitudine eorum locorum, quibus adiectivum solum e praepositione aptum adverbialem vim nanciscitur), V 66, 2 διὰ βραχείας γὰρ μελλήσεως, VI 48 ἐν πόρῳ γὰρ μάλιστα καὶ προσβολῇ, 87, 4 ἐν παντὶ γὰρ πᾶς χωρίῳ (quod inde natum esse videtur, ne vox παντί continuo voce πᾶς exciperetur).

Sed si iam eos locos mittimus, quibus praepositio antecedit et quibus particula μέν vel τὲ adiecta est, pauci supersunt, ubi γάρ tertium locum obtinet. ac plerique eius generis apud Thucydidem exstant, qui omnino maxima inter scriptores prosaicos libertate in vocula γάρ collocanda usus est. cum vero VI 77, 1 ἀλλ' οὐ γάρ, de quo supra disseruimus, et I 81, 4 εἰ μὴ γάρ *(nisi)* et III 58, 2 οὐκ ἐχθροὺς γάρ, ubi consilio quodam ἐχθρούς ab obiecto ἡμᾶς seiunxit eoque gravius alteri adiectivo εὔνους opponere voluit, γάρ tertio loco positum minus mirum sit, plus insoliti habent hi loci: I 77, 1 καὶ ἐλασσούμενοι γάρ et VIII 109, 1 καὶ ἐνταῦθα γάρ, ubi particulae καὶ γάρ verbo interposito dirimuntur;

---

[1]) Quo in genere inprimis locutiones illae numerandae sunt, quales sunt ἐν ἴσῳ γάρ Thuc. II 61, 4, κατ' ὀλίγον γάρ Thuc. IIII 10, 4, ἐξ ἐναντίας γάρ Thuc. IIII 33, 1, ἐν καιρῷ γάρ Thuc. V 61, 2, καθ' ἕκαστον γάρ Thuc. V 85, ἐπ' ἀμφότερα γάρ Thuc. VI 60, 2, δι' ἐλάσσονος γάρ Thuc. VII 4, 4, ἐξ ἀρχῆς γάρ Ant. VI 20, And. I 34.

[2]) Thuc. I 2, 4 διὰ γὰρ ἀρετὴν γῆς, II 15, 1 ἐπὶ γὰρ Κέκροπος καὶ τῶν πρώτων βασιλέων, II 102, 2 ἐς γὰρ Οἰνιάδας ἀεί ποτε πολεμίους ὄντας μόνους Ἀκαρνάνων, IIII 39, 3 ἐντὸς γὰρ εἴκοσιν ἡμερῶν, VI 20, 2 ἐπὶ γὰρ πόλεις, ὡς ἐγὼ ἀκοῇ αἰσθάνομαι, μέλλομεν ἰέναι μεγάλας καὶ οὔθ' ὑπηκόους ἀλλήλων eqs., VII 87, 1 ἐν γὰρ κοίλῳ χωρίῳ ὄντας καὶ ὀλίγῳ.

I 77, 5 τὸ παρὸν γάρ, ubi sine necessitate γάρ contra morem non inter articulum et nomen interponitur (contra I 109, 2 τὸ μὲν γὰρ πρῶτον, 140, 5 τὸ γὰρ βραχύ τι τοῦτο); II 63, 2 ὡς τυραννίδα γάρ. hi quoque loci eo quidem excusantur, quod Thucydides verba particulae γάρ praegressa consociare voluit. vides numerum talium locorum satis parvum esse.

In orationibus Antiphontis haec tantum repperi exempla: V 85 ταὐτὰ γάρ (nisi forte, quod malim, ταῦτα γάρ scribendum est, duae hic voces τά et αὐτά synizesi in unam coagmentantur, cum IIII β 5 legatur τοῖς γὰρ αὐτοῖς); VI 2 ὁ χρόνος γὰρ καὶ ἡ ἐμπειρία (cf. Her. VI 69 τὸν χρόνον γάρ, τοὺς δέκα μῆνας) studium ὁ χρόνος et ἡ ἐμπειρία opponendi adparet, sed quantum in hac re arbitrio scriptoris permissum sit, luce fit clarius, si eundem locum V 14 legimus ita variatum ὁ γὰρ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία; in fr. XVI 57 τὰ πτερὰ γὰρ αὐτῶν τὸ κάλλος ἐστίν, ἀλλ' οὐ τὸ σῶμα satis manifestum est scriptoris consilium.

Andocidis duo sunt loci, qui ad hanc quaestionem pertinent: I 30 δηλονότι γάρ et [IIII] 7. sed quia ex Ant. V 26 δῆλον γὰρ ὅτι, 28 δῆλον γὰρ ὅτι, 35 δῆλον οὖν ὅτι, Plat. Prot. 319 d, de rep. I 331 e intellegitur tantum afuisse, ut Graeci illis temporibus originem genuinamque vim vocabuli δῆλον ὅτι ignorarent, ut id postposita coniunctione separare a ceteris verbis enuntiati vererentur, nescio an illo quoque loco facili emendatione scribamus δῆλον γὰρ ὅτι. altero autem loco traditum est περὶ μὲν οὖν τούτων οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ μακρότερα λέγειν πάντως· οὐδὲν γὰρ ἂν πλεῖον εἰς τὸ παρὸν ποιήσαιμεν, quod A. G. Becker ita convertit: *Ich wüsste indessen nicht, weshalb ich überall weiter hierüber reden sollte* eqs. πάντως ad antecedentia adsumpto et vocabulo *überall* reddito. quod falsum esse nemo non videt. Reiske verba οὐδέν et γάρ sedes suas immutare iussit ita, ut scriberet πάντως γὰρ οὐδέν. sed nihil mutandum esse censeo; cum enim πάντως et οὐδέν artissime cohaereant et alios etsi paucos locos iam protulerim similiter comparatos, non est, cur scripturam codicum πάντως οὐδὲν γάρ relinquamus.

E Lysiae orationibus notavi XII 23 τὸν ἀδελφὸν γάρ μου, XIII 73 ὁ Φρύνιχος γὰρ οὗτος, XXXII 21 οὐκ ἄτοπον γάρ = ἐπιτήδειον γάρ.

Sed in locum etiam remotiorem ab initio γάρ removere tanta sermonis elegantioris incuria habebatur, ut oratores, quam potuerunt maxime, id evitarent. neque ceteri scriptores umquam γάρ quarto enuntiati loco posuerunt nisi necessitate quadam adducti. itaque eis locis, quos supra proposuimus, cum de concursu particulae γάρ et verborum a praepositione dependentium diximus, duos tantum addere possum: Her. II 129 τά τε ἄλλα γάρ, quod minus miros nos habet, cum τά τε ἄλλα una notio sit, cui in eis, quae secuntur, ex solito more καὶ δὴ καί respondet, et [Dem.] LVIIII 55 οὐ πολλῷ χρόνῳ γὰρ ὕστερον.

OYN.

Inter particulas conclusivas creberrima et notissima est οὖν, cuius genuina vis adverbialis, cum etiam apud scriptores prosaicos saepius inveniatur, primum in hac disputatione locum habebit.

I.

Ubicumque vis particulae οὖν haec est, ut nullo modo ad conexum sententiarum pertineat, sed ea ipsum enuntiatum, cui additur, firmius stabiliatur, semper cum alia particula est coniuncta. ii enim loci, quibus οὖν solum hoc sensu positum esse putabatur (cf. Kuehner p. 719 adn.), omnes aliter explicandi sunt.[1])

1.

Supra iam γὰρ οὖν adtigimus, quo Herodotus non raro usus est, praesertim ubi declaravit, unde sciret aliquid (II 127) aut qua re nesciret (I 49, VIII 128, 133). sed scriptores Attici γὰρ οὖν omnino vitaverunt usque in Isocratis tempora, qui cum V 7 ὅπως γὰρ οὖν scripsit, non contra hanc legem fecit, quia ὅπως et οὖν hic copulanda sunt. sed Xenophon et Plato in dialogis sine dubio e sermone vulgari γὰρ οὖν rursus receperunt, veluti Plat. Phil. 32 c, quo saepe numero responsum confirmatur, cf. Xen. Comm. IIII 6, 14 φημὶ γὰρ οὖν, Plat. Lys. 215 b οὐ γὰρ οὖν, atque etiam praeposita particula καί coniunctio conclusiva efficitur (cf. p. 170).

Iidem in responsis μὲν οὖν ad sententiam corroborandam adhibitum (Pl. Theaet. 155 a) frequentabant, quod ante id tempus hoc modo usurpatum non invenitur.

2.

Magis minusve autem apud omnes ἀλλ' οὖν invenitur, apud posteriores quidem oratores crebrius. quod cum post sententiam concessivam, quam verbis disertis exprimi opus non est, poni soleat et idem significet, quod Latinum *at certe*, plerumque γὲ uno verbo interiecto additur, quam rem inprimis antiquiores observaverunt, cf. Her. III 140, quem locum Hoffmann neglexit, Thuc. V 113 in orationis initio, And. II 18 (unicus eius modi est apud eorum quemque locus),[2]) Isocr. IIII 171, Aesch. III 11, Plat. Phaedo 91 b.

---

[1]) Thuc. VIII 91, 3 οὖν...γε eadem ratione dictum est qua alibi γοῦν.

[2]) In libello de re publica Atheniensium et in orationibus Gorgiae Antiphontis Lysiae nullum eius generis exemplum repperi.

rarius duo verba interponuntur,[1]) veluti Isocr. XII 202 ἀλλ' οὖν δι' ἐκεῖνό γε, Dem. VIIII 30 ἀλλ' οὖν ὑπὸ γνησίων γ' ὄντων. nusquam vero ante Isocratem γὲ continuo post ἀλλ' οὖν collocatum est, cf. Isocr. XX 14, Lyc. 141, aut prorsus deest, cf. Isocr. XI 33, Aesch. III 86, qui locus eo quoque insignis est, quod cum licentia quadam Aeschines ἀλλ' οὖν in medium enuntiatum inseruit, cf. Isocr. XV 314 et Dem. XVIIII 249.

3.

Simile est δ' οὖν, quod quamquam omnibus temporibus in usu fuisse mox videbimus, casu quodam orationum Andocidearum nullo loco legitur. iam sicut nonnulli γὰρ οὖν ita explicaverunt, ut particula γάρ argumentatio simulque particula οὖν consequentia indicaretur, cf. Kuehlewein p. 85, Broschmann p. 81, ita fuerunt, qui voce δέ sententiam contrariam significari, voce οὖν aliquid ex eis, quae antecesserunt, deduci opinarentur. quae cum vix concedenda sint, particulae οὖν iuxta δέ adversativum positae vim confirmativam adtribuendam esse plerisque certe locis constare mihi videtur. quod cum ex aliis, tum ex his exemplis elucet: Her. VIIII 48, ubi Stein δ' ὦν nostro *immerhin* illustrat, ego ὦν adverbio *certe* reddere et δ' ὦν non secus fere intellegere velim ac si scriptum sit ἀλλ' ὦν, Ant. V 75, quo uno loco in Antiphontis orationibus δ' οὖν repperi, ὅμως δ' οὖν, Isocr. VII 69; IIII 19, ubi fortasse aequabilitatis causa, quia in priore membro μὲν οὖν scripserat, δ' οὖν usus est, cf. XV 140, Dem. XXI 79. maxime autem haec aucta coniunctionis δ' οὖν vis adversativa cognoscitur, si sententia verbis praegressis adfirmata enuntiato condicionali tollitur, cui δ' οὖν adponitur, cf. Hipp. de nat. hum. 2: εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεε· οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν, ὑπὸ τοῦ ἀλγήσειε ἓν ἐόν· εἰ δ' οὖν καὶ ἀλγήσειε, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον ἓν εἶναι, Lys. VIIII 11, Plat. de rep. I 337 c, et si praemissa sententia universali, quae plura complectitur, unum idque gravissimum expromitur, cf. Her. II 70, IIII 195, Isocr. XV 46.

Ab Herodoto autem, qui inprimis ut alias particulas compositas, ita δ' οὖν frequentavit, ea coniunctio saepius in enuntiatis adhibita est, quae, cum antecedentia obscura vel dubia sint, eo certius proferuntur. quo sententiarum contextu efficitur, ut οὖν declarare videatur: *utcumque haec se habent* (III 115, IIII 180, VII 9γ; cf. Stein ad I 140, 7). atque id tum maxime fit, si duarum opinionum, quae ad eandem rem pertinent, utra verior sit, decerni non potest, res autem ipsa extra omnem dubitationem posita est, veluti II 125, VI 82. tale δ' οὖν si particulam μέν sequitur, alteram plerumque coniunctionem referendam esse ad alteram cum Abichtio (ad VII 9) arbitror. quis enim Hoffmanno, über den Gebrauch der Partikel ὦν bei Herodot p. 5 credat omnibus eius modi locis, nisi forte simplex δέ sequatur, alterum membrum

[1]) Cf. Kuehlewein p. 44.

cum δέ omissum esse, veluti IIII 77, VII 189? cf. censuram libelli Hoffmanniani ab H. Kallenbergio conscriptam Zeitschr. f. Gymn. XXXX Jahresb. p. 322. aetate autem insequenti perraro haec coniunctionis δ' οὖν vis reperitur, veluti Thuc. II 5, 7, Isocr. XII 76, saepius rursus postea; cf. Xen. An. I 2, 12; 3, 5, II 4, 6, quibus exemplis dubium non iam relinquitur, quin δ' οὖν particulae μέν praegressae respondere possit.

His omnibus locis οὖν vice adverbii fungitur ad sententiae contrariae gravitatem augendam; sed multi loci ita comparati sunt, ut particula δέ oratio interrumpatur, particula οὖν sive verbum sive enuntiatum ex eis, quae antecesserunt, sive longius remotum sive propius positum repetatur, ut alia adnectantur.[1]) apud Herodotum quidem haec significatio non ita saepe inest his particulis (V 49, VIIII 79). in libris Thucydidis ex contrario fere nusquam aliam habent vim; nam praeter II 5, 7, de quo supra exposuimus, his locis editionis Classenianae δ' οὖν repperi: I 3, 4, ⟨10, 5⟩, ⟨63, 1⟩, II ⟨16, 1⟩, 34, 8, III [84, 1], IIII 82, VI 15, 5; 56, 1, VII ⟨59, 1⟩, ⟨82, 1⟩, VIII ⟨24, 6⟩, 81, 3; 87, 6, ⟨94, 3⟩, 97, 1. eodem modo δ' οὖν interpretandum est Lys. [VI] 23, XVIIII 22, [XX] 26, fr. LIIII 78 § 3 et compluribus Isocratis locis, veluti VIII 16. hunc oratorem aliquid novasse in usu coniunctionis δ' οὖν, cum subinde δ' tantummodo hiatus evitandi causa interposuerit, Ljungdahl p. 33 putat; sed eorum, quos adtulit, locorum alios male intellexisse videtur, quippe quibus δέ suo loco positum sit (VII 69), aliis, ubi conexum sententiarum conclusivum esse negari non potest, δ' eiciendum esse censeo, si quidem id codices ipsi suadere videntur, cf. XV 17, XVI 48, XVIIII 51; v. etiam XVII 58.

Etiam in οὐδ' ὦν, quod Her. I 2, 56 sine dubio recte ita explicatur, ut ὦν coniunctio consecutiva sit, οὐδ' ad verbum sequens referatur, nonnumquam ὦν ad confirmandam sententiam positum est, praesertim si hanc particulam alterum οὐδέ sequitur, quod Her. II 134 et V 98 exstare videmus, quos locos Hoffmann p. 5 perperam cum illis composuit.

4.

In particulis, quae cum οὖν coniunguntur, sunt quoque εἴτε et οὔτε, quibus οὖν adponitur, ut id ipsum membrum prematur, in quo exstat. cuius usus pauca exempla in libris Herodoti insunt: VI 137, VIII 54, IIII 96, VII 12, VIIII 18, 26, sed multo pauciora Attici scriptores praebent. neque enim in Thucydide aut Gorgia aut Antiphonte aut Andocide aut libello de re publica Atheniensium ullum inveni. apud Platonem vero, qui omnino particulis

---

[1]) Cf. quae dixit Herbst Phil. XXIIII 628: *Das* δέ, ait, *hat aber überall in diesen Stellen nichts mit dem* οὖν *zu schaffen.... Für die Epanalepsis der Rede ist das* οὖν *und neben diesem bedarf es des* δέ *nicht; wo dieses dabei erscheint, macht es einen Gegensatz und dient so dem Fortschritt der Rede.* adde Classeni adn. cr. ad VII 59, 1.

maiore libertate utitur, locos legimus, quales sunt Prot. 309 b καὶ γὰρ πολλὰ ὑπὲρ ἐμοῦ εἶπε βοηθῶν ἐμοί, καὶ οὖν καὶ ἄρτι ἀπ' ἐκείνου ἔρχομαι, de rep. VI 492 e.

5.

Relinquitur, ut de οὖν cum **pronominibus adverbiisque relativis** copulato disseramus. cuius usus, quamquam aetate superiore non tam frequens erat quam postea, testimonia omnes scriptores exhibent; certe unum locum, qui huc pertinet, repperi apud Andocidem II 18 ὁτῳοῦν δύναται τρόπῳ, itemque apud Antiphontem II α 2, in libello de re publica Atheniensium III 3, denique in titulis CIA. II 1, 17 (a. 378/7), l. 42 τρόπῳ ὁτῳοῦν.[1])

Si autem locos accuratius inspicimus, οὖν tantummodo cum pronomine composito ὅστις et adverbiis vel adiectivis pronominalibus a litteris ὁπ incipientibus, veluti ὅπως, in quod ea res cadit saepissime, ὁποῖος, ὁπόσος, ὁπότερος, conexum esse videmus. duobus tantum locis apud Herodotum I 199 et II 22 ὁσονῶν legitur atque ὥσπερ οὖν similiaque verba apud Platonem, quorum etiam significationem peculiarem esse cognoscemus. sed quoniam de modo huius usus loquimur, id quoque hic commemorandum est nonnumquam οὖν a relativo suo verbo dirimi. quod maxime fit pronomine τὶς, sicut in ὁστισοῦν hoc pronomine indefinito interposito notio universa urguetur: ὁκοιουτινοσοῦν Hipp. de humor. 14, ὁποιουτινοσοῦν Xen. Cyr. II 4, 10, ὁπωστιοῦν, quod apud posteriores saepe invenitur (Plat. Apol. 17 b μηδ' ὁπωστιοῦν, Phaedo 81 c οὐδ' ὁπωστιοῦν), apud Thucydidem uno loco, qui in postremo libro inest, VIII 71, 2 οὐδ' ὁπωστιοῦν. aliquanto plus insoliti habent hi loci: Dem. XXXXV 53 ὅτου τις οὖν, Lys. I 49 ὅ τι ἂν οὖν, Isocr. V 7 ὅπως γὰρ οὖν, XV 83 ὅστις ἂν οὖν.

Talibus igitur locis quid particula οὖν significetur, si quaeris, omnes consentiunt notionem ea universalem effici. sed admodum raro voces relativas ita compositas proprium sequitur verbum finitum, veluti And. II 18, Lys. I 49; plerumque eae in media enuntiata inferuntur atque adeo, id quod sane mirum est, praedicati locum hic illic obtinent, cf. Her. I 199, Plat. Euthyphr. 5 e. neque casu factum esse puto, ut permultis locis in enuntiata condicionalia insererentur, quippe quae si hoc modo universe pronuntiantur, tota sententia latius patescat. qua re si ea in Latinum vertamus, saepe non a coniunctione condicionali, sed ab ipso pronomine relativo indefinito initium faciamus oportet, veluti Her. II 113 ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὅτευῶν ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρά, . . . οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι *in quod cuiuscumque hominis servus fugiens*

---

[1]) Hunc locum solum toto hoc libello ex titulis adferre possum, quia in omnibus, qui sunt annorum usque ad 350. a Chr. n., nullum alium vidi, ubi particula conclusiva usurparetur, quamquam identidem CIA. vol. I. et II. fasc. 1. et suppl. (t. IIII) fasc. 1. et 2., deinde titulos a Dittenbergero congestos perlustravi. itaque, si modo recte se habent, quae Herwerden, lap. de dial. Att. test. p. 78 disputavit: *conclusiva coniunctio una tantum adhibetur sc.* οὖν *semper iunctum, nisi fallor, cum* ὅπως *vel* ὅπως ἂν *vel* ἵνα, ea certe non valent de illis temporibus.

maculas sacras concepit, deprehendere eum non licet; Thuc.[1]) I 77, 3 ἥν τι — καὶ ὁπωσοῦν ἐλασσωθῶσιν *quodcumque detrimentum accipiunt;* IIII 23, 1 ἐὰν καὶ ὁτιοῦν παραβαθῇ *quicquid neglegitur;* cf. IIII 16, 2 ὅ τι δ' ἂν τούτων παραβαίνωσιν ἑκάτεροι καὶ ὁτιοῦν, ubi pronomen ὅ τι bis positum est, ne ὁτιοῦν ipsum ut vere relativum cum verbo finito coniungeretur; V 18, 11 εἰ δέ τι ἀμνημονοῦσιν ὁποτεροιοῦν καὶ ὅτου πέρι, ubi οὖν etiam ad sequens ὅτου valet; Latine dicas *utricumque et de quacumque re quid omittunt.*

Si ad talia verba relativa indefinita καί vel οὐδέ accedit, quae gradationem indicant, ita ea definiuntur, ut extremus eis gradus significetur et quidem semper fere infimus, rarissime, quem aequo iure exspectare possis, summus; quod tam saepe accidit, ut in Thucydidis libris duodecim eius modi loci sint (duobus tantum καί non exstat V 18, 11; 41, 2): Her. II 22 καὶ ὁσονῶν *vel minimum,* Thuc. VII 60, 3 καὶ ὁπωσοῦν *vel minime,* eodemque modo ceteris eius scriptoris locis his verbis minimum et tenuissimum quidque significatur, similiter Isocr. XII 2 οὐδ' ὁπωσοῦν *nullo plane modo;* sed Plat. Phaedr. 258 c καὶ ὁπωστιοῦν δύσνους interpretandum est *etiamsi quam maxime malevolus.*

Plato porro interdum in enuntiatis relativis post primam vocem relativam οὖν posuit, non quod ei notionem universalem tribuere vellet, sed eo consilio, ut verum esse id, quod eo enuntiato continetur, adfirmaret, veluti Charm. 155 b ὃ οὖν καὶ ἐγένετο, Phaedr. 242 e εἰ δ' ἔστιν, ὥσπερ οὖν ἔστι, θεὸς ἤ τι θεῖον ὁ Ἔρως; cuius usus scriptores antiquiores nullum exemplum exhibent.

II.

Multo saepius οὖν vere coniunctio est habenda; qui usus cum per illa tempora, de quibus nos disputamus, idem fere manserit, graviora tantum proferemus ita, ut in primis Andocidis rationem habeamus.

1.

Nonnumquam iuxta οὖν verbum propius longiusve remotum iterum ponitur, ad quod cetera adnectantur, cf. And. I 109, III 26, 38, sed interdum non in ipso initio collocatur: I 85 ἐδοκιμάσθησαν μὲν οὖν οἱ νόμοι ὦ ἄ. κατὰ τὸ ψήφισμα τουτί (proxime antecedit plebiscitum ab oratore ad verbum adscriptum), 86 (ad legis praegressae verba relegamur), 131 (κληδών voce φήμη renovatur), [IIII] 39 ἔστι μὲν οὖν Ἀλκιβιάδου (ad Alcibiadem revertitur orator). huc singularis quoque ille locus pertinere mihi videtur in libello de Ath. rep. I 7 εἴποι τις ἄν, τί ἂν οὖν γνοίη ἀγαθὸν αὐτῷ ἢ τῷ δήμῳ τοιοῦτος ἄνθρωπος, ubi verba εἴποι τις ἄν sine coniunctione adiuncta pro parenthesi habenda sunt neque ullius

---

[1]) Qui quater decies talibus pronominibus adverbiisque indefinitis eisque sexies in enuntiatis condicionalibus usus est: I 77, 3, IIII 16, 2; 23, 1; 37, 1, V 18, 11; 41, 2, VI 56, 3, VII 48, 5; 49, 2; 60, 3, VIII 27, 3; 71, 2; 90, 2; 91, 3.

momenti ad conexum sententiarum, cf. Dem. VIII 23. compluribus autem locis post enuntiata interposita, etiamsi verbum ex eis, quae antecedunt, non repetitur, coniunctione οὖν ad illa revocamur eo consilio, ut ab eis profecti ad alia traducamur, veluti I 26 (cf. supra p. 159), quo cum loco contendere refert Ant. V 46, ubi, quae post ὃ δὲ καὶ μάλιστα ἐνθυμεῖσθε iam exspectantur, aliquanto infra leguntur μὴ οὖν ἐξέληται τοῦτο ὑμῶν μηδείς; item And. I 104 si legimus εἰ οὖν γνώσονται eqs., ad verba εἰ οὖν ἐμοῦ καταψηφιεῖσθε (103) mente redimus.

2.

Saepe coniunctione οὖν sive in enuntiato primario sive secundario posita (And. I 33, 56, 64, 89) ea, quae antecesserunt, comprehendi indicatur. hoc modo finis vel capitis orationis vel complurium enuntiatorum significatur, velut I 9 et 10, quae sectiones a Lindero p. 66 falso dispositae summam complectuntur totius prooemii, 76, 119. ac multi sunt loci, quibus scriptor ea, quae ante dicta sunt, ita complexus protinus ad alia progreditur, cf. III 33, id quod potissimum particulis μὲν ... δέ efficitur, cf. I 70 post Μάρτυρες, III 12, praesertim cum a parte orationis ad partem transitur, de quo usu, quantum quidem ad Antiphontem et Andocidem adtinet, copiose exposuit Linder p. 83 sqq.

3.

Venimus iam ad conclusivam particulae οὖν vim tractandam, quam plerisque locis libelli de re publica Atheniensium, I 1, 12 bis, 14, 18, III 10, cf. I 8, II 19, adpositis verbis διὰ τοῦτο (ταῦτα) quodam modo declarari memoratu dignum videtur. And. III 34 εἰ πεμφθέντες αὐτοκράτορες ἔτι ἀπεδώκαμεν ὑμῖν περὶ αὐτῶν σκέψασθαι. βουλεύσασθαι μὲν οὖν ἀσφαλῶς χρὴ eqs. et [IIII] 2 enuntiata, quorum initio οὖν legitur, e sententiis secundariis colliguntur; et si οὖν ipsum in enuntiato secundario locum habet, consequentia aut in eo ipso inest, cf. And. I 37, aut in enuntiato primario, quod sequitur, cf. And. I 24, 54 (ubi sententia, quae desideratur: *proinde, si me socios salutis meae gratia prodidisse suspicati estis, decedite de ista sententia,* latet aliquantulum quidem immutata in verbis σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων), 103, 139, [IIII] 29. si autem conclusio interrogationem continet, aut eius ipsius verba ex eis, quae antecedunt, colliguntur, veluti I 14 οἶσθα οὖν; (in dialogo), 95, 101 (in dialogo), aut verba praegressa causam adferunt, cur haec interrogentur, veluti I 14 τὰ ὀνόματα οὖν τῶν ἀνδρῶν ἐστι ταῦτα; (Diognetus quia se rem cognovisse ait, interrogatur, num nomina recte se habeant), Gorgias saepius in dialogo, velut Pal. 9 bis, 11, Ant. V 50, 90, VI 46 οὐκ ἠξίουν ἀπογράφεσθαι· καίτοι ἱκανά γ' ἦν ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι, εἴπερ ἠδικοῦντο, ἀμφότερα... ·διὰ τί οὖν οὐκ ἀπεγράφοντο; ubi ratio enuntiatorum talis est, ut paene concessiva haberi possit. consequentia quoque quaedam subest in illis locis, quibus ex eis, quae antecesserunt, colligitur, quid supersit, cf. And. II 24, I 87 post Νόμοι, 109, III 24, 32.

4.

Sunt autem loci, quibus enuntiatum, in quo οὖν positum est, non tam ratione ex antecedenti consequi videatur quam tempore, id quod aliquo modo iam de loco, qui est And. I 40, valet, in scriptoribus posterioribus autem hic illic invenitur, cf. Plat. Conv. 214a, b. atque quibusdam locis omnino nullus eius modi conexus, cuius complura genera modo ostendimus, inter eas sententias, quae particula οὖν coniunguntur, intercedit. hoc liberiore modo οὖν usque ad Isocratem, de quo vid. Ljungdahl p. 19, raro usurpatur. Andocides primum hac particula ita usus est in oratione III. § 2, 23, quo utroque loco orator re ipsa enarrata sententias aliunde petitas ad eam rem iudicandam contulit,[1]) similiter Thuc. III 45, 1. saepius quidem iam illi scriptores particula οὖν utebantur, ubi initium faciebant fusius aliquid exponendi et dividendi in partes: And. I 12, [IIII] 10, 11, Ath. rep. I 2, II 9. hoc οὖν explicativum, ut ita dicam, ibi quoque occurrit, ubi non totum enuntiatum, sed singulae voces, ut antecedentia illustrentur, eis adnectuntur: Thuc. III 101, 2 καὶ αὐτοὶ πρῶτον δόντες ὁμήρους καὶ τοὺς ἄλλους ἔπεισαν δοῦναι φοβουμένους τὸν ἐπιόντα στρατόν, πρῶτον μὲν οὖν τοὺς ὁμόρους αὐτοῖς Μυονέας,... ἔπειτα Ἰπνέας eqs., IIII 104, 5, Xen. Hell. V 3, 7, res equ. VI 14. sed multo latius liberior ille usus particulae οὖν patet apud Atticos posteriores, qui figuram anteoccupationis saepe coniunctione οὖν in orationem inducunt, cf. Ljungdahl p. 60, syllogismi proposita, quae vocantur, ita inter se coniungunt, voculis τί οὖν; ad promovendam modo orationem utuntur, cf. Birkler, die oratorischen Transitions- und Argumentations-Phrasen pp. 32 et 42.

5.

Interdum scriptores, qui neglegentiam quandam dicendi prae se ferunt, coniunctionem οὖν aliquanto post initium periodi collocant, ita ut non huic enuntiato cum antecedentibus conectendo inserviat. quod non fit, nisi certae quaedam condiciones adsunt. etenim saepe continuo antecedit enuntiatum mediam in periodum insertum. atque ex ea interpositione, quae a γάρ incipere solet (cf. p. 156, Thuc. VII 6, 1, ubi parenthesis ad antecedentia spectat, aliter Thuc. VIII 57, 2, Lys. VIII 3), aut, quae secuntur, effici aut summam eius breviter comprehendi (Thuc. I 26, 1, VII 42, 3, Xen. An. IIII 7, 2) coniunctione οὖν indicatur.

Aliis locis, ubi itidem enuntiatum interpositum antecedit, aut uno verbo pluribusve ad initium periodi revocamur, cf. Hipp. de arte § 8 περὶ δὲ τῆς ἰητρικῆς... ἐς ταύτην γὰρ ὁ λόγος... ταύτης οὖν τὴν ἀπόδειξιν ποιήσομαι, Her. VI 13, VII 137, ubi infinitivus τὸ συμπεσεῖν substantivo τὸ πρῆγμα in memoriam revocatur,

---

[1]) Falso igitur A. G. Becker III 23 sic vertit: *welchen anderen (!) Frieden dürfen wir erwarten, selbst (!) wenn wir durch Gesandtschaften ihn nachsuchten?*

Thuc. VI 64, 1, Xen. An. VI 6, 15, aut ea enuntiati pars, cuius in initio οὖν legitur, ex eis colligitur, quae ante parenthesim posita sunt, quod praeter locum illum singularem Thuc. III 95, 1 [1]) non observavi.

Sed tale οὖν etiam invenimus, si interclusione non inserta enuntiatum secundarium antecedit, quibus locis omnibus praeter eos Hippocratis (cf. Kuehlewein p. 81) et Herodoti (cf. Hoffmann p. 11), ubi ὦν inter praepositionem verbumque collocatum est, sententia antecedens verbo quodam iuxta ὦν posito comprehenditur, cf. Her. VIIII 26 ἐπεὶ..., τότε ὦν, Xen. An. III 1, 20, aut certe ad verbum quoddam enuntiati secundarii revocamur, cf. Her. I 132. rarius sententiam ab οὖν incipientem, si enuntiatum causale antecessit, ex hoc ipso quodam modo deduci hac coniunctione significatur, cf. Hipp. aphor. I 3 ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσι οὐδ' ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον, Her. VIIII 87.

Nusquam vero, quod subinde in grammaticorum commentariis legitur, particula οὖν id agitur, ut, quae sequitur periodi pars, cum ea, quae antecessit, colligetur, si ansa, ut ita dicam, data non est. quae cum ita sint, Her. I 144 ita, ut in editionibus exstat, ferri non potest, cf. Gomperz in act. acad. Vindob. CIII 521, Stein in Bursiani annal. XXXXII 139.

III.

Particula οὖν si sequitur voculam οὐκ, plerumque cum ea coalescit in unam vocem ΟΥΚΟΥΝ, quae adsidua excitavit studia antiquiorum recentiumque grammaticorum, de quibus in primis nominandi sunt Apollonius περὶ συνδέσμων ed. R. Schneider I 257 sq., Phrynichus in Bekk. anecd. I 57; Breitenbach Zeitschr. f. Alterthumsw. 1841 pp. 105—120, 1842 Beiblatt pp. 57—62, Baeumlein pp. 192—197, Kuehner pp. 713, 715—719, Xen. Comm. ed. Kuehner III. exc. de duplici scriptura vocabuli οὐκουν pp. 513—523, Dem. ed. Voemel prolegomena gramm. § 40 p. 49 sq.

1.

Ubi igitur οὖν sequitur particulam οὐκ, longe saepissime utrumque vocabulum per se valet et οὖν conclusivam significationem habet, ita ut nihil interesse videatur, utrum οὐκ οὖν scribas, quod Classen omnibus locis Thucydideis recepit, an οὔκουν, quod Stahl praetulit. eadem particularum vis adparet in negativis interrogationibus rhetoricis, quibus sententia adfirmativa subest. talia enuntiata quia in causa fuisse inter omnes iam constat, cur οὐκοῦν postea

---

[1]) Cf. schol. ad h. l.: ὁ οὖν σύνδεσμος εἰ καὶ περιττὸς τῷ Ἀντύλλῳ δοκεῖ, ἐγὼ πάνυ ἀναγκαίως λέγω προσκεῖσθαι αὐτόν· τὴν βουλὴν γὰρ εἰπὼν ἐπήγαγε τὴν πρᾶξιν, ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν· οὐκοῦν ἐνθυμηθεὶς ἔπραττεν, ὅπερ ἐνεθυμήθη.

vim adfirmativam nancisceretur, quaeritur, utrum his locis οὐκοῦν scribendum sit an οὐκ οὖν an οὔκουν, cf. Gebauer, arg. ex contr. p. 309. ego igitur, quamquam res ipsa levioris momenti est, Breitenbachium[1]) secutus recentiore quidem aetate, qua οὐκοῦν iam in usu fuisse demonstrabitur, talibus locis omnibus scribere malim οὔκουν; codicum enim in eius modi rebus plane nulla est auctoritas. sed Thuc. III 63, 2 ceterisque eius scriptoris locis totiusque aetatis, cui coniunctio adfirmativa οὐκοῦν nondum cognita fuisse videtur, unde, si οὐκ vim negativam retinebat, eam syllabam distinguendi internoscendique causa acui non oportebat, voces duas separare velim; contra in And. I 102 iam antepono scripturam οὔκουν.

2.

Sed accuratius dicendum est de οὐκοῦν, cuius notio adfirmativa ex οὐκ οὖν particulis initio interrogationum positis eo orta est, quod vi enuntiati interrogativa oblitterata eae voces coniungebantur. in Herodoti libris οὐκοῦν non invenitur, quod etiam Hoffmann p. 8 statuit, cum diceret utramque particulam suam semper vim apud Herodotum retinere.[2]) neque illa particula conclusiva usi sunt, qui paulo post Herodotum fuerunt, scriptores. sed in primis huius usus testimoniis ducendum est And. III 10; contra in orationibus II. et I., quae multis annis ante habitae sunt, nullum eius exstat exemplum. altero autem Andocidis loco, quo Blass οὐκοῦν edidit, III 14 scribendum esse οὔκουν et in fine enuntiati signum interrogationis ponendum puto; namque sententia negativa, quae ex interrogatione antecedenti colligitur, quaque insulas illas pacis lege adsignari Atheniensibus negatur, simul cum illa acerrime refutatur interrogationis forma accepta: ἀλλ' ὅπως τὰς νήσους κομισώμεθα, Λῆμνον καὶ Σκῦρον καὶ Ἴμβρον, sc. πολεμήσωμεν; οὔκουν διαρρήδην γέγραπται ταύτας Ἀθηναίων εἶναι; alia exempla desumpta ex oratoribus sunt Lys. X 12, XXVIIII 4, Isocr. XV 253, Dem. XIIII 27, Aesch. I 159.

Maxime autem frequentiam huius coniunctionis adauxerunt Plato et Xenophon, qui in Commentariis LXXVII locis οὐκοῦν posuit teste Roquettio, de Xenophontis vita p. 39.[3])

---

[1]) Qui p. 120 sic disputavit: *Es wird in den meisten Fällen schwer zu bestimmen sein, ob* οὖν *wirklich von solcher Bedeutung sei, dass es mit eigenem Accent und getrennt von* οὐκ *geschrieben werden müsse oder nicht. Gesetzt aber auch dies liesse sich überall mit Bestimmtheit entscheiden, so tritt doch der nicht unwichtige Uebelstand ein, dass es wenigstens dem Hörer nicht gut möglich sein würde,* οὐκ οὖν *wiederum von* οὐκοῦν *auch bei einer sorgfältigen Aussprache zu unterscheiden. — Von* οὐκοῦν *sagen die Grammatiker nicht bloss gar nicht, dass es in der Frage steht, sondern sie sagen sogar ganz bestimmt, es sei eine syllogistische Partikel, in der die Negation bedeutungslos sei. Hiemit konnten sie aber nichts anderes ausdrücken wollen, als dass* οὐκοῦν *nicht als negative Fragepartikel, sondern nur als affirmative Folgerungspartikel gebraucht wurde.*

[2]) Iniuria igitur Stein eum reprehendit in Bursiani annal. XXXXII 156: *Uebersehen ist der Mangel des positiven* οὐκῶν *igitur.*

[3]) Cf. Birkler p. 10: *Wie mit* δέ, *so ist Xenophon ein andermal verschwenderisch mit* οὐκοῦν. Gleiniger, de Xenophontis libello, qui πόροι inscribitur, p. 55: οὐκοῦν *particulam et* γοῦν *apud*

Et postquam οὐκοῦν fere pro οὖν usurpari coeptum est (Apollon. οὐ μακρὰν πέπτωκε τῶν καλουμένων συλλογιστικῶν), non modo conclusivam, sed mox etiam quamlibet aliam particulae οὖν vim adripuit. sic apud Isocratem IIII 184, quae antecesserunt, complectitur, apud Xen. Cyr. IIII 3, 17 οὐκοῦν initio apodosis positum significat antecedentia comprehendi, apud Plat. Hipp. I 295 e hac particula syllogismi proposita coniunguntur, apud Xen. de vect. I 3 explicatio instituitur, cf. Lys. ed. Gebauer p. 251 sq.

3.

In responsis et, ubi enuntiatum eis, quae antecesserunt, ita adiungitur, ut coniunctio non desideretur, nonnumquam adverbialis particulae οὔκουν vis observatur, quam grammatici antiqui manifesto testati sunt, cf. Suidam: οὔκουν· οὐδαμῶς, ceterique copiosius.[1]) neque inde, quod οὔκουν aeque atque οὐκοῦν ut ceteris locis ita hac significatione semper primum locum obtinet, quicquam contra grammaticos illos colligi potest, id quod fecerunt Breitenbach p. 110[2]) et Baeumlein p. 193. cuius usus exempla, quae ex Herodoto adferri solent, omnia aliter explicanda videntur; sed unus locus Thucydidis III 113, 4 huc adferendus est, quamquam Classen artibus interpretandi conclusivum contextum sententiarum ostendere conatus est; Gorg. Pal. 12 ἀλλ' ὑπὲρ τειχῶν ⟨διὰ⟩ κλίμακος; οὔκουν· ἅπαντα γὰρ πλήρη φυλάκων; ex Antiphonte autem, qui uno tantum loco (V 67) οὐκ οὖν (rectius puto apud eum quam οὔκουν) scripsit, Wetzell p. 23 falso in hoc numero III δ 9 duxit, in quem locum οὖν prava coniectura irrepsit; Isocr. XV 313 particulam οὔκουν verbo interiecto γὲ sequitur, quod saepe, si in οὔκουν haec inest significatio, adponitur praecipue a Platone (Phaedr. 258 c, Lach. 192 d, Pol. 283 b; Xen. An. III 5, 6, Oec. I 9).

4.

Praeterea sunt loci, quibus enuntiatum ab οὔκουν incipiens ratione concessiva cum eo, quod praegressum est, conectatur. quam difficultatem Baeumlein sustulisse sibi visus est, cum p. 195 haec diceret: *Da die Bedeutung des einfachen* οὖν *in manchen Fällen sich so abgeschwächt hat, dass es . . . nur überhaupt einen einstimmigen Zusammenhang anzeigt, so darf es nicht auffallen, wenn auch* οὔκουν *so sich gebraucht findet, dass die Bedeutung des* οὖν *erloschen*

---

neminem saepius quam apud Xenophontem invenias. Κωνσταντινίδης, περὶ τῆς γνησιότητος τοῦ ἐρωτικοῦ τοῦ Λυσίου (Ἀθήναιον IIII 45): οὐκοῦν εἶνε λίαν σύνηθες παρὰ Πλάτωνι.

1) Perperam autem nonnulli hanc particulae vim deprehendere sibi visi sunt, ubi particula duo enuntiata coniungente opus est, velut Her. I 209, III 118, IIII 11, quibus locis ὦν coniunctio conclusiva est.

2) Qui haec disputat: *Selbst der Umstand, dass* οὔκουν *immer die Stelle im Anfang des Satzes oder zu Anfang eines Abschnittes in demselben einnimmt, nicht aber in der Mitte der Worte, wie es bei* οὐ *der Fall sein kann, deutet wohl unzweifelhaft darauf hin, dass diese Partikel überall eine enge und nothwendige Verbindung mit dem Vorhergehenden bewirkt.*

scheint. alii autem peculiaris talium locorum indolis ratione habita impeditum explanandi modum excogitaverunt, quem brevibus adumbrabo. etenim cum permultis locis eius generis enuntiatum ab οὔκουν incipiens causam contineat sequentis enuntiati aut certe facili negotio ita torqueri possit interpretando, ut sententia, quae excipit, ex illo videatur consequi, particulam οὖν, quae enuntiato causali praeposita est, ad alterum enuntiatum, quod sine coniunctione vel particula δέ vel δή adnecti solet, referendam esse illi docent.[1]) velut Her. I 59 συνεβούλευε Ἱπποκράτεϊ πρῶτα μὲν γυναῖκα τεκνοποιὸν μὴ ἄγεσθαι ἐς τὰ οἰκία, εἰ δὲ τυγχάνει ἔχων, δεύτερα τὴν γυναῖκα ἐκπέμπειν, καὶ εἴ τίς οἱ τυγχάνει ἐὼν παῖς, τοῦτον ἀπείπασθαι· οὐκ ὦν ταῦτα παραινέσαντος Χίλωνος πείθεσθαι ἐθέλειν τὸν Ἱπποκράτεα, γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον, ubi sententiam γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον τοῦτον non effici sententia superiore συνεβούλευε Ἱπποκράτεϊ eqs., sed si ullius enuntiati, verborum οὐκ ὦν . . . πείθεσθαι ἐθέλειν τὸν Ἱπποκράτεα consequentiam esse luce clarius est, ita explicari volunt, ut ὦν mente coniungamus cum enuntiato γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον τοῦτον. ita fit, ut ὦν, quod mirum in modum in enuntiato causali collocatur, consequentiam significet, antequam ea sententia enuntietur, ex qua illa altera colligatur;[2]) neque omnino, quo modo haec enuntiata cum verbis antecedentibus cohaereant, ab illis curari videtur.

Quam ob rem ego alium propono explicandi conatum, quem multo simpliciorem et non minus rationi quam loci uniuscuiusque sententiae accommodatiorem esse spero. etenim si coniunctione οὖν significatur aliquid ex eis, quae antecesserunt, consequi, particula οὐκ autem in initio enuntiati posita vim habet ad totum hoc enuntiatum, sponte intellegitur, quo modo natus sit nexus sententiarum, quem omnibus eius modi locis inesse supra diximus, con-

---

[1]) Vide quae Kuehner p. 713 exposuit: *Herodot gebraucht es in der Bedeutung 'nicht daher', aber so, dass er den negativen Begründungssatz mit* οὐκ ὦν *vorausschickt, dann aber den Folgesatz, dem das* ὦν *angehört, folgen lässt.* Adde quae Abicht ad Her. I 11 adnotavit: *H. pflegt im parataktischen Satzgefüge den Begründungssatz, wenn derselbe den negativen Beweggrund enthält, dem Hauptsatz, der dem Gedanken nach Folgesatz ist, mit* οὐκ ὦν *vorauszuschicken. Der Hauptsatz, zu welchem dem logischen Zusammenhange nach das vorausgeschickte* ὦν *gehört, folgt meist asyndetisch nach.* Hoffmann denique p. 8 sic disputat: *Einen Uebergang zu der consecutiven und conclusiven Bedeutung zeigt* οὐκ ὦν *in denjenigen Fällen, in denen dem Folgesatze der negative Begründungssatz mit* οὐκ ὦν *vorangeht; derselbe sagt aus, dass das Beabsichtigte oder Erwartete thatsächlich nicht eintritt.* a quibus Stein aliquantum abhorret, qui ad I 11 haec adscripsit: *Das Motiv,* inquit, *der im Hauptsatz enthaltenen Handlung ist diesem nicht nach gewohnter Satzbildung in Form eines Nebensatzes* (ἀλλὰ ἐπεὶ . . .), *sondern als selbständiger Satz vorausgeschickt, während der Hauptsatz selber asyndetisch folgt.*

[2]) Quae quam absurda essent, Stein animadvertit, qui in censura libelli ab Hoffmanno conscripti in Bursiani annal. XXXXII 156 haec dixit: *Die dem Autor so geläufige und eigenthümliche Verwendung von* οὔκων *zu parataktischer Satzbildung ist hier in ihrem eigentlichen Wesen sowenig erkannt, wie die ihr zugrunde liegende und auch sonst erscheinende adversative Bedeutung.* nec tamen omni ex parte ei adstipulari possum, quia particulae ὦν sine dubitatione aut argumentatione vim concessivam adtribuit, quae in ea ipsa re vera non inest.

cessivus; is enim continetur consequentia, ut ita dicam, negata. cui simile quid vidimus in Ant. VI 46 (p. 180). hac sententia accepta iam nullo negotio ii quoque loci quasi illustrantur, quibus particulae οὔκουν praegreditur secundarium enuntiatum concessivum. sed videamus exempla.

Plurimi loci sunt in libris Herodoteis: I 11 (ἱκέτευε μή μιν ἀναγκαίῃ ἐνδεῖν διακρῖναι τοιαύτην αἵρεσιν· οὐκ ὦν δὴ ἔπειθε, ἀλλ' ὥρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην), 24, 59, quibus locis in enuntiato, cuius primum locum οὐκ ὦν occupavit, verbum finitum est πείθειν vel πείθεσθαι, unde audimus, cum quiddam factum sit, ut quidam permoveretur, id non contigisse; II 141 (μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων· οὐκ ὦν δὴ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βωθέειν), V 96, VI 52 (*Lacedaemonii fratrem natu maiorem regem declarare constituerunt, nec tamen, utrum crearent, sciverunt)*, VII 15; I 206 *(quamquam te id rogo, tamen mihi non obtemperabis)*, IIII 118 (τὠυτὸ νοήσαντες ἀντιάζωμεν τὸν ἐπιόντα. οὐκ ὦν ποιήσετε ταῦτα· ἡμεῖς μὲν πιεζόμενοι ἢ ἐκλείψομεν τὴν χώρην, ἢ μένοντες ὁμολογίῃ χρησόμεθα), V 92 fin., VII 10β, quibus quattuor locis enuntiatum ab οὐκ ὦν incipiens locum obtinere videtur enuntiati condicionalis; III 137 (ταῦτα λέγοντες τοὺς Κροτωνιήτας οὐκ ὦν ἔπειθον) et 138 (πειθόμενοι δὲ Δαρείῳ Κνίδιοι Ταραντίνους οὐκ ὦν ἔπειθον) post participium concessivum significatio particulae concessiva certissima est; eodemque modo interpretor II 20 πολλάκις δὲ ἐτησίαι μὲν οὐκ ὦν ἔπνευσαν, ὁ δὲ Νεῖλος τὠυτὸ ἐργάζεται: inde quod etesias efficere, ut Nili aquae augeantur, quidam contendunt, Herodotus rationem sententiarum invertens colligit, si Nilus crescat, necesse esse etesias flare; atque ut hanc opinionem suo iudicio falsam refellat, nobis narrat saepe, etiamsi Nilus crescat, tamen non flare etesias. sententia illa concessiva, quamquam in altero demum membro verbis exprimitur (ὁ δὲ Νεῖλος τὠυτὸ ἐργάζεται), tamen iam in priore membro scribendo animo eius obversata est, eaque de causa scripsit οὐκ ὦν ἔπνευσαν. haec omnia Herodoti exempla sunt, qui omnium maxime hunc usum frequentavit atque ad suam ipse naturam, ut ita dicam, derexit.

Similis usus conspicitur Thuc. II 43, 1, ubi enuntiatum concessivum antecedit. deinde in hunc numerum adscribo And. I 40 et [IIII] 37, quo loco scripturam traditam sic intellego: *etiamsi alii mihi ista obloquantur, tamen non est iustum homines expellere, qui* (ut ego) *saepe iam a iudicibus liberati sunt.* apud Platonem autem his locis concessiva vis particulae οὔκουν cognoscitur: de legg. VII 810e, Epin. 974e, quo utroque loco γὲ additur.

Continetur igitur hic usus eis scriptis, quae ad sermonem vulgarem propius accedunt.

IIII.

Denique quaeramus, quem locum οὖν occupare soleat. id enim tantum inter omnes hucusque constat plerumque particulae οὖν alterum locum enuntiati tribui, nisi μέν antecedit, qua cum voce οὖν apud oratores multo

saepius coniunctum legitur quam solum. eodemque modo cum omnibus, post quas adverbialem vim voculae οὖν observari diximus, particulis consociatur ita, ut, si eae non primam enuntiati sedem tenent, οὖν etiam longius quam illae ab initio removeatur, cf. Thuc. I 10, 5 πρὸς τὰς μεγίστας δ' οὖν καὶ ἐλαχίστας ναῦς.

Magna copia locorum collata intellexi scriptores huic coniunctioni sedem suam multo minus servare studuisse quam particulae γάρ, quae si cum οὖν concurrit, semper praeponitur. nam cum voculae δή et ἄν semper post γάρ collocentur, coniunctioni οὖν tum praeponuntur tum postponuntur; de δή videas Hoffmann p. 6 sq.,[1]) deinde cf. Thuc. I 9, 4 οὐκ ἂν οὖν, 76, 4 ἄλλους γ' ἂν οὖν, 77, 6, III 64, 4, Ant. V 90, de Ath. rep. I 7, III 13, Lys. I 45, VIII 7, XVIIII 33, [XX] 15, Isocr. VII 36, XI 30 ἴσως ἂν οὖν, Xen. de rep. Lac. II 8 εἴποι δ' ἂν οὖν τις, ubi etiam δ' et οὖν interposita vocula ἄν dirimuntur, V 9 οὐκ ἂν οὖν; contra Ant. V 67 οὐκ οὖν ἄν, de Ath. rep. I 8 εἴη μὲν οὖν ἄν, quia μέν et οὖν numquam disiunguntur, Isocr. V 39 τάχ' οὖν ἄν et XV 221 ἴσως οὖν ἄν.

Si autem enuntiatum a nomine incipit, consuetudo fert, ut οὖν item atque γάρ inter articulum et nomen inseratur, cf. Her. III 16, And. [IIII] 42, Lys. XVIIII 35, Xen. Comm. II 1, 2, Plat. Conv. 214 b; sed οὖν multo saepius quam γάρ post articulum et nomen legitur, cf. Her. VI 13, Thuc. VI 57, 3, Ant. I 12, And. I 14, III 33.

Deinde οὖν eo saepe in locum inferiorem removetur, quod praepositio primo loco posita nomen proximum plurimis locis ad se quasi adtrahit, nisi μέν intercedit, quam particulam οὖν semper continuo sequitur. tamen ea consuetudo nequaquam constanter observatur, praesertim si certae adsunt causae, cf. Her. IIII 118 ἐπὶ τούτων ὦν τῶν καταλεχθέντων ἐθνέων, V 82, VIII 7 πρὸς ταῦτα ὦν, VII 51 ἐς θυμὸν ὦν, VI 79, contra III 52 πρὸς ὦν δὴ τοῦτο τὸ κήρυγμα; Thuc. II 41, 5 περὶ τοιαύτης οὖν πόλεως, 70, 3 ἐπὶ τοῖσδε οὖν, IIII 9, 4 κατὰ τοῦτο οὖν, 25, 1 ἐν τούτῳ οὖν τῷ μεταξύ, 103, 1, VIII 67, 1, contra VI 21, 1 πρὸς οὖν τοιαύτην δύναμιν, III 22, 3 κατὰ οὖν μεταπύργιον, VII 68, 1, quibus addas IIII 118, 4 περὶ μὲν οὖν τούτων; Gorg. Pal. 27 πρὸς μὲν οὖν σέ, 31 τίνος οὖν ἕνεκα; Ant. I 4 πρὸς τίνας οὖν, V 66, VI 46 διὰ τί οὖν, contra I 10 διὰ οὖν ταῦτα et I 13 περὶ μὲν οὖν τούτων; de Ath. rep. quinquies διὰ τοῦτο vel ταῦτα οὖν (v. p. 180), sed I 1 διὰ μὲν οὖν τοῦτο; And. III 12 et [IIII] 7 περὶ μὲν οὖν τούτων, [IIII] 10 περὶ μὲν οὖν μοιχείας; Lys. IIII 5 διὰ τί οὖν, VIIII 22, XVII 1 (Isocr. XVII 3) ἐξ ἀρχῆς οὖν atque etiam XXIII 10 ἐφ' οἷς μὲν οὖν et XXXII 26 καθ' ἕκαστον μὲν οὖν, quamquam μὲν οὖν continuo post praepositionem collocari solet, contra IIII 20 πρὸς οὖν παίδων καὶ γυναικῶν καὶ θεῶν, XVIIII 29, 58 ἐν οὖν τοσούτῳ χρόνῳ. sed semper fere, si praepositionem articulus cum nomine suo sequitur, οὖν continuo post praepositionem

---

[1]) Qui Herodotum ὦν tum potissimum particulae δή praeposuisse exponit, si utraque vox inter articulum et substantivum inserebatur aut coniunctionem initio enuntiati secundarii positam sequebatur.

positum invenitur, cf. Her. I 46, Thuc. III 45, 1, Lys. I 7, Isocr. VIII 131, contra Her. I 85 ἐν τῇ ὦν παρελθούσῃ εὐεστοῖ, si modo ista scriptura recte retinetur.

Neque vero in universum scriptores multum curabant, ut οὖν altero enuntiati loco collocaretur. quod cum ex eis Herodoti et Hippocratis locis intellegitur, quibus οὖν in intervallo tmesi, quae vulgo dicitur, effecto positum est, tum ex his locis: Her. VII 153 θωῦμά μοι ὦν καὶ τοῦτο γέγονε, Thuc. I 91, 7 ἢ πάντας οὖν ἀτειχίστους ἔφη χρῆναι ξυμμαχεῖν, VI 64, 1 τοιόνδε τι οὖν, ubi pronomen indefinitum similiter interpositum est atque Ant. VI 42, And. I 95 ἄλλο τι οὖν, III 23 ποίαν τιν' οὖν, Lys. XXII 5 ἄλλο τι οὖν, And. III 26 μὴ βοηθούντων μὲν οὖν, Xen. Comm. III 11, 7 καὶ ἐμοὶ οὖν, Plat. Phaedr. 258 c οἴει τινὰ οὖν τῶν τοιούτων... ὀνειδίζειν.

TOINYN.

I.

Pro coniunctione οὖν saepe promiscue ponitur τοίνυν, quod in universum idem significat quod illa particula, numquam vero adverbialem eius vim prae se fert. itaque in describendo eius usu eundem ordinem servabimus, quem nobis, cum de coniunctione οὖν actum est, proposuimus. nec supervacaneum erit oratorum ita, ut consuevimus, rationem habere, etsi Rosenberg ann. phil. CVIIII 109 sqq. egregiam disputationem conscripsit: die Partikel τοίνυν in der attischen Dekas, quippe in qua non satis respiciatur, quid particula illa significetur.

1.

Primum igitur dicendum est particula τοίνυν verbum vel enuntiatum, quod proxime praecedit, repeti, velut And. II 12, I 90 (post ius iurandum), 143. sed plerumque unum enuntiatum vel adeo plura intercedunt, post quae verbum vel enuntiatum praegressum pronomine demonstrativo aliove modo in memoriam revocatur, cf. And. II 2; I 93, 94, quo utroque loco, quamvis contrariae sint sententiae, cavendum est, ne id particula τοίνυν significari putetur, quippe qua numquam adversativus sententiarum contextus indicetur.[1]) aliis locis vocula τοίνυν sententiae post parenthesim inducuntur, quae totae fere ad antecedentia nos quasi relegant aut ea renovando aut ab illis ad alia traducendo, cf. Her. VIIII 46, Thuc. V 105, And. II 20, 23, III 13, ubi verba ἡμεῖς τοίνυν eqs. responsum continent interrogationis διὰ τί καὶ πολεμήσωμεν;

---

[1]) Cf. quae Rosenberg p. 118 dicit: *Eine adversative Bedeutung in der Partikel zu finden, hindert schon die Bedeutung ihrer einzelnen Bestandtheile;* similiter Blass in Bursiani annal. VIIII 255.

Ita factum est, ut τοίνυν etiam tum poneretur, cum sententia non ad certum locum, qui antecessit, referenda erat, sed ad universam eam argumenti partem, quae tum menti scriptoris obversabatur, veluti And. III 39 digressione absoluta orator iam ad rem ipsam revertitur. simili ratione magnum numerum locorum inprimis Xenophonteorum explicandum esse arbitror, quibus pronomini ἐγώ adponitur τοίνυν, si quidem is, qui loquitur, ad suam personam quodam modo regreditur, cf. Lys. XVI 7.

2.

Sicut οὖν, ita etiam τοίνυν legitur, si ea, quae antecesserunt, comprehenduntur, quod fere fit pronomine demonstrativo, cf. Gorg. Pal. 11, de Ath. rep. I 9, II 3, III 8, And. II 8, 13, I 35 (post nomina reorum), 127 (μετὰ ταῦτα τοίνυν, quae verba sescenties occurrunt), III 23 (ὅμως τοίνυν ταῦτα), [IIII] 15, Lys. XVI 15 (μετὰ ταῦτα τοίνυν, § 13 legitur πρῶτον μὲν γάρ), Xen. Cyr. I 1, 5 καὶ τοίνυν eadem fere significatione dictum est. neque vero necesse est pronomen demonstrativum in ipso initio enuntiati ponatur, cf. Ant. VI 26, And. I 86 (quem locum a Rosenbergio omissum ita intellego, ut τοίνυν per transgressionem ad τουτουσί referam, quod pronomen enuntiato secundario inserto longius ab initio remotum est), 140, Lys. X 6 (post Μάρτυρες).

Nonnumquam autem scriptor toto enuntiato ea, quae praegressa sunt, complectitur simulque concludit, cf. Ant. fr. 1, And. II 19.

Quamquam igitur coniunctione τοίνυν non secus atque οὖν antecedentia comprehendi significatur, tamen rarius ac tantum fere inferiore aetate cum μέν coniungitur, quod totiens iuxta οὖν legitur, v. C. Schepe, de transitionis formulis p. 28; sed cf. Ant. IIII α 7, Thuc. V 87, 105.

3.

Conclusiva vis, quae genuina huius particulae esse videtur, cum aliis tum his locis animadvertitur: Thuc. III 45, 4, Ant. V 60, And. I 32, 148, 149, Lys. XXXII 18 (πρῶτον μὲν γὰρ . . . Μάρτυρες, 19 ἀξιῶ τοίνυν). nonnumquam etiam e sententia, quae rhetoricae interrogationi antecedenti subest, aliquid colligitur, veluti And. II 8, III 16. si autem τοίνυν in secundario enuntiato ineunte exstat, conclusio continetur aut hoc ipso, cf. Her. VII 9 β, And. III 40, aut enuntiato primario, quod sequitur, cf. Her. I 57, And. III 13 (sententiarum conexus hic est: verbis antecedentibus Andocides narravit, quae causae bellandi Atheniensibus fuissent, quas easdem solas causas esse, cur iustum bellum inferri posset, exposuit. quibus condicionibus sublatis denuo quaestionem, qua de causa belletur, oriri colligit), Xen. Comm. I 2, 35 (ἵνα τοίνυν μὴ ἀμφίβολον ᾖ, ὁρίσατέ μοι *quae cum ita sint, definite mihi, ne res sit in ancipiti)*; cf. supra de And. I 86.

4.

Iam antiquis temporibus τοίνυν ibi quoque adhiberi coeptum est, ubi enuntiata non artiore sententiarum necessitudine cohaerebant, cum particula οὖν tum nondum tam frequenter hoc modo usurparetur.

Ac plerumque adnectitur res diversa quidem ab eis, quae praegressa sunt, sed cum universo argumento congruens. velut And. I 15, postquam primam narrationis partem § 14 verbis πρώτη μὲν ὦ ἄ. μήνυσις ἐγένετο αὕτη eqs. conclusit, loqui pergit quaestione de Diogneto habita his verbis δευτέρα τοίνυν μήνυσις ἐγένετο, ubi coniunctionem τοίνυν, quippe quae nusquam adversativam habeat vim, particulae μέν non respondere vix est, quod moneam; 23, de quo loco infra disputabitur; 92[1]) et 144, quo loco utroque a verbis σκέψασθε τοίνυν nova pars incipit. plane eodem modo τοίνυν invenitur Gorg. Pal. 13 (σκέψασθε τοίνυν καὶ τόδε), si Reiskii emendationem satis probabilem accipimus; qua reiecta quod Rosenberg (p. 117) rursus ad scripturam codicum κοινῇ, quae sensu prorsus carere mihi videtur, recurrit, mea quidem sententia haud recte fecit. alia eius usus exempla sunt Lys. XXXII 21, 22, Isocr. XII 59, cf. Ljungdahl p. 22.

Maxime autem perspicua et manifesta haec vis particulae τοίνυν est, ubi legitur ἔτι τοίνυν, cuius usus testimonia congesserunt Schneider in ed. Isocratis I 51 et Gebauer in ed. Lysiae p. 485. eadem ratione Xenophon saepius dixit καὶ τοίνυν, quam locutionem a sermone oratorum decem illorum alienam fuisse Rosenberg p. 118 docuit: Cyr. IIII 2, 35, V 1, 4, Oec. X 1, quo loco sicut plerisque καί et τοίνυν verbo dirimuntur.

Denique hic adferenda sunt verba φέρε δὴ τοίνυν, quae Andocidis propria esse Rosenberg p. 113 et Gebauer in ed. Lys. p. 228 contenderunt, ego vero ea non solum And. I 21, 90, 117, 128 repperi, sed etiam de Ath. rep. III 5.

---

1) Hic locus ita, ut traditur, ferri non posse mihi videtur. cum enim iudices verbis σκέψασθε τοίνυν admoneantur, ut aliud quiddam respiciant, fieri non potest, ut leges, de quibus §§ 70—89 actum est, iterum commemorentur, praesertim cum verbis καὶ τοὺς νόμους additum sit καὶ τοὺς κατηγόρους. immo postquam de legibus et de variis generibus iuris iurandi expositum est, iam dicturus est Andocides de accusatorum sceleribus, quae ita persequitur, ut, qua quisque lege poenaque teneatur, ostendat. loci igitur sententia commendantur ea, quae Lipsius disseruit Philol. Anz. VI 235, adn. 1: *Beiläufig sei bemerkt, dass die einleitenden Worte dieses ganzen Abschnittes im Anfang von § 92 erst dann zu ihrem vollen Rechte kommen, wenn man die Worte* καὶ τοὺς νόμους *nicht mit Reiske und Blass streicht, sondern mit der schon von Luzac vorgeschlagenen Aenderung des* καί *in* κατά *hinter* ὑπάρχον *umstellt.* sed e re palaeographica veri similius est verba κατὰ τοὺς νόμους post καὶ τοὺς κατηγόρους collocata fuisse, ubi propter membrum finitimum magis erant obnoxia corruptelae. quae ubi primum depravata sunt, facile transponi poterant a librario, qui αὐτοῖς ad κατηγόρους referendum esse intellexit. quae cum ita sint, hanc scripturam propono: σκέψασθε τοίνυν ὦ ἄ. καὶ τοὺς κατηγόρους, κατὰ τοὺς νόμους τί αὐτοῖς ὑπάρχον ἑτέρων κατηγοροῦσι.

quibus locis omnibus rem novam orditur scriptor, id quod singulis locis inspectis demonstremus. de Ath. rep. III 4 et 5 postquam res ipsae expositae sunt, ad iudicium de eis pronuntiandum transitur; And. I 90, 117, 128 novas orationis partes institui iam Linder vidit; accuratius vero § 21 cum proximis sectionibus considerandae sunt, quem locum totum nec Becker nec Linder intellexerunt. ille enim, ut alia praetermittam, § 23 τοίνυν reddidit voce *jedoch,* hic sententias loci his verbis p. 67 complexus est: *quod insimulant accusatores patrem meum a me indicatum esse, calumniantur; nam a) si hoc veri simile esset, longe aliter me gessissem ac fecisse me notum est* §§ 19—23, *b) si conscius huius sceleris mihi fuissem, non hic mansissem iudiciumque subissem* § 24. cuius dispositionis in parte priore *(a)* multa omissa sunt, pars altera *(b)* omnino abhorret a verbis Andocidis. is enim se patrem prodidisse negat quinque argumentis allatis, ad quae accedit sextum, quod ei praeter voluntatem quasi ex ore elabitur (§ 20 καὶ μὲν δὴ ... ἀποθανεῖν). etenim si patrem indicasset, mirum in modum sibi repugnasset, cum eum rogaverit, ut maneret; deinde ipse pater non mansisset, cum secundum legem aut ipse aut filius extremo supplicio adfectus esset. novum idque tertium argumentum digressione illa interposita incipit a verbis φέρε δὴ τοίνυν: ne amici quidem permisissent, ut moraretur. haec argumenta, quibus quaedam est similitudo, relinquit orator particulis ἀλλὰ γάρ, quae initio quarti leguntur, illatis: *Speusippus certe data occasione mentionem fecisset huius indicii;* denique *quisquis aliquid habet, extemplo proferat.* quod huic loco (§ 23) antecedit ἐγὼ μὲν οἶμαι, non impedit, quo minus particula τοίνυν ordinem argumentorum continuari statuamus, cf. Dem. VIII 38 ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶ. Εἰσὶ τοίνυν τινὲς . . .

Cum ergo iam videamus verborum φέρε δὴ τοίνυν semper eandem esse vim, ut nova res antecedentibus adnectatur, examinemus, num recte I 49, ubi in libro A post ἀδικεῖν lacunam duodecim litterarum esse traditur, Linder p. 69 suppleverit φέρε δὴ τοίνυν; cui Kayser Mus. Rhen. XVI 79 adsensus est his verbis: *Linders Vorschlag scheint durch die* §§ 21, 90, 117, 128 *genügend bestätigt zu werden.* quae res utrumque fefellit. inest enim in enuntiato εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ non transitus ad rem novam, sed consequentia, ac verba antecedentia nulla alia de causa pronuntiata sunt, quam ut hanc sententiam quasi praemuniant. sed cum nihil desiderari videatur atque ob eam rem putandum sit olim coniunctionem conclusivam quoddam lacunae spatium occupasse, magna cum veri specie τοίνυν restitui potest, de quo iam Reiske cogitavit. neque tamen cum Sauppio τούτων τοίνυν inserere velim; molesta enim haec est similium verborum cumulatio τούτων τοίνυν ... τι τούτου τοῦ πράγματος. immo, cum numerus duodecim litterarum non nimis urguendus sit, Andocidem haec scripsisse suspicor: σὺ τοίνυν ἤδη, εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ vel tale quid; quamquam pro certo nihil adfirmari posse consentaneum est. sed haec hactenus.

Alii loci ita sunt comparati, ut τοίνυν sicut οὖν ponatur, ubi explicatio instituitur, cf. Gorg. Pal. 7 τοῦτο τῷ λόγῳ δυνατὸν γενέσθω· καὶ δὴ τοίνυν σύνειμι καὶ σύνεστι κἀκεῖνος ἐμοὶ κἀκείνῳ ἐγώ, cum § 11 pro καὶ δὴ τοίνυν scribi malim καίτοι νῦν δή transposita particula δή, Thuc. V 89, And. III 3, Isocr. IIII 28, V 99. Deinde τοίνυν legitur, cum ea, quae antea in universum dicta sunt, ad eam ipsam rem, de qua est sermo, adhibentur, cf. quae Rehdantz p. 288 dicit: *wo von einer Behauptung die Nutzanwendung auf den vorliegenden Fall gemacht wird.* cuius usus testimonia in scriptis antiquioribus non inveni praeter ea, quae Wetzell p. 32 adtulit: Ant. III β 7, VI 26, 31, V 83. sed ne ea quidem omnia iure huc referuntur; nam V 83 et VI 26 antecedentia pronomine demonstrativo comprehenduntur, VI 31 conclusio particula τοίνυν significatur. maiore existimo iure hic nominari posse hos locos: [And.] IIII 35, 40, Isocr. III 15, Aesch. II 121.

Neque neglegendum est nonnumquam a scriptoribus aetatis inferioris propositionem minorem, quam dicunt, maiori coniunctione τοίνυν adiungi, cf. Gebauer, de argumenti ex contrario formis p. XXIII, Ebhardt, die sprachlichen Formen, mit welchen die Glieder des Schlusses im Griechischen und Lateinischen eingeführt werden, p. 9.

Quamquam igitur satis saepe τοίνυν cum quadam libertate usurpatum est, tamen recte Rehdantz p. 288 haec statuit: *Zu einer ganz äusserlichen Anfügung kann auch das metabatische* τοίνυν *nicht dienen.* inveniuntur quidem loci apud Xenophontem, qui ad illum particulae τοίνυν usum, quem reperiri Rehdantz negavit, certe propius accedunt, velut Hell. VII 4, 3 ὄντων γὰρ παμπόλλων πλοίων ἐκλεξάμενος τούτων, ὃ ἐβούλετο, καὶ συνθέμενος τοίνυν ἀποβιβάσαι, ὅποι αὐτὸς κελεύοι, εἵλετο eqs., Hipp. VII 6.

5.

Coniunctionem οὖν non raro m e d i i s i n e n u n t i a t i s ita positam esse supra vidimus, ut non tota enuntiata, sed eiusdem periodi partes conectat. contra coniunctio τοίνυν tali modo rarissime invenitur. duo enim tantum indagavi eius usus exempla: And. III 30 Συρακούσιοι δ' ὅτε ἦλθον ἡμῶν δεόμενοι..., ἡμεῖς τοίνυν εἱλόμεθα καὶ τότε πόλεμον voce τότε totum enuntiatum temporale, quod antecessit, nobis in memoriam revocatur; Isocrates IIII 44, quae antecedunt, complectitur verbis τοσούτων τοίνυν ἀγαθῶν... ἡμῖν γιγνομένων.

II.

His expositis iam, quae sit particularum οὖν et τοίνυν in scriptorum Atticorum libris f r e q u e n t i a, inquirendum mihi esse videtur. primo igitur scriptores particula οὖν saepissime, vocula τοίνυν rarissime usi sunt. certe apud Herodotum cum οὖν in earum coniunctionum numero sit, quae satis crebro

usurpantur (VII 153 ter legitur), permultas sectiones percurras oportet, priusquam unum τοίνυν inveneris. atque in omnibus libris Thucydidis quinquies τοίνυν (III 45, 4, V 87, 89, 105, VIII 53, 3) reperitur, quos locos omnes in orationibus Atheniensium inesse memoratu dignum est. namque in vulgari Atticorum sermone particula τοίνυν, dum Gorgias Antiphon Thucydides orationem suam ab illo diversam excolentes τοίνυν ab ea arcent, magis magisque increbruerat, quae res inde elucere videtur, quod ii scriptores, qui rursus ad sermonem vulgarem descendere conabantur, velut Andocides, aliquanto saepius τοίνυν admiserunt. quam autem rationem in ea re secuti sint, facillime ex tabula infra proposita intelleges.

		οὖν	τοίνυν	loci, quibus τοίνυν legitur
Gorgiae	Hel.	10	0	
	Pal.	21	4	7, 11, 11, 13
Antiphon		87	7	IIIβ 7, IIIIα 7, V 60, 66, 83, VI 26, 31
De Ath. rep.		17	5	I 9, II 3, III 5, 7, 8
Andocides	II	6	8	2, 8, 8, 12, 13, 19, 20, 23
	I	49	21	15, 21, 23, 32, 35, 50, 86, 90, 90, 92, 93, 94, 117, 127, 128, 140, 143, 144, 148, 149, 150
	III	22	9	3, 13, 13, 16, 23, 29, 30, 39, 40
	[IIII]	9	3	15, 35, 40

Eadem ratio mansit per tempora, quae secuta sunt. atque adeo in nonnullis scriptis, quamquam in universum οὖν particulam τοίνυν numero superat, res est contraria, velut in Lysiae oratione VII. οὖν semel, τοίνυν ter decies legitur. quem usum frequentiorem particulae τοίνυν e sermone vulgari receptum esse eo quoque intellegitur, quod Isocrates et Demosthenes in eis orationibus, quae ad illum sermonem propius accedunt, multo saepius quam in ceteris ea usi sunt, cf. Rosenberg p. 115.

III.

Denique notandum est τοίνυν numquam ab illis quidem scriptoribus, de quibus nos agimus, in prima enuntiati sede collocari.[1] plerumque continuo post primam vocem legitur, etiamsi eo modo articulus a suo nomine, cf. Lys. XVIIII 47, 57, XXX 18, aut duo vocabula arte coniuncta, veluti οὐ μόνον: And. [IIII] 15 (οὐ τοίνυν ταῦτα μόνον), Aesch. II 55 (οὐ τοίνυν μόνον ταῦτα), Xen. Comm. I 4, 13, disiunguntur.

[1]) Ceterum cf. W. Schmid, der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dion. Hal. bis auf den zw. Phil. p. 50.

Non paucis tamen locis τοίνυν tertium locum obtinet, praesertim si μέν vel δή antecedit, cf. Gorg. Pal. 7, And. I 117, III 23. item si enuntiatum a praepositione incipit, saepissime in tertia enuntiati sede τοίνυν positum est, cf. Ant. VI 26 εἰς πάντα τοίνυν ἐγὼ ταῦτα, de Ath. rep. I 9 ἀπὸ τούτων τοίνυν τῶν ἀγαθῶν, And. I 127 μετὰ ταῦτα τοίνυν et sic semper, Lys. XXXII 21 εἰς Διονύσια τοίνυν, Isae. XII 10 πρὸς τούτοις τοίνυν, minus saepe in altera, cf. Ant. fr. 1 περὶ τοίνυν ὧν, Isocr. V 109 περὶ τοίνυν Ἡρακλέους, Isae. III 72 ἐκ τοίνυν τούτων, contra Isocr. XII 57 ἐκ τούτων τοίνυν. semper vero coniunctio continuo post praepositionem collocabatur, si primum verbum eorum, quae a praepositione pendent, articulus est; quam legem etiam Rosenberg p. 114 ab Isocrate observatam esse intellexit, cf. Lys. XXXII 22, Dem. XXVIIII 37.

Rarissime autem alias τοίνυν in tertium enuntiati locum removetur, veluti And. III 40 τὴν αὐτὴν τοίνυν ἀρχήν, Isocr. XVII 51 τὸ τελευταῖον τοίνυν, Isae. XII 5 οὐ μόνον τοίνυν, Plat. Theaet. 145 e τοῦτ' αὐτὸ τοίνυν.

Sed scriptores posteriores plus sibi in ea re indulserunt, veluti Xenophon τοίνυν semper fere a καί removit, qua de causa τοίνυν apud eum subinde quartam sedem obtinet, veluti Hipp. VII 3, Oec. V 2, cf. Dem. XXXXIIII 52 τὸ μετὰ ταῦτα τοίνυν.

ΔΗ.

Particula δή, de qua in primis Baeumlein p. 98 sqq., Kuehner § 500 p. 677 sqq., Heller Philol. VIII 277 sqq. disputaverunt, non omnibus temporibus eodem modo usurpata est. iam si quaeremus, quid in eius usu immutatum sit, id nobis agendum erit, ut eos locos, ubi iuxta singulas voces posita vim adverbialem habet, ab eis segregemus, quibus coniunctionis vice fungitur.

I.

Genuina huius particulae significatio, qua rem quandam iam quasi elucere indicatur, ibi adparet, ubi aut unum verbum exaggerandi aut vim totius enuntiati augendi consilium est. itaque δή saepe cum γὲ coniunctum variis postponitur verbis et proprium subinde colorem sententiae adspergit, qui qualis loco quoque sit, facili negotio perspicitur.

Ex Herodoto, qui in hac re maximam sibi libertatem concessit, pauca exempla adferam. δή post verbum finitum positum est I 86, 108, V 80, VIIII 60, post pronomen personale in oratione ineunte I 115, VIIII 48, iuxta substantivum I 1 ἐς δὴ τὸ Ἄργος, 4, post adverbium I 111, IIII 113, V 92η.

Attici vero antiquiores huic consuetudini modum quendam statuerunt rariusque iam concesserunt, ut δή post quodlibet verbum collocaretur, cf. Ant. III β 1 νῦν δή, de Ath. rep. I 18 ὅς ἔστι (sic) δὴ νόμος. Thucydides, in cuius libris posterioribus plura et singularia huius usus exempla inveniuntur, quod non casu factum esse existimo, hoc modo δή post verbum finitum posuit I 39, 1, II 64, 5, VI 61, 2, VIII 87, 1, post infinitivum VIII 9, 1; 48, 5, post participium IIII 59, 3, post pronomen personale I 74, 1, iuxta nomen III 10, 6 αὐτόνομοι δὴ ὄντες, VI 10, 5 Ἐγεσταίοις δὴ οὖσι ξυμμάχοις, 80, 2 φίλους δὴ ὄντας, VII 81, 2 ὑστέροις δὴ οὖσι; IIII 67, 3 ἀφανὴς δὴ εἴη; deinde I 24, 2 κατὰ δὴ τὸν παλαιὸν νόμον, III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα, 104, 1 κατὰ χρησμὸν δή τινα, IIII 46, 4 κατ' εὔνοιαν δή, VII 77, 3 κατ' ἀξίαν δή; IIII 78, 2 μετὰ ὅπλων γε δή, V 105, 3 διὰ τὸ αἰσχρὸν δή, VII 56, 4 πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος ὄχλου; itemque VII 13, 2 ναυτικόν τε δὴ καὶ τἆλλα, 86, 4 χρήμασι δή, 87, 6 πανωλεθρίᾳ δή, post adverbium temporale VI 24, 2 νῦν δή καί, I 13, 5 et VIII 73, 5 ἀεὶ δή ποτε.

Posteriores rursus erant neglegentiores ac praecipue apodosis principio δή intexebant, a quocumque vocabulo ea incipiebat, veluti Lys. XXIII 6, Xen. Ages. II 14, cf. Her. I 108 et v. Kuehner p. 682.

1.

Sed magis magisque antiqui scriptores consueverunt δή post certa verborum genera collocare, etiamsi nonnumquam non ad id ipsum vocabulum, cui postponebatur, sed aut ad enuntiatum universum aut ad vocem aliquam vicinam referendum erat.

Etenim saepe δή legimus post adiectiva et adverbia numeralia, cf. Her. III 157, VIIII 99. ex Thucydide haec proferri possunt exempla: I 33, 2 ὀλίγοις δή, VII 55, 1 ἐν παντὶ δή, VIII 96, 5 πάντων δὴ ξυμφορώτατοι; VI 80, 1 μηδετέροις δή, VII 71, 7 οὐδεμιᾶς δή; II 64, 1 μόνον δή, V 26, 3 μόνον δή, VII 44, 1 μόνῃ δή; V 16, 1 πολλῷ δὴ μᾶλλον, idemque 50, 4; 63, 2, VI 56, 2, VII 55, 2, VIII 83, 1; 89, 1, et VI 61, 1 πολὺ δὴ μᾶλλον; II 17, 3 et III 51, 3 ὕστερον δή, II 62, 1 πολλάκις γε δή. his locis adiciendi sunt Ant. V 15 μόνος δή, 82 πολλοὶ δή, And. II 8 πολλοστὸν δή τι.

2.

Superlativum quoque δή frequenter sequitur: Her. VI 21 μάλιστα δή, 127 πλεῖστον δή, μέγιστα δή. plures eius modi loci exstant in Thucydidis libris, qui superlativum certorum potissimum adiectivorum cum δή consociavit: μέγιστος I 1, 2; 50, 2, II 31, 2; 64, 3, III 113, 6, V 74, 1, VI 13, 1; 17, 5; 92, 5; VIII 1, 2; 41, 2; 96, 1; πλεῖστος I 122, 4, II 64, 3; 97, 3, III [17, 1], IIII 74, 4, V 74, 1; 113, VI 54, 5, VII 56, 4; μάλιστα II 49, 1, III 39, 1, IIII 55, 2; 108, 3, V 28, 2, [66, 2]; 72, 2; ἥκιστα VII 86, 5, VIII 97, 2. praeter quos hi tantum superlativi a Thucydide cum δή coniuncti sunt, quorum plurimi in

extremos libros cadunt: I 138, 3 βεβαιότατα δή, III 98, 4 βέλτιστοι δή, VI 31, 1 πολυτελεστάτη δὴ καὶ εὐπρεπεστάτη, 33, 4 κάλλιστον δή, VII 19, 1 πρῴτατα δή, VIII 76, 4 ἐλάχιστον δή, 106, 1 ἐπικαιροτάτην δή.

3.

Omnes autem scriptores pariter δή ponere solebant post pronomina et adverbia demonstrativa, cf. Her. I 102; 163 (ubi pronomen indefinitum sequitur, id quod saepius fit apud Herodotum, cf. Stein ad h. l.), 192; Thuc. I 11, 3, III [17, 4], IIII 58; 92, 4, VI 54, 4; 92, 5; IIII 22, 2, VIII 1, 2; Ant. VI 34.[1]) creberrime vero voces demonstrativae cum δή coniungebantur, ut principem apodosis locum obtinentes protasim, quam vocant, complecterentur, velut Her. VII 10β τοῦτο δή; III 128, 134, VI 111 ἐνθαῦτα δή; I 64, 94, III 16, 108, VII 158 οὕτω δή. cum igitur Herodotus eo consilio inprimis ἐνθαῦτα δή et οὕτω δή usus esset, Thucydides, in cuius libris ἐνταῦθα δή ter ita positum repperimus (I 91, 4, II 58, 2, VIII 53, 3 et ἐντεῦθεν δή II 74, 2), non modo οὕτω δή scripsit sed etiam τότε δή denis locis (οὕτω δή: I 131, 1, II 12, 4; 19, 1; 70, 1; 83, 3, III 98, 1, IIII 73, 4; 75, 1, VIII 71, 2; 99; τότε δή: I 49, 7; 58, 1, II 84, 3, IIII 78, 1; 127, 2, V ⟨16, 1⟩, 17, 2; 58, 1, VII 18, 3, VIII 92, 2). apud ceteros autem eius aetatis scriptores iam nihil huiusce modi animadverti nisi τότε δή: Ant. VI 38, And. I 65, 122 (omnibus his locis post ἐπειδή), Lys. XXXIIII 1.

4.

Iam agamus de particula δή post pronomina interrogativa et relativa posita. apud Herodotum, qui I 30 κοίῃ δή, VIIII 48 τί δή, quo loco utroque quidam loqui incipit vel se incipere simulat, scripsit, hoc modo, ut Hoffmann § 4 vult, admiratio et indignatio interrogantis significatur. deinde adferendus est locus Ant. V 57, ubi orator testibus interrogatis iam novum argumentum profert. nusquam autem praeterea Attici antiquiores δή post pronomen interrogativum posuerunt. contra magis id frequentabant Demosthenes, cf. XV 26, eiusque aequales, deinde maxime Xenophon (Oec. VII 16, 17, Cyr. I 6, 22, III 1, 38, Comm. IIII 2, 21) et Plato, qui saepe hoc modo transitum rhetoricum effecit, veluti Euthyphr. 10e πῶς δή; de rep. V 454a τί δή; I 333a τί δὲ δή; cf. Birkler, die oratorischen Transitions- und Argumentationsphrasen p. 42.

---

[1]) Sed V 38 et VI 41 ego huc non rettulerim, quia illo loco pariter ac V 90 ἄν, quod desideratur, facillime restitui potest ex δή, quod traditum est, quas particulas saepe inter se confusas esse a librariis Cobet nov. lect. p. 549 docuit; hoc loco δέ iniuria a Baitero et Schaefero p. 41 in δή mutatum est, verba enim καὶ πρῶτον, ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὔ φασιν ἐθέλειν αὐτὸν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην cum eis, quae antecedunt, coniungenda et a τοῦτο δέ novum enuntiatum incipiendum esse pro certo habeo.

Aliter res se habet in enuntiatis relativis aliisque eius modi enuntiatis secundariis, quibus δή post primam voculam positum semper in usu fuit. quapropter ego ea tantum exempla, quae in libris Atticorum antiquissimorum leguntur, adferam: Thuc. I 128, 1 et II 21, 1 et 42, 1 δι' ὃ δὴ καί, V 10, 8, VI 18, 2; 63, 2, VII 62, 3 post pronomina; II 24, 1; 29, 4, V 90, VIII 84, 3 post adverbia; πρὶν δή, quod ubicumque in libris illorum temporum legi, cum indicativo coniunctum vidi (cf. Sturm, geschichtliche Entwicklung der Constructionen mit πρίν pp. 50, 82, 85, 90), Thuc. I 118, 2; 132, 5, III 29, 1; 104, 6, VII 39, 2; 71, 5; ὅτε δή [1]) II 102, 4, III 54, 5; ὅτι δή IIII 23, 1, VIII 48, 5; ὅπως δή V 85, VII 18, 1; ἵνα δή VII 26, 2; de Ath. rep. III 9 ὅπως δή; And. II 9 ὅτε δή, 16 οὗ δὴ καὶ μάλιστα, [IIII] 14 οὗ δὴ μάλιστα.

Atque uno verbo dicendum est δή paucis locis adiectum esse pronominibus relativis, ut aeque ac particula οὖν vim generalem eis tribueret, veluti Her. I 160 ὅσῳδή, III 121 ὅτευδή aliisque locis; Thuc. VIII 87, 6 ᾑτινιδὴ γνώμῃ. qui locus cum illa aetate sit unicus apud Atticos, temporibus inferioribus tales saepius nobis occurrunt, cf. Dem. VIII 1 ᾑτινιδήποτ' αἰτίᾳ, XVIII 261 ὁπωσδήποτε.

5.

Nec raro δή ad imperativum confirmandum adponitur, cf. Thuc. VII 77, 2 ἀλλ' ὁρᾶτε δή. sed longe plurimi loci, qui hic adferendi sunt, praebent formas φέρε δή, ἄγε δή, ἴθι δή, similes. ac Xenophontis et Platonis temporibus ἄγε δή et ἴθι δή satis saepe reperiuntur, cf. Xen. Oec. XVIII 10, XVIIII 3, Plat. Gorg. 500e, apud Herodotum autem et Atticos antiquiores nusquam leguntur. quid? quod ne φέρε δή quidem Herodotus Thucydidesve ullo loco scripserunt, quamquam solum φέρε exstat Her. I 11, II 14 aliisque locis. ii autem loci, quibus primis φέρε δή legitur, hi sunt: Gorg. Hel. 9, Ant. V 36, de Ath. rep. III 5, 7. his locis ut eos adnumerem, quibus alia coniunctio addita non est, ita quidem, ut δή pro coniunctione habendam esse negem, eo commoveor, quod omnibus his locis ad novum quid transitur; unde patet coniunctionem non necessario desiderari atque laxam illam enuntiatorum compagem tolerari posse. quae cum ita sint, praestat omnes eius generis locos eodem modo explicare. longe frequentius autem quam hi, quos modo nominavimus, Andocides hac verborum conformatione φέρε δὴ usus est in oratione prima; orationes II. et III. nullum eius exemplum continent; nam ad eos locos, quos p. 191 commemoravimus, I 21, 90, 117, 128, quibus φέρε δὴ τοίνυν legitur, accedunt I 27 post moram in dicendo, 47 post testes productos, 57. in idem tempus incidunt Lys. [VI] 46, XII 62.

---

[1]) ἐπειδή, quamquam eodem modo ortum est quo ὅτε δή, iam quasi una vox accipiebatur, id quod eo ipso elucet, quod apud Thucydidem ὅτε 67 (+ὅταν 30), ὅτε δή duobus tantum locis, contra ἐπεί 45, ἐπειδή 234 (+ἐπειδάν 7) locis legitur.

6.

Maioris vero ponderis nobis esse videntur ii loci, quibus δή cum particulis paratacticis, quae vocantur, copulatum est. in quibus principem locum obtinet particula καί. nam hac vocula cum δή coniuncta quattuor formulae, ut ita dicam, oriuntur: καὶ δή, καὶ δὴ καί, καὶ μὲν δή, καὶ μὲν δὴ καί, quas deinceps tractabimus. atque ut ab ea, quam primo loco posuimus, καὶ δή, exordiamur, varia vis in hoc καί inesse potest, cum aut enuntiata aut verba singula coniungat aut Latino *etiam* respondeat. varii huius usus exempla multis locis Herodoti inveniuntur, velut I 174, VIIII 31, 67; VII 196; VIIII 48, 66. sed ii Attici antiquissimi, qui sermoni artificioso studebant, καὶ δή omnino vitabant; nam ut in Gorgiae Helena ita in Antiphontis orationibus ne uno quidem loco id legitur. Thucydidis libri unum tantum exemplum praebent, II 41, 4, ubi, quamquam καί et δή cohaerent, tamen οὐ intercedit. eo magis nos, si modo Palamedem genuinum esse Gorgiae librum statuendum est, miros habet id, quod hic § 7 [et 11] καὶ δὴ τοίνυν legimus. qui vero ad sermonem popularem reverterunt, non tanta constantia καὶ δή repudiaverunt, qua de re conferas de Ath. rep. II 11, And. I 41. nec scriptores aetate inferiores his particulis coniunctis uti dubitaverunt, cf. Lys. XIII 4, XVIIII 51, Dem. II 13, Xen. An. V 7, 9.

Maiorem autem inesse gravitatem in καὶ δὴ καί patet, quo unus omnium creberrime Herodotus usus est. is his particulis adnectere solet membro membrum, quod maioris illo ponderis est, sive sententia, quae adnectitur, eiusdem generis est atque antecedentia, in quibus plerumque pronomen ἄλλος et particula τὲ legitur (I 29, III 152, VI 21, 86α, 137, VII 23, 153; IIII 150, I 214m.), sive aliud quid illa in orationem inducitur (I 8, 30, 75, 214, II 115, VII 1, VIII 132). praeterea καὶ δὴ καί deprehendimus in καὶ γὰρ δὴ καί, de qua locutione Herodotea p. 167 dictum est, cf. Broschmann cap. III § 2 C a β. adde quod Hippocrates quoque etsi non tam frequenter καὶ δὴ καί usus est, cf. Kuehlewein p. 76. primus autem post Herodotum et Hippocratem καὶ δὴ καί exhibet Lys. XIII 40, ad quem locum vim particularum Frohberger recte explicat his verbis: *Fortschritt vom Allgemeinen zum Speciellen.* ac ne eis quidem temporibus, quae secuta sunt, scriptores his particulis favisse videntur. nam, ut alia omittam, toto Xenophonte quattuor tantum exstant exempla, cf. Roquette p. 39: Cyr. I 6, 21 ἐν ἄλλοις τε πολλοῖς καὶ δὴ καὶ ἐν τοῖς κάμνουσιν, Hell. V 4, 4 τά τε ἄλλα ἐπεμελεῖτο ... καὶ δὴ καὶ γυναῖκας ... ἔφη ἄξειν, Cyr. IIII 2, 1, Hell. VI 4, 13.

Venimus iam ad particulas καὶ μὲν δή, quibus semper rem parvam et exilem a Lysia induci Schepe p. 15 exposuit.[1]) harum particularum con-

[1]) Cf. quae Gebauer in ed. Lysiae p. 229 dicit: *Was Birkler* (Ehingen 1867) *p.* 15 *bemerkt, dass die kürzere Figur* καὶ μὲν δή *innerhalb eines Theiles dazu diene, eine letzte Erweiterung*

iunctionem Herodotus nondum cognitam habebat atque Attici etiam antiquiores admodum raro ea usi sunt. loci enim, quibus ea legitur, hi sunt: Ant. V 51, Thuc. III 113, 4 (quo loco ad eam coniunctionem significatione adversativa adhibitam γὲ accedit, quod postea saepe fit), And. I 20 (ubi item vis adversativa adparet, quae γὲ adposito augetur). maxime autem adamavit eam coniunctionem Lysias, qui XVIII locis ea usus est: IIII 13, [VI] 15, VII 36, X 5, 29, XII 30, 35, 49, 89, XIIII 12, 32, 34, 43, XV 9, XXI 23, XXII 19, XXV 17, XXVI 11; quibus locis decies continuo post καὶ μὲν δή vocativus legitur, semel tantum (XXVI 11) γὲ sequitur. cum igitur καὶ μὲν δή apud Lysiam frequentissimum sit, ex contrario apud Isocratem non reperitur nisi uno loco (III 16), apud Xenophontem teste Roquettio tribus tantum (Cyr. I 6, 3, V 5, 44, VI 2, 23), nisi eos addere velis, quibus μὲν δή verbo interposito a καί seiungitur, veluti Hiero II 12 et 18. neque multo pluribus locis καὶ μὲν δή invenias apud Platonem, cf. Conv. 197 a καὶ μὲν δὴ τήν γε τῶν ζῴων ποίησιν, Hipp. I 290 a καὶ μὲν δὴ ταύτην γε τὴν ἀπόκρισιν.

Amplificatur nonnumquam illa coniunctio eo, quod alterum καί sive οὐδέ additur. atque καὶ μὲν δὴ καί, quod in Herodoti Thucydidisque libris frustra quaeras, iam legitur Ant. V 63 [1]) et And. I 140. Lysias vero, apud quem καὶ μὲν δή totiens exstare vidimus, his tantum locis καὶ μὲν δὴ καί adhibuit: XVIII 9 καὶ μὲν δὴ ὦ ἄ. δικασταὶ καί et XXVIII 17 καὶ μὲν δὴ ὦ ἄ. 'Α. καί, καὶ μὲν δὴ οὐδέ XXII 21 et in fr. 23. sed omnium maxime Isocrates his particulis favit, quem semper fere post καὶ μὲν δή posuisse alterum καί Ljungdahl p. 42 docet, quod, ut huius verbis utar, *unam aliquam notionem efferret et in simili genere cum prioribus versari significaret*, cf. III 36, IIII 40, VII 66, VIII 24, XI 21, 36, 49, XV 191, XVII 29, XXI 20. ceterum, quod idem Ljungdahl animadvertit, neque οὐδέ umquam adhibuit Isocrates neque γὲ adiecit. quod autem III 16 solum καὶ μὲν δή scripsit, ea de causa opinor fecit, quod paulo post aliud καί sequitur. ex ceteris oratoribus Isaeus memorabilem locum exhibet X 12, ubi γὲ particulis καὶ μὲν δὴ οὐδέ adponitur. nullo vero loco oratorum Atticorum, id quod Gebauer in ed. Lys. p. 229 observavit, legimus καὶ μὲν δὴ καὶ... γέ, quae particulae coniunctae sunt Plat. Gorg. 507 b, de rep. V 464 b. Xenophon denique duobus tantummodo locis καὶ μὲν δὴ καί scripsit eisque sede inter se vicinis: Cyr. VIII 4, 8 et 17.

His particulis subiciendae videntur ἀλλὰ δή et ἀλλὰ μὲν δή. quae particulae quamquam ab Herodoto atque etiam, si Thuc. VI 38, 5 (ἀλλὰ δή)

---

des Gedankens sogar bis zur Bedeutung eines blossen Anhängsels anzubringen, kann im allgemeinen als richtig gelten.

[1]) Ubi nequaquam καί ante τῆς χρείας positum referendum est ad tertium καί ante τῆς Λυκίνου, quia verba τῆς χρείας τῆς ἐμῆς καὶ τῆς Λυκίνου unam eandemque efficiunt notionem (familiaritatem significant, quae inter ipsum et Lycinum intercedebat), quae nullo pacto in duas partes divellenda est.

excipias, ab Atticis, qui ante Lysiam scripserunt, non adhibentur, mirum est tamen ter in Gorgiae Palamede (7, 8, 18) ἀλλὰ δή legi. e Lysiae autem orationibus huc pertinent hi loci: [VI] 39 ἀλλ' οὐ μὲν δὴ ἕνεκά γε τούτου, XIII 27 ἀλλὰ μὲν δὴ οὐχ ὅμοιά γε, XIIII 44 et XXVI 22 ἀλλὰ μὲν δὴ οὐδέ. sed numquam apud eum ἀλλὰ δή reperitur. contra satis saepe et ἀλλὰ δή et ἀλλὰ μὲν δή inveniuntur apud Platonem et Xenophontem, cf. Plat. Euthyphr. 10d ἀλλὰ μὲν δὴ διότι γε, Crito 54a ἀλλὰ δή, Xen. An. VI 3, 16 ἀλλὰ δή.

Quoniam de particulis copulativis et adversativis cum δή coniunctis sermo est, ilico de τὲ δή et δὲ δή disseramus. sed quia τὲ et δέ et ceterae particulae, de quibus postea dicemus, alteram semper vocem secuntur, particula δή autem demum post illas collocatur, fieri potest, ut scriptor interdum δή non cum particula antecedenti, sed cum vocabulo, quod illi praegreditur, mente coniungi voluerit, quos locos a ceteris bene distinguere magni momenti est ad quaestionem, quam instituimus. quapropter locos, qui huc pertinent, accuratius examinemus necesse est.

Atque ut a τὲ δή incipiamus, ubicumque id apud Herodotum ita, ut δή non coniunctionis vice fungatur vel fungi videatur, invenimus, particulam δή ita positam esse videmus, ut, etiamsi τὲ abesset, ipsa eodem loco manere posset, cf. I 86, II 141, III 108 αὐξόμενός τε δή, V 92η, VI 50. neque igitur est, quod dicamus Herodotum particulis τὲ δή quasi una coniunctione usum esse. idemque valet de Thucydide, qui ter tantummodo δή post τὲ collocavit: IIII 40, 1 παρὰ γνώμην τε δή,[1]) 63, 2 τὸ ξύμπαν τε δή, VII 13, 2 παρὰ γνώμην ναυτικόν τε δὴ καὶ τἆλλα ... ὁρῶσιν. his locis particulae τὲ praecedunt vocabula, quorum similia alias quoque cum δή coniungi vidimus. nec vero umquam ceteri Attici antiquiores δή iuxta τὲ posuerunt.

Si autem particularum δὲ δή usum per libros Herodoteos persequimur, inveniuntur quidem loci, quibus δή ad vocabulum ante δέ positum referendum esse videatur, veluti I 84, II 115. multo plures tamen loci ita sunt comparati, ut dubium non sit, quin particulae δέ et δή arte inter se conexae sint et utraque ad totam sententiam pertineat. id quod maxime valet de locutione ἐν δὲ δὴ καί, cui adiectivum ἄλλος antecedere solet, cf. I 184, 185, 192, VI 50, et de eis locis, quibus membrum, quod a μὲν δή incipit, praegreditur, cf. I 95, III 108. sed aliis etiam locis δή additum videtur ad augendam vim particulae δέ simulque totius sententiae, veluti VII 9γ, 10η. Thucydides autem bis tantummodo δὲ δή adhibuit: III 40, 4 εἰ δὲ δὴ καὶ οὐ προσῆκον ὅμως ἀξιοῦτε, VI 37,

---

[1]) Ad quem locum Classen haec adnotavit: δή *führt die natürliche Folge des unerhörten Vorganges ein; darum kann aber* τὲ *diesen Satz nicht mit dem vorigen verbinden, sondern steht mit dem zweiten* τὲ — *in Verbindung.* qua in re ille falsus est. cum enim res ipsa modo narrata sit, non consequentia, sed simplex iudicium vocanda est sententia: *es kam den Hellenen wider Erwarten.* immo enuntiata vocula τὲ coniunguntur, particula δή autem significatur consentaneum esse id praeter exspectationem Graecis evenisse.

1 εἰ δὲ δή, ὥσπερ λέγονται, ἔλθοιεν. qui loci similitudinem quandam habent inter se et cum Gorg. Pal. 10 λαβὼν δὲ δὴ πῶς ἂν ἔκρυψα; hi sunt igitur omnes, quibus δὲ δή apud Atticos antiquiores legitur. patet autem et his locis et eis, qui in scriptis Atticorum posterioris aetatis insunt, cf. Dem. I 27, Aesch. II 112, Xen. An. III 1, 38, Cyr. I 3, 4, δέ et δή coniungenda esse. dubito tamen, an transeundi formula τί δὲ δή; in dialogis Platonis usitata ita intellegenda sit, ut δή ad pronomen interrogativum referatur. quodsi iam ea, quae disputavimus, complectimur, δέ et δή plerisque locis artissime inter se coniuncta esse intellegitur.

Simile quid de γὰρ δή dicendum est. nam etsi hic illic δή ad vocabulum, quod particulae γάρ antecedit, referendum esse videtur, plerumque tamen γὰρ δή quasi unius coniunctionis loco habendum est magna cum gravitate pronuntiatae, cf. Baeumlein p. 100. in primis autem Herodotus particulis γὰρ δή ita usus est,[1]) velut οὐ γὰρ δή I 74, 75, 97, 197, II 13, VII 237. neque vero desunt loci, ubi Herodotum δή non cum γάρ, sed cum verbo praegresso coniungi voluisse manifestum sit. id quod etiam Broschmann concessit de ἐπεὶ γὰρ δή, cum p. 78 diceret nihil omnino interesse inter eos locos, quibus legimus ἐπεὶ γὰρ δή (VIII 37), et illos, quibus particulae ἐπεί et δή in unam vocem ἐπειδή conflatae sunt. praeterea hic adferri possunt I 32 f., II 14, 107, III 118.

Sed iam ad Thucydidem nos vertamus. quodsi eos locos excludimus, quibus vox antecedit, cui alias quoque a Thucydide δή adponi vidimus (III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα; II 67, 4 πάντας γὰρ δή, 77, 2 πᾶσαν γὰρ δὴ ἰδέαν, VI 33, 4 ὀλίγοι γὰρ δή, VII 70, 7 πολλὴ γὰρ δή, 71, 2 πάντων γὰρ δή; VII 70, 4 πλεῖσται γὰρ δή, 75, 7 μέγιστον γὰρ δή, 85, 4 πλεῖστος γὰρ δή; I 8, 1 οὗτοι γὰρ δή, III 57, 3 ἐς τοῦτο γὰρ δή, VI 103, 3 οὗτος γὰρ δή, VII 62, 4 ἐς τοῦτο γὰρ δή), tredecim loci restant, quorum septem a particula οὐ incipiunt: I 122, 4, IIII 87, 4, V 111, 3, VI 33, 4; 69, 1; 76, 2; 77, 1; I 81, 6 μὴ γὰρ δή, 93, 4 τῆς γὰρ δὴ θαλάσσης, II 40, 3 διαφερόντως γὰρ δή, IIII 46, 4 μέλλειν γὰρ δή, 117, 2 τοὺς γὰρ δὴ ἄνδρας, V 60, 3 στρατόπεδον γὰρ δὴ τοῦτο. ergo Thucydidi coniunctio γὰρ δή non tam accepta quam Herodoto erat.

Neque ceteri scriptores Attici superioris aetatis saepe γὰρ δή usurpaverunt; nullum enim apud eos, qui huc pertineat, locum reperimus praeter Ant. IIδ 2, V 36, VI 10 et And. II 15. neque hi loci omnes eiusdem generis sunt. nam Ant. IIδ 2 δή ad καινότατα, V 36 ad φέρε referendum esse, non ad γάρ patet. iam duo loci supersunt, quibus γάρ et δή artius inter se cohaerere intellegitur: Ant. VI 10 et And. II 15. quorum in priore iniuria Schaefer p. 42 δή in δή που mutari iussit. quo enim ille maxime offensus est, quod hoc loco

---

[1]) Cf. Hoffmann § 4 et vide, quae Broschmann p. 76 dicit: *quamquam notum est voculam δή persaepe ita adhiberi, ut trahenda sit ad singulas voces . . ., tamen ubi cum particula γάρ coniuncta legitur, cum hac ipsa ad omnem semper enuntiationem pertinere mihi quidem videtur.*

δή in enuntiato negativo legitur, cum Antiphon in enuntiatis negativis semper δή που pro δή posuerit, id nihili est, quia ex locis illis Thucydideis discimus γὰρ δή in enuntiato negativo nequaquam inauditum esse.

Apud scriptores autem posteriores saepius γὰρ δή invenimus cum apud oratores, e quibus Gebauer, de argumenti ex contrario formis p. XVII sq. sat multos eius generis locos contulit, tum apud Xenophontem Platonemque, ex cuius uno libro, Apologiam dico, Baeumlein p. 100 septem locos congessit.

Etiam post ὦν legimus δή apud Herodotum, quem omnes particulas eximie frequentasse et cumulasse identidem vidimus, cf. I 115, III 121, IIII 203; particulas autem ὦν δή semper una comprehendendas esse inde sequitur, quod scriptor, si id noluit, δή anteposito dixit δὴ ὦν, veluti I 80, 180. primum autem eius coniunctionis post Herodotum exemplum repperi Lys. XXVIIII 4. crebrius οὖν δή adhibitum est a Platone, veluti Gorg. 480a, Theaet. 146a.

Denique ii loci commemorandi sunt, ubi voculae δή particula adseverativa ἦ antecedit. legitur autem ἦ δή apud Herodotum II 14, V 92α, VI 50; ἦ που δή, quod Latino *nedum* respondet, apud Thucydidem I 142, 3, VI 37, 2, ⟨VIII 27, 3⟩.

II.

Quanto opere usus particulae δή temporum decursu commutatus sit, maxime intellegitur eis locis consideratis, quibus δή ad coniungenda enuntiata aut adhibetur aut adhiberi videtur. huius quoque quaestionis fundamentum ita iaciamus, ut ab Herodoti consuetudine proficiscamur; quamquam in ea re aliorum ope destituti sumus, quia nemodum in illam accurate inquisivit, quantumvis id operae pretium esse pateat. nam Hoffmanni opusculo satis exili nihil, quod ad eam rem illustrandam spectet, continetur. proinde ipsi, quantum in nobis virium est, hanc rem adumbrare conabimur.

Ac primum quidem ea enuntiata respiciamus, quorum initio pronomen vel adverbium demonstrativum legitur. saepe enim eius modi locis iuxta vocem demonstrativam δή ponitur, id quod etiam in mediis enuntiatis fieri supra vidimus: sic legitur post pron. dem. I 23, II 141, III 102 bis; adde I 114 εἷς δὴ τούτων τῶν παίδων, V 3 εἰσὶ δὴ κατὰ τοῦτο ἀσθενέες, 97 νομίζουσι δὴ ταῦτα; οὕτω δή I 3, 83, III 128, VIIII 66, 117; ἔνθα δή I 26, 43, 59; ἐνθαῦτα δή VI 77, 80. sicut autem libri Herodotei permultos eius modi locos exhibent, ita non minorem continent numerum eorum, quibus enuntiata a voculis demonstrativis incipientia sine coniunctione adnectuntur eis, quae antecedunt. veluti in primo enuntiato posita sunt pron. dem. I 4, II 46, III 156, VI 108m., VIII 5m.; I 141, III 137m., IIII 150 f.; οὕτω II 2, III 31, V 76, VII 137, VIII 132; ἐνθαῦτα VI 126, VIII 84; τότε VII 10γ, 144. ergo existimare licet Herodotum δή non ad enuntiata coniungenda interposuisse, sed ut demonstrativa significatio

certius definiretur. neque potest negari profecto aliquid interesse inter οὕτω et οὕτω δή, cf. Gomperz, Herodoteische Studien p. 559.

Simili ratione, si eos locos circumspicimus, qui particulis μὲν... δέ bipartito et antecedentia concludunt et ad novam rem nos traducunt, enuntiatis, quibus δή insertum est, opponi possunt enuntiata particulis non coniuncta cum antecedentibus. talia asyndeta, in quibus semper fere voces demonstrativae leguntur, exstant I 2, 5, 100, II 2, III 33, IIII 67, VI 127, 128, VII 153; I 22, II 116, III 128, VII 11, 23, 158, VIII 84, VIIII 29. quibus cum locis tales componendi sunt, quales sunt I 181 (τοῦτο μὲν δὴ τὸ τεῖχος θώρηξ ἐστί), 185, VI 48, 127, VIII 7, quibus omnibus locis primum verbum est pronomen demonstrativum, quod aliis locis paulo post initium legitur, velut I 9, 32, 102, 164, II 139, III 31, 134, VI 69, 107, VII 10η. aliis rursus locis vox illa demonstrativa non conspicitur, veluti I 21, III 119, VI 5, 108 f. nonnusquam autem sententia, qua antecedentia comprehenduntur et concluduntur, enuntiato secundario vel participio continetur, cf. I 10 (ὁ μὲν δὴ ὡς οὐκ ἠδύνατο διαφυγεῖν, ἦν ἑτοῖμος), VI 86γ, VIII 8; II 2, VI 108.

His locis proxime accedunt eae periodi, quarum priore membro, cui μέν insertum est, ex eis, quae supra dicta sunt, sententia repetitur vel vocabulum, a quo transitus fiat ad membrum alterum: I 11, 26, 95, VII 145, 196; VI 86δ, VIII 85. sed loci quidam iique pauci, qui ipsi quoque duo membra amplectuntur particulis μὲν... δέ instructa, aliter comparati sunt, cum aut ea, quae antecessit, sententia fusius explicetur, cf. IIII 11, VI 127 (v. asyndeta I 184, III 107) aut, quid ex antecedentibus per se pateat, significetur, cf. VII 59, VIII 84, aut novum quid addatur cum eis, quae praegrediuntur, consentaneum, cf. I 132, II 111, 138, V 36 in.

His eae quoque periodi adnumerandae sunt, quae in binas partes particulis τὲ... καί copulatas dividuntur ita, ut in initio earum post τὲ particula δή legatur. plerisque eius modi locis ea, quae antecesserunt, priore membro concluduntur, sive, quae iam dicta sunt, hoc membro iterum explicantur, cf. II 124, V 86, 108, VI 49m., VII 144, sive hoc ea, quae continuo ex illis consecuntur, continentur, cf. I 214 ἥ τε δὴ πολλὴ τῆς Περσικῆς στρατιῆς αὐτοῦ ταύτῃ διεφθάρη καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Κῦρος τελευτᾷ, III 76, 108 f., V 51, 89, VI 49 in., VII 23, 217. neque desunt loci, quibus ad antecedentia revocemur, veluti II 46, IIII 53, VII 223. verum alii loci simillime constituti ita explicandi esse videntur, ut τὲ enuntiatum cum antecedenti coniungat, δή ad unum verbum referendum sit, cf. I 13, 214 χρόνον τε δὴ ἐπὶ πολλὸν συνεστάναι μαχομένους καὶ οὐδετέρους ἐθέλειν φεύγειν, VIIII 26; eodem loco in simili structura δή abest: ἔδοξέ τε τοῖσι Πελοποννησίοισι ταῦτα εἶναι ποιητέα καὶ ἔταμον ὅρκια.

Denique praeter eos locos, quibus δή iuxta pronomen demonstrativum vel particulam μέν (τὲ) positum coniunctionis munere fungi videtur, raro legitur in initio enuntiatorum, in quibus alia coniunctio posita non est, veluti

I 11, 147, III 156, VI 86α. his quoque locis δή non ad enuntiata conectenda, sed ad vim verbi primi augendam adhiberi itaque hoc enuntiatum non arte cum eis, quae antecedunt, coniunctum esse iure statuere possis, quia Herodotus gravissimo enuntiati verbo praemisso non prorsus ab asyndeto abhorruit, cf. VI 21, VII 10ε, 238 et ea, quae Stein adnotavit ad I 20.

Quodsi hunc usum Herodoteum brevibus complectimur, particula δή, ubi in initio enuntiatorum alia coniunctione non adiecta legitur, plerumque adverbialem vim retinere videtur, quia his locis aut vox aliqua demonstrativa aut particula μέν in priore membro posita aut denique gravissimum enuntiati verbum primo loco collocatum quodam modo supplent particulam coniunctivam omissam, tametsi nonnusquam usus huius particulae propius ad similitudinem ceterarum coniunctionum conclusivarum accedit.

Intra eosdem fines Thucydides se continuit. etenim apud eum post voces demonstrativas, quibus praemissis etiam asyndeton admisit, cf. I 54, 1, IIII 39, 2 et Gebauer in ed. Lys. p. 250, particulam δή invenimus hisce locis: I 127, 1, V 43, 1 κατὰ τοιαύτην δὴ διαφοράν, VIII 85, 1 κατὰ δὴ τοιαύτην διαφοράν, 95, 5 διὰ τοιαύτης δὴ παρασκευῆς; V 64, 2 et VIII 56, 5 et 67, 3 ἐνταῦθα δή; VIII 39, 4 ἐντεῦθεν δή; II 6, 3 οὕτω δή, idemque IIII 30, 3, ubi facilius est καί expungere quam in ἐπεί mutare. huic exemplorum generi adsignandus mihi esse videtur locus multum vexatus I 141, 1 αὐτόθεν δὴ διανοήθητε, cuius primo verbo significari nostrum *auf der Stelle* magis magisque consentiunt viri docti. sed demonstrativam vim in ea voce inesse etiam Bonitz concessit, cum haec diceret in libello, qui inscribitur Beiträge zur Erklärung des Thucydides, p. 33: *Dass es dabei zunächst heissen mag 'unmittelbar von dieser Lage, von diesen Umständen aus', braucht nicht geleugnet zu werden.*

Deinde Thucydides sicut Herodotus, sed multo rarius δή eis enuntiatis inserit, quorum uno membro, in quo μέν ponit, partem narrationis absolvit, altero membro narrare pergit. cuius generis asyndeta leguntur I 36, 4; 54, 2, II 5, 6, III 28, 2. particulam δή autem exhibent hi loci: I 53, 3, II 4, 7, III 24, 3, IIII 119, 3, V 113, quibus locis omnibus pronomen demonstrativum legitur; deest illud I 45, 4 et IIII 39, 3.

Sed iam de duobus locis mihi dicendum est plane singularibus, quorum altero, I 142, 7, interrogatio legitur, quae particula δή sententiae ante interclusionem οὐδὲ γὰρ ὑμεῖς — ἐξείργασθέ πω collocatae adnectitur; alteri, II 89, 4, consecutivum sententiarum contextum subesse concedendum est, quamquam etiam hoc loco particula δή prope imperativum posita vim suam propriam, confirmativam dico, satis manifesto ostendit. quodsi illam interrogationem et hunc imperativum neglegimus, Thucydides coniunctionem δή non adhibuit nisi post vocem demonstrativam aut particulam μέν, qualibus locis etiam asyndeta admisit. itaque non bene Krueger I 37, 2 et III 61, 2 δή in textum recepit contra codicum auctoritatem, nec bene Classen IIII 40, 1 δή pro con-

iunctione conclusiva habuit, nec bene multi, qui Thucydidis historias ediderunt, VI 89, 2 Reiskium secuti codicum lectionem δ' ἡμῶν in δὴ ἐμῶν immutaverunt.

Rarius etiam quam Thucydides particula δή sola in initio enuntiatorum usus est Antiphon, in cuius sex orationibus, si eos locos omittimus, qui recte ab aliis iam emendati sunt (II α 3, V 49, 73, nuperrime III δ 9 a Kohmio, Mel. Vindob. VIII 46), duo relincuntur loci: IIII γ 2 δή post imperativum et V 19 οὑτωσὶ μὲν δὴ πολλοῖς ἐλασσωθεὶς τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων καὶ τοῦ δικαίου καθέστηκα εἰς τὸν ἀγῶνα· ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι, qui locus omni ex parte similis est illis, quos et apud Herodotum et Thucydidem maxime usitatos esse vidimus.

E libello de re publica Atheniensium unus locus huc pertinet III 2 ἆρα δή τι θαυμαστόν ἐστιν εἰ τοσούτων ὑπαρχόντων πραγμάτων μὴ οἷοί τ' εἰσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις χρηματίσαι; λέγουσι δέ τινες eqs., qui dignus est, quem diligentius examinemus. rhetorica enim interrogatio vel potius sententia negativa, quae ei subest, primo obtutu consequentiam videtur continere eorum, quae ante dicta sunt. sed locus iste eo insignis est primum, quod adpositis verbis τοσούτων ὑπαρχόντων πραγμάτων antecedentia comprehenduntur, deinde quod in hoc capite ineunte similia verba leguntur: πῶς ἂν καὶ οἷοί τε εἶεν, qua re certius fit has sectiones inter se arte cohaerere atque quodam modo corpus aliquod esse, quod hoc enuntiato concluditur, denique eo, quod verbis λέγουσι δέ ad aliam rem transitur. etiamsi igitur in priore membro μέν non exstat, tamen quam proxime hic locus accedit ad eos, quos totiens apud Herodotum Thucydidemque repperimus.

Sed quam diversus fuerit, qui erat temporibus illis, usus coniunctionis δή ab eo, qui aetate posteriore vigebat, si quis, Andocides declarat. nam cum orationes II. et I. inter XVI locos, qui δή exhibent, plane nullum contineant, quo δή in initio enuntiatorum ad enuntiata coniungenda adhibeatur, in oratione tertia particula δή utroque loco, quo legitur, pro coniunctione habenda est. nam § 4 ἓν δὴ τοῦτο ὦ Ἀ. πρῶτον σκεψώμεθα consecutiva huius coniunctionis vis facile cognoscitur, § 27 σκεψώμεθα δὴ καὶ τοὺς Ἀργείων λόγους, quo idem verbum σκεψώμεθα exstat, orationem progredi hac vocula indicari videtur. tum igitur particula δή iam prorsus tamquam coniunctio conclusiva usurpari coepta erat, quem usum accuratius persequi per ea, quae sequebantur, tempora non meum esse puto. hunc usum liberum cum ab aetate superiore abiudicandum esse viderimus, non licet cum Blassio in Palamede, si modo genuinam formam libri Gorgiani habemus, §§ 8 et 24 δή scribere pro lectione vulgata δέ, quae loci utriusque sententiae optime convenit.

III.

Herodotus particula δή totiens utitur, ut ceteros scriptores omnes facile in hac re superet. nam complures apud eum sectiones longiores inveniuntur,

in quibus δή quinquies (I 114, VI 127, VIIII 48), breviores, in quibus quater (I 13, VI 77) legitur; atque in I 214 septies, in I 86 sexies repetitur.

Eam ubertatem Attici antiquissimi restrinxerunt, quamquam etiam apud Thucydidem I 122, 4, V 74, 1, VI 33, 4, VII 56, 4, VIII 48, 5 binae particulae δή deprehenduntur. sed in universum et Thucydides rarius hanc voculam admisit et Gorgias, qui in Helena semel, in Palamede sexies, et Antiphon, qui duodecies ea usus est; deinde in libello de re publica Atheniensium sexies, in orationibus Andocidis duodevicies (+ [IIII] 14) reperitur.

Sed multo saepius oratores posteriores δή adhibuerunt, velut Demosthenes et Aeschines, cf. V. Trentepohl, observationes in Aeschin. usum dicendi p. 41. inprimis autem illius dicendi generis magis vulgaris, quod post Herodotum iterum in Xenophontis et Platonis scriptis manifesto adparet, frequens ille particulae δή usus proprius erat.

IIII.

De eis particulis, quae cum δή compositae sunt, quales sunt δήπου, δῆτα, δῆθεν, solum δῆτα nobis spectandum est, quod unum ad copulanda enuntiata adhibebatur. quamquam, quid ea particula significetur, satis constat, cf. Kuehner § 501 IIII p. 686, Wetzell p. 17, nemo tamen exploravit, quo modo ea usi sint orationis solutae scriptores antiquissimi.

Herodotus igitur teste Hoffmanno § 4 sex locis δῆτα scripsit, quorum quattuor eo insignes sunt, quod pronomen demonstrativum aut antecedit: III 31, aut non multo post sequitur: II 114, III 6, VII 147, quibus locis δῆτα post vocem interrogativam collocatum est. a quibus locis aliquantum distant II 22, ubi δῆτα ad adverbium interrogativum κῶς referendum est, enuntiata autem coniunctione ὤν conectuntur, et IIII 69, in cuius enuntiati initio extremum verbum enuntiati antecedentis iteratur.

Thucydides autem semel tantum δῆτα usus est in oratione Athenagorae Syracusani: VI 38, 5 καὶ δῆτα, quod Classen interpretatus est *und in der That.*

Praeterea apud Atticos antiquiores hi loci inveniuntur: Ant. V 63, VI 15, And. I 101, 149, III 32, qui omnes magnam inter se habent similitudinem. namque Ant. V 63 et And. I 101 οὐ δῆτα negativum responsum est interrogationis, quae antecessit; Ant. VI 15 verbis οὐ δῆτα ἔγωγε sententia negativa praegressa, And. I 149 verbis μὴ δῆτα exhortatio negativa antecedens confirmatur. locus autem difficilior And. III 32, qui a verbis μὴ δῆτα incipit, similis est illorum apud Herodotum locorum, ubi item paulo post δῆτα legitur pronomen demonstrativum, quo antecedentia significantur.

Cum igitur antiquitus usus particulae δῆτα angustis finibus circumscriptus esset, aetate inferiore, qua δῆτα multo frequentius adhibebatur, aeque ac simplex δή etiam in numero coniunctionum conclusivarum habebatur, veluti Plat.

Soph. 218d, e. quae cum ita sint, quod δῆτα hac significatione dictum legitur Lys. VIII 3, id quoque fortasse argumentum est, quo suspicio, quam oratio illa movet, augeatur.

ΑΡΑ.

Quamquam de nullius paene particulae originatione vique genuina tam diverse iudicatum est quam de particula ἄρα, tamen ei adseverandi significationem subesse credam,[1]) quae quidem omnibus, qui adferentur, locis facile cognoscatur.

I.

Hac adverbiali significatione in primis Herodotum usum esse particula ἄρα in qualibet enuntiati sede videmus: I 141, III 64, 70, V 49, VI 62, VII 35, VIIII 108. sed praeter hos locos alii apud eum inveniuntur, quibus ἄρα certis potissimum particulis adiungi coeptum esse adpareat. quod ut exemplis illustrem, locos nonnullos proferam, quibus Herodoti usum in hac re simillimum fuisse usui posteriori intellegetur. legimus enim apud eum ἢν ἄρα III 45, εἰ μὴ ἄρα IIII 32, εἰ δ' ἄρα V 106, VII 9γ, VIIII 60, ὡς δὲ ἄρα I 24, 27, III 134, VII 116, VIIII 33, δὲ ἄρα I 111, II 58, 141, V 92γ, VIIII 48.

Thucydides autem mirabili constantia ἄρα semper fere post particulas condicionales inseruit: εἰ ἄρα I 27, 2; 123, 1, II 90, 2, III 56, 5; 66, 2, VIII 100, 2, qui locus eo singularis est, quod adverbium indefinitum post εἰ ἄρα legitur. nam vox indefinita interponi solet inter εἰ et ἄρα, veluti εἴ τις ἄρα II 87, 1, III 30, 3; 67, 1; εἴ τι ἄρα I 136, 4, II 5, 1; 12, 1; εἴ τῳ ἄρα VI 24, 4; 78, 1; εἴ που ἄρα III 82, 7; εἴ ποτε ἄρα III 10, 6, [84, 3 εἴ ποτε ἄρα τις]; denique hic adferendus esse videtur locus IIII 86, 3, ubi εἰ et ἄρα aliquanto longius inter se distant. ἢν ἄρα I 93, 7; 140, 1, II 5, 4, quibus locis post ἄρα vox indefinita legitur, quae I 84, 2 interponitur, II 13, 1, IIII 8, 5; 18, 5; 42, 4; 59, 3; 92, 1, VI 33, 4; 41, 3; 75, 1; praeterea ἢν ἄρα reperitur I 70, 7 (ἢν δ' ἄρα καί του πείρᾳ σφαλῶσιν) et II 87, 9 (ἢν δέ τις ἄρα καὶ βουληθῇ). in quibus locis numerandus est etiam VI 60, 2 (εἴτε ἄρα).

His locis, qui eo conspirant, quod ἄρα particulae condicionali adnectitur, ex toto Thucydide non plus quinque, quibus vis adverbialis particulae ἄρα animadvertitur, adici possunt. quos iam singulos inspiciamus. I 69, 5 ἄρα post pronomen relativum collocatum est; I 121, 5 et VI 76, 4 ἄρα in enuntiatis

---

[1]) Cf. quae Kuehner § 509, 1 p. 720 dicit: ἄρα *drückt eine Versicherung oder Bekräftigung aus und scheint unter den deutschen confirmativen Adverbien am meisten dem in Süddeutschland sosehr gebräuchlichen Adverb 'halt' . . . zu entsprechen.*

negativis mediis, ut maius eis addatur pondus, adhibetur; III 113, 4 οὐκ ἄρα τῶν μεθ' ἡμῶν μαχομένων ἐστίν et V 100 ἦ που ἄρα (cf. Plat. de rep. X 595c) haec particula in oratiuncula ineunte legitur, cuius gravitas ea augetur.

In declamationibus, quae Gorgiae adtribuuntur, nullum huius usus exemplum inest, unum in Antiphontis orationibus: VI 1 εἰ ⟨δ'⟩ ἄρα τις cognatum illis locis, qui multi sunt apud Thucydidem.

Ab his locis non multo differunt ii, qui reperiuntur in libello de re publica Atheniensium et Andocidis orationibus. atque in illo semel ἄρα legimus III 12, ubi coniunctione ὡς sententia cuiusdam, quem sibi adversari fingit scriptor, profertur, quae ilico impugnatur. eadem ratione Andocides particulis ὡς ἄρα I 4, 54, 137 usus sententias adversariorum proposuit; III 15 autem ἐὰν δὲ ἄρα exstat.

Antiquissimos igitur Atticos magis minusve cavisse elucet, ne ἄρα cum aliis verbis quam cum coniunctionibus εἰ (ἐάν) et ὡς coniungerent.

Postea vero, quamquam, qui antea fuerat, usus semper valebat, cf. Lys. III 40, XXX 7, Isocr. VI 72, Dem. XX 68, XVI 31; XXIIII 199; Xen. An. V 1, 13, Cyr. I 6, 2, Hell. VI 3, 6; An. V 6, 29; 7, 5; Plat. Apol. 17b, Phaedr. 238d, Phaedo 70c; Conv. 174b, eius fines in dies longius proferebantur. quam dicendi libertatem paulatim crescentem paucis exemplis illustrabo. etenim non solum aliis quoque coniunctionibus hypotacticis et paratacticis, quae vocantur, ἄρα postponebatur, veluti ὅτι ἄρα Dem. XVIIII 160, Xen. Cyr. I 3, 10, Plat. Phaedo 68b, de rep. II 375d; δὲ ἄρα Lys. fr. 11, Isae. X 17, Xen. Comm. I 6, 7, Cyr. I 3, 9, Oec. I 8 οὐδ' ἄρα γε, Plat. Phaedo 68a, Phil. 30b; ἀλλ' ἄρα Xen. Comm. III 11, 4; δὴ ἄρα Xen. Oec. XVIII 9; γὰρ ἄρα Plat. de rep. IIII 438a, verum etiam mediis in enuntiatis, id quod iam apud Herodotum praecipue vidimus, ἄρα persaepe nobis occurrit, veluti Lys. III 30, X 22, XII 36, XXXI 28, Xen. Cyr. VII 3, 6, Hell. II 3, 56, Comm. IIII 4, 23, Plat. Crito 50e, Conv. 177e, Gorg. 487a.

II.

Alterum genus locorum, quibus ἄρα legitur, ita comparatum est, ut ea particula enuntiata copulentur aut certe copulari videantur. sed quamquam nos hunc usum vulgarem esse rati ἄρα pro coniunctione conclusiva habere consuevimus, tamen is inferioris demum aetatis certis exemplis comprobari potest.

Sicut enim apud Herodotum ἄρα numquam coniunctionis conclusivae partes tenere Hoffmann § 1 adfirmavit,[1]) ita de Thucydide Antiphonte libello de re publica Atheniensium idem dicendum est. religiosius enim quam rectius

---

[1]) Haud recte Stein particulae ἄρα, ubi mediis in enuntiatis legitur, saepe vim conclusivam obtrudit.

Blass Ant. VI 35 codicum lectionem ἄρ' recepit pro leni Baiteri emendatione γάρ.

Sed unus Andocidis locus obsistere videtur I 4 οὗτος ἄρα βουλήσεται περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἑαυτοῦ κινδυνεῦσαι; ubi pronomine οὗτος in principio enuntiati collocato is, de quo duobus membris enuntiati relativi praegressi expositum est, iterum nominatur; qualia enuntiata aut cum coniunctionibus conclusivis aut sine ulla coniunctione adiciuntur, cf. I 10, 74, III 6, ita ut dubium sit, utrum illud ἄρα pro coniunctione habendum sit an sola ei vis adverbialis tribuenda. si autem nobiscum reputaverimus apud Andocidem saepius interrogationem interrogatione ἀσυνδέτως excipi, veluti I 138, ac tempore illo nullum plane locum reperiri, quo ἄρα aperte sit coniunctio, ne hunc quidem locum contra legem supra a nobis propositam facere contendemus.

Quodsi illi aetati coniunctionem ἄρα incognitam fuisse statuimus, eo magis nos miros debet habere, quod in altera, quae sub Gorgiae nomine traditur, declamatione, quae Palamedes inscribitur, ter (7, 12 bis) ἄρα ita legimus adhibitum, ut ipsa locorum sententia fere iubeamur censere hanc particulam coniunctionem conclusivam esse.

Quos locos si neglegimus, hic usus tantum exemplis, quae aetatis inferioris sunt, comprobari potest. sed cum primum ἄρα hoc sensu usurpari coeptum est, mirum est, quanto opere brevi tempore is usus increbruerit. permagna enim frequentia coniunctionis ἄρα inprimis iam in dialogis Platonis observatur.

III.

Iam ut etiam de frequentia huius particulae pauca addamus, Herodotus particularum ille amantissimus ἄρα quoque satis saepe orationi intexuit. Attici vero antiquissimi multo erant moderatiores; toto enim Thucydide non plus XXXVIIII, in orationibus Antiphontis et libello de re publica Atheniensium singula tantum eius exempla reperiuntur, Andocides autem quinquies ἄρα adhibuit. sed in orationibus posterioribus, in libris Xenophontis atque inprimis Platonis ingens est copia locorum, quibus ἄρα legitur.

ΤΟΙΓΑΡΤΟΙ et ΤΟΙΓΑΡΟΥΝ.

Hae particulae [1]) inter se non diversae, quae ex sententia antecedenti aliquid consequi cum gravitate quadam significant, antiquioribus temporibus admodum raro positae sunt atque τοιγαροῦν rarius etiam quam τοιγάρτοι.

---

[1]) Cf. Kuehner § 545 n. 6, 7 p. 859, Baeumlein p. 255.

Apud Herodotum utraque particula semel legitur: τοιγάρτοι III 3, τοιγαρῶν IIII 149. ex toto Thucydide autem unus locus huc pertinet: VI 38, 3, ubi legimus τοιγάρτοι δι' αὐτά. a Gorgiae declamationibus Antiphontis orationibus libello de re publica Atheniensium utraque particula omnino abest; contra Andocides bis usus est vocula τοιγάρτοι: I 108 et 119; accedunt duo loci orationis quartae spuriae: 12 τοιγάρτοι διὰ ταῦτα et 22. iam locos, qui in oratione prima exstant, accuratius inspiciamus. ad I 108 Bake schol. hypomn. I 224 haec adnotavit: *intellegitur recepta post Salaminiam pugnam urbs indeque exortus Graeciae principatus; itaque necessario διὰ ταῦτα mutandum in μετὰ ταῦτα.* quae coniectura futtilis est; τοιγάρτοι enim cum διὰ ταῦτα coniungere sollemne erat et hoc loco διὰ ταῦτα optime ferri potest, cum his verbis idem dicatur, quod paulo infra iterum commemoratur verbis διὰ τὸ ἀλλήλοις ὁμονοεῖν. alter autem locus I 119 consequentiam continet sententiae ante enuntiatum causale καὶ γὰρ εἰ ἔζη Ἐπίλυκος ἢ τεθνεὼς πολλὰ κατέλιπε χρήματα, ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας pronuntiatae, itaque huius loci sententiae sic cohaerent: *nos dedecet spretis Epilyci filiis alias uxores ducere; qua de causa eas duceremus in matrimonium, si ille viveret aut multa reliquisset, ob ipsum Epilycum aut opes, nunc, quoniam res aliter se habet, pro animi virtute eas ducemus.*

Si iam ad alios progredimur Atticos, Lysias τοιγάρτοι bis scripsit, XXVI 20 τοιγάρτοι ἀντὶ τούτων, XXXI 24, τοιγαροῦν numquam. Isocrates vero, cui τοιγάρτοι voce τοὶ iterata fortasse molestius fuisse iam p. 170 suspicati sumus — certe in omnibus orationibus duobus tantum locis τοιγάρτοι posuit: VII 52 τοιγάρτοι διὰ ταῦτα, XV 126 τοιγάρτοι διὰ τὴν δόξαν —, inter oratores primus τοιγαροῦν admisit IIII 136, 152, VII 48, XI 6, 17, XV 138. posteriores autem oratores paucis quidem locis et τοιγάρτοι et τοιγαροῦν promiscue adhibebant, cf. Aesch. I 114 τοιγάρτοι, Dem. XVIII 40 τοιγαροῦν.

Idem de Platone dicendum est, ex quo locos, qui huc pertinent, contulit Hoefer, de particulis Platonicis p. 39 et nuperrime neglectis scriptis subditiciis Kugler, de particulae τοὶ eiusque compositorum apud Platonem usu p. 38. ex his locis omnibus unus dignus esse videtur, cuius hoc loco mentionem faciam: [Ax.] 365e eo eminet inter omnes, quod τοιγαροῦν alterum enuntiati locum obtinet. Xenophon autem τοιγάρτοι omnino evitavit et solum τοιγαροῦν posuit locis sat multis, quos Roquette p. 40 collegit.

Index locorum.

DE

SOPHOCLIS CODICE LAURENTIANO

PLUT. XXXI. 10

SCRIPSIT

ARMINIUS METLIKOVITZ.

In codicibus Sophocleis a viris doctis, qui aut editiones criticas adornaverunt aut quaestionem illam pertractaverunt de codicum Sophocleorum origine, accuratius examinatis liber est Laurentianus pl. XXXI. 10 nota *Lb* ab Elmsleio insignitus. atque F. G. Schneidewinus quidem primus, nisi egregie fallor, hunc librum ex antiquissimo Sophoclis codice ipso littera *La* a viris doctis significato descriptum esse contendit Phil. VIII 551. anno autem h. s. sexagesimo Dindorfius, cum codicis *La* collatione usus accurata, quam confecerat Fr. Duebnerus, Sophoclis fabulas Oxonii tertium edidit, in praefatione eandem atque Schneidewinus de codicis *Lb*, quem brevitatis causa littera *l* significabo, contra littera maiore *L* Laurentianum *La*, origine sententiam proferre nihil dubitavit. cum enim in universum codicibus recentioribus in re critica factitanda quicquam tribuendum esse negaret, tamen tres huius generis codices non prorsus abiciendos esse statuit, Parisinum dico 2712 *(P)*, Laurentianos 125 *(Γ)* et *l*. iam ceterorum librorum cum hoc loco rationem habere non liceat, ea referre satis erit, quae Dindorfius de codice *l* disputavit. ac primum quidem vol. I, p. VII huius modi verba fecit: 'ego huius apographi pluribus in locis mentionem feci, quia ex ipso codice Laurentiano *(L)* descriptum videtur ea aetate, qua multae libri vetusti litterae facilius et certius quam hodie legi poterant'. praeterea vol. III, p. III verbis, quae modo adtuli, haec adiecit: '... unum tantum superesse videri apographum *(l)*, quod ab librario saeculi quarti decimi ex codice archetypo Laurentiano, etsi scriptura passim mutata, descriptum haberi possit, ceteros vero codices omnes ex prioribus descriptos esse apographis variosque expertos corruptelarum et interpolationum gradus'. denique addo a Dindorfio compluribus locis in adnotationibus criticis libri *l* mentionem esse factam, veluti ad OC. 1392[1]) his verbis: '*ἐμβεβληκότα*] *μ* in litura, quae formae litterae *ν*, qua librarius utitur, accommodatior est quam *κ*, etsi *ἐκβεβληκότα* est in Florentino apographo *Lb* ex codice ipso ducto', ad E. 1420: '*παλίῤῥυτον* Bothius pro *πολύῤῥυτον*, quod *πολ*-

---

1) Ut brevitati consulerem, fabulas, quae integrae ad nostram memoriam pervenerunt, his siglis significavi: A. (Aiax), E. (Electra), OR. (Oedipus rex), OC. (Oedipus Coloneus), An. (Antigona), T. (Trachiniae), P. (Philocteta).

λύρυτον scriptum in codice ex eoque in Lb', ad eiusdem fabulae v. 1022: 'quod post *γὰρ* in codice erasum est *ἂν*, intactum cum in aliis apographis pluribus relictum est tum in *Lb*, ex quo colligi potest *ἂν* in codice ab recenti demum erasum esse metri correctore...', ad P. 493 al.

Iam vero si quaerimus, quibus de causis Dindorfius eius modi de codice *l* iudicium fecerit, conicere tantum possumus eum locis sat multis adductum esse, ut codicem *l* ex codice *L* descriptum esse adfirmaret, quibus ex Elmslei libri *l* collatione utrumque librum inter se consentire viderat, cum ceteris codicibus isdem locis alias scripturas praeberi intellexisset. sed Dindorfius ea tantum respexisse videtur, quibus Schneidewini de codicis *l* origine sententiam confirmari putabat, contra ea neglexisse, quibus contrarium veri simile fit. ac re vera iam I. H. Lipsius, quamquam uti nondum potuit collatione codicis *L* accurata, quae praesto fuit Dindorfio in Sophoclis fabulis tertium edendis, tamen in disputatione 'de Sophoclis emendandi praesidiis' Misenae a. 1860 edita Schneidewini sententiam illam, quam amplexus est Dindorfius, improbandam esse censuit idque argumentis demonstrare studuit (p. 14 sq.)

Dindorfius igitur codicem *l* ex codice *L* descriptum esse statuit neque tamen id egit, ut rem ita se habere ullo modo demonstraret. immo, cum in eiusdem editionis praefatione, quae exstat in volumine octavo, de Lipsii libello disputaret, quem modo legerat, non dubitavit haec verba facere p.* XIIII: 'in reliqua dissertationis parte Lipsius plura de aliis dixit apographis, quae vel ex codice Laurentiano vel aliunde derivata esse putat, velut Laurentiano recentiore (*Lb*), de quo dubitationes quasdam movit ab me quoque perpensas, cum librum illum ex ipso Laurentiano vetere descriptum etsi non raro aliunde interpolatum esse dicerem: de quibus exemplaribus aliisque, quae editores nondum excusserunt, ego plurima ipse addere possem, si operae pretium videretur diutius immorari inutilibus his quaestiunculis, ex quibus nihil unquam utilitatis ad Sophoclis tragoedias emendandas redundabit'. et paulo post, cum omnem de ratione, quae inter singulos libros intercedit, controversiam ad minimorum vitiorum correctiones pertinere statuisset, haec addidit (p. *XV): 'itaque optandum est, ne qui dubiam, quae ipsis videatur, codicum inter se rationem praetexentes futtilem illam diversae scripturae farraginem ex apographis olim collectam, quam ego abieci, denuo producant, quod non minus inutile est, quam quae priorum temporum editores peccarunt memorare et refutare'.

Haec autem Dindorfii sententia mihi omnino improbanda esse videtur. ac miror sane talia virum doctum protulisse. nonne enim ipse intellegere debebat se vel propterea non ita iudicare posse de ratione, quae est inter *L* et ceteros Sophoclis libros, ut omnes quaestionem eius iudicio absolutam esse putarent, quod unum *L* tantum accuratius collatum habuit, ceterorum autem

minorem notitiam, quam ut paucis verbis totam quaestionem expedire posset. nam adparatus criticus, quo usus est in codicibus recentioribus diiudicandis, non maiore fide dignus erat quam ea, quae ante Duebnerum de *L* in editionibus circumferebantur. quae cum ita sint, iniuria Dindorfium negasse puto quicquam umquam utilitatis ad Sophoclis tragoedias emendandas e recentioribus codicibus conferendis et pertractandis redundaturum esse. neque illius sententia, puto, eo confirmatur, quod ipse quingentis et quinquaginta fere locis (cf. ann. phil. LXXXV 167) non codicis *L*, sed librorum recentiorum scripturas recepit. atque haec de libris illis in universum dicta esse volo. quod vero ad codicem *l* pertinet, mirandum est, quod Dindorfius in praefatione voluminis VIII ne hunc quidem librum scriptum dignum esse putavit, qui diligentius excuteretur, cum in vol. I praefatione eum ex ipso *L* descriptum esse dixerit 'ea aetate, qua multae libri vetusti litterae facilius et certius quam hodie legi poterant'. nam, si hoc verum esse putavit, operae certe pretium videri ei debebat codicem *l* denuo atque sedulo conferri.

Editionem illam Dindorfianam recensuit A. Nauckius in ann. phil. LXXXV 153 sqq. qui cum in universum Dindorfii de codicibus recentioribus iudicium improbasset, de codice *l* tamen ea tantum rettulit, quae ille vol. I p. VII dixit. tum I. Kvičala, cum in eph. gymn. austr. a. 1866 p. 21 sqq. A. Seyfferti 'quaestiones criticas de codicibus Sophoclis recte aestimandis' recenseret, quae Halis Saxonum a. 1863 prodierunt, de codice *l* occasione data eodem modo quo Dindorfius iudicavit. nam p. 29 dubium esse negat, quin codex *l* ex ipso codice *L* descriptus sit, et ad hanc sententiam comprobandam utitur exemplo loco Antigonae, de quo infra paucis disseremus. post Kvičalam nemo quod sciam de *l* verba fecit, priusquam Electra Jahnio curante scholarum in usum iterum Bonnae a. 1872 ederetur. notum est Hinckium ab Jahnio rogatum Electram in libro *l* contulisse et disputatiunculam de eo conscripsisse, quam Jahnius praefationi subiecit. is autem codicem *l* non ex ipso Laurentiano codice antiquissimo, sed ex libro nescio quo (λ) descriptum esse statuit, hunc autem librum ex Laurentiano vetustissimo originem traxisse eo tempore, quo hic correcturas aut nullas aut paucissimas expertus sit, deinde aliis libris adhibitis in librum illum (λ) lectiones ab *L* alienas illatas esse. nolim in sententiam ab Hinckio prolatam hoc loco accuratius inquirere, cum id quidem pateat, ex unius fabulae scripturis de totius codicis indole haud certum fieri posse iudicium. neque Hinckius persuasit V. Subkoffio, qui, cum Trachinias in libro *l* contulisset, in editione huius fabulae a. 1879 in lucem emissa haud aliam sententiam atque Dindorfius iique, qui illum secuntur, de *l* protulit. de Trachiniarum editione a Fr. H. M. Blaydesio a. 1872 curata non est, quod hoc loco verba faciam. nam etsi undecim librorum, in quibus *l* quoque est, lectionis varietatem textui subiecit, tamen quattuor tantum codices Parisinos ipse excussit neque de codicum origine quicquam disputavit.

Idem atque Hinckius de codice *l* sensit R. Schneiderus, qui in ann. phil. CXV 441 sqq. Jahnii editione altera, de qua paulo ante dixi, nisus de codicum Sophocleorum origine paucis quidem, sed egregie disseruit. annis 1879—1881 L. Campbellius Sophoclis fabulas et perditarum fragmenta Oxonii edidit, postquam codicum alios denuo totos contulit, alios eosque longe plurimos singulis locis inspexit. in his *l* est, ex quo Campbellius Antigonam excussit, in ceteris fabulis eis usus, quae Elmsleius de hoc libro rettulerat. nihilo minus ille in eis, quae Oedipo Coloneo praefatus est (vol. I, p. 284), codicem *l* in hac quidem fabula non ex *L* pendere docuit. mirum autem videtur, quod Campbellius in Electra Jahnii editione omnino usus non est.

Iam omnia ab me exposita esse puto, quae viri docti de codice *l* disseruerunt. quos cum alios aliter de eo iudicare intellexissem mihique persuasum esset controversiam illam de codicum Sophocleorum origine nisi codicibus, de quibus agitur, totis collatis et varietate scripturae diligenter perpensa non posse ita dirimi, ut nihil dubii relinquatur, codicem illum excutere et, quae ratio inter eum et codicem *L* intercedat, explicare constitui. quod consilium ut exsequerer, virorum clarissimorum Caroli Schenklii et Guilelmi ab Hartel liberalitate atque gratia factum est. itaque aestate anni MDCCCLXXXVI. Florentiam profectus ibique duos menses commoratus hunc librum totum excussi.

Quodsi quis quaerat, qua de causa hunc potissimum codicem contulerim, me propterea id fecisse respondeam, quod nullo modo futurum esse putabam, ut rem prorsus inutilem suscepisse viderer. haec enim cogitabam: si Dindorfius iure codicem *l* ex codice antiquissimo ipso ductum esse statuit, liber ille vel propterea dignus est, qui diligentius examinetur, ut intellegamus, quas scripturas ea aetate praebuerit codex *L*, qua *l* ex eo descriptus est; nam in *L* permultas scripturas antiquas saeculis demum quinto decimo vel adeo sexto decimo immutatas esse inter omnes constat. sin Dindorfius iniuria codicem *l* 'apographum' codicis *L* esse contendit, propter id ipsum ille dignus est, qui accuratius exploretur; nam cum Dindorfius libros recentiores omnes ex *L* originem traxisse adfirmaret, certius tamen putavit de *l* se facere posse iudicium. quod si falsum esse demonstratur, iam necesse est etiam sententia, quam ille de ceteris codicibus protulit, si non in omnibus, at tamen in aliquot eius modi libris labefactetur.

His praemissis iam meum esse puto, ut de codice *l* ipso pauca in universum proponam. bombycinus est, saeculo quarto decimo exaratus. constat foliis 265, quarum 141 prioribus septem fabulae Euripideae, quae sunt Hecuba, Orestes, Medea, Phoenissae, Alcestis, Andromacha, Hippolytus, Rhesus (v. 1—714), ceteris septem Sophoclis fabulae continentur hoc ordine: Aiax (f. 143a—160b), Electra (f. 160b—177b), Oedipus Rex (f. 177b—197b), Antigona (f. 197b—212a), Philocteta (f. 212a—228b), Oedipus Coloneus (f.

228b—249b), Trachiniae (f. 250a—265b). in f. 142 Sophoclis Electrae versus 1069—1115 (ἀχόρευτα ... σαφὲς), 1116 (πρόχειρον... δέρκομαι) et 1322—1365 (σιγᾶν..... ἴσαι) leguntur. nihilo minus hi versus quoque in foliis recurrunt, quae totam Electram continent. huius autem fabulae versus inde a v. 848 hoc ordine inter se excipiunt: (f. 170) v. 848—v. 887 et v. 888—v. 992, (f. 171) v. 1227—v. 1294 et v. 1295—v. 1329, (f. 172) v. 1008 – v. 1111 et v. 1112—v. 1148, (f. 173) v. 1149—v. 1185 et v. 1186—v. 1226, (f. 174) v. 1330—v. 1370 et v. 1371—1415, (f. 175) v. 923—v. 956 et v. 957—v. 990, (f. 176) v. 991—v. 1024 et v. 1025—v. 1067, (f. 177) v. 1416—v. 1459 et v. 1460—v. 1510. praeterea versus aliquot transpositi sunt in Oedipode Rege, in qua versus 1057—1170 (f. 190b—192a) inter versum 1000 et versum 1001 exarati sunt ita, ut versus 1001—1056 (f. 192a—193a) inter versum 1170 et versum 1171 legantur. ante versum 1057 haec adnotatio exstat in margine 'διαβίβασον ἓν φύλλον καὶ εὑρήσεις τὴν ἀκολουθίαν', quae verba ad versus 1001 sqq. referenda sunt, quamquam manus altera initium versus 1170 'οἶδ. κἀγὼ γ' ἀκούων' adscripsit. in folio 202a Antigonae versus 365—402 (σοφόν τοι τὸ μηχανόεν ... πάντ' ἐπίστασο) iterum leguntur, cum iam antea suo loco (f. 201b) scripti sint. versus illos delendos esse linea significatum est ab correctore, contra manus altera versus, qui in altera folii 201 pagina leguntur, delendos esse significavit; nam post ultimum huius folii versum (402) haec scripsit: 'τοῦτο τὸ καταβατὸν, ὅλον περισσόν.' Electrae versus 1414—1416 (μοῖρα καθημερία — μάλ' αὖθις), qui scripti sunt in extremo folio 174, in initio folii 177 quoque exarati fuisse videntur, quo loco nunc est rasura. post Oedipum Coloneum tertia paginae pars vacua est, Trachiniarum verba prima in initio folii, quod sequitur, leguntur.

Sophoclis fabulae satis diligenter exaratae sunt ab uno librario, cuius manum littera *l* significavi. haud raro idem librarius postquam verbum aut totum versum scripsit, cum per errorem aut neglegentiam aliquid a se male scriptum esse intellexisset, falsam scripturam correxit: quod ubi significandum erat, nota *l corr.* usus sum. nonnumquam etiam factum esse videtur, ut idem fortasse librarius, sed paulo post, cum iam paginas nonnullas aut fabulam unam vel alteram scripsisset, ea quae scripserat hic illic corrigeret; huius generis scripturis notam *l sec.* adieci. praeterea primae manus scripturae permultis locis mutatae sunt ab eo, qui Aiacem, Electram, Antigonam, Oedipum Regem, tres Trachiniarum paginas inde a prima scholiis instruxit. hanc manum nota *l** designavi; contra ubique fere scripturas omisi, quas ille nota 'γρ.' usus in codicem intulit.

Iam omnes codicis *l* cum Dindorfii editione Lipsiensi anni 1867 (ex poetarum scaenicorum editione quinta expressa) discrepantias proponam.[1])

[1]) Cum omnibus minutiis adferendis variarum scripturarum numerus praeter modum augeatur neque tamen silentio eas praeterire expediat, de eius generis scripturis hoc loco pauca

addere non alienum esse puto. in vocabulis in ς exitum habentibus plerumque altera litterae illius forma (σ) obviam fit. littera ι saepenumero punctis est instructa A. 494 βάξϊν, E. 10 πελοπϊδῶν. spiritus nonnumquam omittitur OC. 883 ανεκτέα; permultis locis lenis ponitur pro aspero A. 1267 ἀλίσκεται aut asper pro leni A. 334 ἕοικε. OC. 1079 ʽἆμαρ scriptum est. coronis aut apostrophus omittitur in locis, quales sunt A. 535 ἐγὼ φύλαξα; 537 οἶον τράφησ, 739, 1067, 1337, E. 1331, OR. 262, 402, 432, 985, 1504, An. 281, 539, 546, 557, 904, P. 360, 369, 1012, OC. 974, 1349, T. 381, 560, 772, P. 467; sed T. 617 μὴ 'πιθυμεῖν scriptum est et OR. 875 μὴ 'πίκαιρα. iota subscriptum modo ponitur modo omittitur; ubi ponitur, modo subscribitur modo adscribitur; saepe ibi additur, ubi ei omnino locus non est. accentus saepe omittuntur: A. 591 ευφημα, An. 1233 ὁρμωμενον, A. 254 μετα τοῦδε, 705 δια παντὸς; nonnumquam duplex accentus obviam fit: A. 190 γένεὰς, E. 704 αἴτωλίας, A. 289 τὴ'ν δ', OR. 1407 γυναῖ'κας, OC. 47 τοῦξανιστᾶ'ναι. falsi accentus innumeris locis occurrunt: A. 348 ναυβᾶται, 938 γενναῖα, E. 532 (An. 520, OC. 171, 810) ἶσον, OR. 283 φρᾶσαι, An. 549 ἐρῶτα, A. 685 (E. 769, OR. 700, 755, 767, 800, 934, 964, 1054) γῦναι, A. 641 τλάμον, 960 ἀτρείδαι, OR. 933 ἀφίξαι, T. 62 μύθοι. falsas sedes accentibus tribuit librarius saepissime in vocabulis, in quibus litterae ου compendio significantur, P. 341 φρασόν, 619 θελόντι, OC. 20 γερόντι, sed non raro in aliis etiam, veluti An. 187 χθόνος, E. 734 ἐσχάτος, P. 363 τλημονεστάτον, 884 συμ'βολαια, OC. 25 ἦνδα, T. 173 ναμερτ'εια, 581 κατ' οἶκον al. quod ad voces accentu acuto in fine instructas pertinet, in quibus vocales extremae eliduntur, haec exempla conferantur: A. 1182 ἄντ' ἀνδρῶν (sed OC. 344 ἀντ' ἐκείνων), E. 45 πάρ' ἀνδρὸς (ut 469, 667, 870, An. 230, P. 1057, 1232, 1263, OC. 633, 928, 1122, 1158, 1572, T. 40, 589, 744), 259 κὰτ' utroque loco (ut 567, OC. 114, 343, 598, 890, 1167, T. 197, 678, 689, 933), An. 73 μὲτ' αὐτοῦ, A. 445 αὖτ' (Ph. 64, 373, 670, 1022), 577 κοῖν', 650 δεῖν' (ut T. 723), 1097 εἶπ' (ut T. 320). de accentibus verborum, quae per crasim inter se coniuncta sunt, monendum est omnibus fere locis scriptum esse τοὖργον vel τ'οὖργον A. 355, 466, 1368, E. 296, 625, 1373, OR. 347, 538, An. 85, 273, 279, 384, 428, 536, 542, P. 26, 1291, OC. 887, 941, T. 586, 933, 1018, 1157, τοὖπος vel τ'οὖπος A. 864, 1138, OR. 234, 848, An. 934, 1178, OC. 302, T. 822; κ'ἆστιν A. 1157, P. 41, τἆλλα P. 364. — superfluum videatur dicere in codice ἀνὴρ scriptum esse pro ἁνὴρ, ἄνδρες pro ἅνδρες, alia id genus; quas formas sescentis locis (A. 9, 99, 229, 271, 324, 337, 344, 783, 878, 979, 991, 1195, 1355 al.) Brunckius primus restituendas esse docuit. A. 1154 ὤνθρωπε scriptum est, OR. 286 ὤναξ, ut 80, 103, 304, T. 1085, 1087 al. mentionem faciam hoc loco scripturarum, quae sunt: A. 1362 τῇιδέ θ' ἡμέραι, E. 25 κ'ἄν, 28 κ'αὐτὸς, 323 τ'ἄν, OR. 1136 τῷδέ τ'ἀνδρὶ, OC. 1530 χ'ὥτ'ἄν, P. 406 κ'ἄξ, 431 ἀλλά χ'αἰ, 781 χ'ὠ, quod saepissime obviam fit, 1073 χ'ἡμεῖς, 1078 χ'οὗτος, 775 καμοί, 1042 κάμ', 968 σ'αὐτοῦ, 1050 χ'ὤπου, OC. 31 χ'ὤ τι, 559 χ'ἡ, 706 χ'ἀ, 1192 χ'ἀτέροις. in vocibus encliticis raro factum est, ut librarius eas leges teneret, quas observandas esse docemur. quod ut perspicuum fiat, exempla adferam nonnulla ex Oedipode Coloneo et Trachiniis deprompta, OC. 12 ὅπου πότ', 27 εἴ πέρ ἐστι γ', 68 λόγῳ τὲ, 103 καταστροφὴν τινὰ, 133 νῦν τίν', 195 λέχριος γ', 199 ἰὼ μοὶ μοί, 266 τὰ γ'ἔργά μου, 289 παρῇ τίς, 316 ἆρ' ἐστὶν ἆρ' οὐκ' ἔστιν, 400 μέν σου, 408 κρατήσωσιν ποτέ, 416 παίδων τις, 486 ὡς σφὰς, 580 παρόντί που, 586 τήνδέ μ', 644 χῶρος ἔσθ', 865 θεῖεν μ', 1075 προμνᾶται τί μοι, 1267 ἀλλ' ἐστί γὰρ, 1324 σὸς γέ τοι, T. 59 εἴ τι σοι, 446 μεμπτὸς εἰμὶ, 628 αὐτὴν θ', 865 τί φημί, 1022 ἔστί μοι, 1070 οἴκτειρον τέ με, 1254 ἤ τιν' et πυρὰν με. particulam δέ encliticam esse putabat librarius, cf. A. 292 ἀεί δ', 343 ἐγώ δ', ut 437, 487, 599, 911, E. 523, 951, OR. 328, 968, 1080, 1135, An. 685, 1111, P. 124, 505 σοί δ', ut P. 70, 477, 592 σύ δ', ut 845, OR. 310, An. 1087, 856 σέ δ', ut 1393, An. 875, P. 141, 693 περιχαρής δ', 942 ἐμοί δ', ut E. 847, An. 692, E. 400 πατὴρ δε τούτων, 713 ἓν δε πᾶς, 918 ἤ δε, OC. 1128 εἰδώς δ', 1270 προσφορά δ', 1360 κλαυτά δ', T. 43 σχεδόν δ', 789 ἐπεί δ', 1135 εἰπέ δ', 1272 αἰσχρά δ', al. cf. praeterea scripturas μή μεν E. 1503, ἦ σοί γαρ A. 1133, μαντικόν γαρ An. 1055. vix opus est ut dicam νῦν scribi ab librario etiam eis locis, quibus encliticum νυν ponendum esse nunc inter viros doctos constat,

velut A. 530, 1129 *μὴ νῦν*, 1161 *ἄφερπε νῦν*, 1308, 1332 *ἄκουε νῦν*, E. 73, 428, 616, 889, 947 al., OR. 644, 658, 707, 1521, An. 324, 648, 1337, P. 123, 468, 576, 1449, 1452, OC. 21, 49, 173, 188, 1333, T. 92, 441, 1185, 1193, 1259, vel *ἡμῖν* exstare pro *ἡμὶν* et *ὑμῖν* pro *ὑμὶν*, veluti E. 17, 41, 272, 357, 877, 1318, 1443, OR. 86, 103, 242, 921, An. 253, P. 8, OC. 549, 1201, T. 871, A. 1242, 1264, OR. 991, 1402, 1484, An. 308. denique addo saepissime obviam fieri scripturas has: *ἐᾶν* A. 528, 1345, OR. 605, An. 1169, P. 126, 479, OC. 457, 1210, T. 570, 572, *ὅτ' ἂν* A. 391, 513, 556, 625, 846, 850, E. 39, 267, 1038, OR. 76, 618, 624, 658, An. 91, 424, 580, 588, 1046, P. 56, 146, 307, 451, 520, OC. 288, 301, 471, T. 451; *ὅθ' οὕνεκα* A. 553, 1052 *ὅθ' οὕνεκ'*, E. 47, 617, OR. 572, 1271, P. 634, OC. 853, 1006, T. 277, 571, 813, 941, *μὴ δὲ* OR. 818, 1370, 1409, P. 80, 255, 1054, OC. 285, 481, 489, 811, 1430, 1526, 1642, T. 330, 367, 1275; *μὴ δεῖσ* A. 1184, *μὴ δένας* A. 1114, *μὴ δέν'* P. 588, *μὴ δαμοῦ* A. 1007, *μὴ δαμᾶ* OC. 517, *οὐ δὲ μία* E. 142, *οὐ δὲ πώποτε* P. 250; *οὐκ ἔτι* A. 639, *κ'οὐκ' ἔτι* OC. 1613 (1473); *οὐκ οὖν* A. 1051, OR. 440, 581, 973, An. 91, 244, 817, P. 628, 907, 1270, OC. 924, *οὔκουν* OR. 876; *οὐδέπω* OR. 731; *τοὶ γάρ* A. 1389, An. 994, E. 1165, OC. 1370, 1380; *τὰ νῦν* A. 426, 563, OC. 1030, T. 302, contra *ταννῦν* OR. 491, 757, P. 831, OC. 553, T. 835, OC. 1034, 1195, *τολοιπὸν* A. 666, T. 168; *εἰσ ἔπειτα* A. 35, *εἰσ ἀεὶ* A. 342, 570, OR. 275, 1013, Tr. 1202; *ἔστ'* (pro *ἔς τ'*) A. 1031, 1183; *ὡσεί* A. 1314; *τὸ σοῦτον* OR. 771. nonnumquam *δὲ'* scriptum est, veluti A. 299 aut *μὲ'ν*, veluti A. 311, 804 aut *μὴ'*, veluti E. 446, P. 1181; cf. Campbell. ed. vol. I praef. p. 40 not.

Aiax.

            ου
1 *λᾶρτί; οὐ δορκά σε* (*οὐ* in ras.); 6 *τὰ κείνου; νεοχάρακθ'*; 15 *ἦσ*; 24 *θελοντὴσ*; 28 *τρέπει l, γρ. νέμει l**; 30 *πεδίω*; 32 *ἀίσσω*; 33 *κοὐκ*, prior littera *κ*
                                        τ
ex compendio voculae *καί* facta; *ὅπου l, ὅπου l**; 35 *χερί l, γρ. φρενὶ l**; 36
 σ
ἔγνων δ' ὀδυσεῦ; πάλιν; 37 *κυνηγίᾳ*; 40 *ἦιξεν l, ἦιξε l sec.*; 42 *ἐπιπέμπει*; 44 *βού-*
 ὡσ
λημ' επ' ἀργείοις l, super *η* ab *l corr.* *ευ* scriptum; 45 *ἐξέπραξεν*; 46 *βάσει l, γρ. θρα* superscr. *l sec.*; 50 *μαιμῶσαν l, γρ. διψῶσαν l sec.*; 51 *ἀθ.* om. *l*, add.
                                                                        ω προσ
l; ἀπεῖρξα*; 55 *εἰσπεσὼν*; 58 *ἄλλοτ' ἄλλον ἐμπίπτων l, ὅτ' ἄλλοτ' ἄλλον ἐμπίπτων l corr.*; 59 *μανιάσι*; 61 *φόνου*; 63 *εἰσ*; 71 *αἰχμαλωτίδας l, αἰχμαλώτιδας l**;
                             α
75 *σίγ' ἂν ἔξῃ l, σίγ' ἀνέξῃ l corr.*; *ἄρηισ*; 80 *ἐσ δόμους*; 82 *γὰρ νὶν*, *νι* in ras.;
                  τ
86 *γένοιτο μὲν πᾶν τοῦ θεοῦ*; 90 *ἐντρέπηι*; 98 *οἶδ'* in *οἴδ'* corr.; 103 *τ'οὐπίτριπτον*, *ι* alt. ex *α* factum; 104 *ἔγωγ' ὀδυσσέα*; 107 *ἦ*; 108 *ἑρκίου*; 109 *ἐργάσηι*; 110 *θάνῃ*; 112 *τ'ἄλλ' ἔγωγέ σ'*; 114 *σὺ δ'*, *υ* ex compendio litterarum *ην* factum; 115 *τοῦτό σοι δ' ἐφίεμαι*; 120 *εὑρέθη*; 121 *οἶδ'* ex *οὐδ* factum; 122 *ἔμπης*; 126 *εἴδωλα*; 127 *ὑπέρκομπον*; 128 *εἰσ*; 145 *βοτὰν l, βοτὰ l**; 151 *εὔπειστα*; 153 *καθ'*

ὑβρίζων, supra α aliquid erasum; 155 ἁμάρτηι; 159 πύργον ex πύργοι factum; 160 ἄριστ᾽ ἂν δράσηι l, ἄριστ᾽ ἂν l*; 164 θορυβῆι; 167 ἀπέδρα l, ἀπέδραν l*?; 168 παταγοῦσιν; ἅτε, littera τ ex π facta; 169 αἰγυπιὸν ὑποδδείσαντες; 175 βοῦσ, ου in ras.; 178 ψευσθεῖσαδώροισ; ἐλαφαβολείαισ; 179 ἤ τιν᾽ ἐνάλιοσ l, ἤ

υ

τιν᾽ ἐνάλιοσ l*; 180 μομφὰν ex μορφὰν factum; 181 λώβα ex λώβαν factum; 185 ποίμναισι πίτνων; 189 βασιλεῖσ; 191 μή μ᾽ l, μὴ μή μ᾽ l corr.; 193 ἄρη. l, ἄρη.σ l corr.; 195 στηρίζηι; 196 sqq. ἐχθρῶν δ᾽ ὕβρισ ὧιδ᾽ ἀτάρβητα | ὁρμᾶτ᾽ ἐν εὐανέμοισ βάσσαισ. | πάντων καγχαζόντων γλώσσαισ | βαρυάλγητ᾽. ἐμοὶ δὲ ἄχοσ

ω

ἕστακεν. | ultimum ν ipsa m. pr. delevit; 202 ἐρεχθειδᾶν l, ἐρεχθειδᾶν l*; 205

ή

ὁ μέγας; 208 ἀμερίασ l, ἀμερίασ l*; 210 φρυγίου τελεύταντος; 211 δοριάλωτον; 215 πάθοσ, α ex ο factum, θο in ras.; ἐκπεύσῃ; 225 ὑπὸ᾽ κληζομέναν; 227 ὤιμοι; 230 σὺν κατακτὰσ; 231 ἱππονόμασ l, ἱππονόμουσ l*; 233 ὤιμοι; 234 ποίμναν; 235 σφάζ᾽; 236 τὰς δὲ; 243 δ᾽ ἐννάζων; 245 ἤδη κρᾶτα; 254 ἄρη l, ἄρην l*; 257 στεροπᾶσ; 258 ἀίξας; 260 ἐσλεύσειν; 269 ἀτώμεθα, σ ante θ eras.; 270 τοῦτο; λέγης; 277 ἄρ᾽ l, ἄρ l corr.; 279 ἥκοι; 283 ξυναλγοῦσι; 284 μαθήσηι; 286 ἦθον l, ᾖθον l*; 288 κἀγὼ πηπλίσσω καὶ λέξω l; in mg. λέγω l; πηπλίσσω

α

in ᾽πιπλήσσω mut. l*; 289 ἄκλητος; 290 κλειθεὶσ; 292 βαιὰ; 294 ἔληξ; 296 ἔσω δ᾽ εἰσῆλθε; 297 εὔκερών τ᾽; 299 κ᾽ἀράχιζε; 300 πιτνῶν; 301 ἀπαίξας; 305 ἐπαίξας; 308 πάσας l, ι ante σ inser. l corr.; θώυξεν; ἐριπίοισ; 309 ἐριφθεὶσ; 310 χερί l, χερός l*; 313 φανείην; 314 κυρεῖ; 316 ἐξεπιστάμην; 317 ὅ δ᾽; 322 ώς;

τι

323 τᾶιδε l, τοιᾶιδε l*; 328 εἵνεκ᾽; 329 δύνασθέ γε; 330 τοιοῖδε νικῶνται φίλοι; 331 τέκμησα; παῖ, post ι aliquid erasum; 339 personae notam om. l, add. l*; 340 ὤιμοι; 345 κ᾽ἀπ᾽ ἐμοὶ, κ et οι in litura; 350 μόνοι τ᾽ ἐμμένοντες; 351 φονίασ ex φοινίασ factum; 354 οἴμ᾽, eraso accentu circumflexo; 357 ἀλίαν; 359 ποιμένων ἐπαρκέσον | τ. ἀλλά; 365 ἄτρεπτον l, in mg. γρ. ἄτρεστον l*; 367 οἴμοι; 368 μὴ δέ ποτ᾽ αἴασ; 369 ἐκνεμεῖ l, ἐκνεμεῖσ l*; πόδα. post δ aliquid erasum;

ρ̀ ρ̀

370 αἶ. αἶ. αἶ.; 371 χ ὢ l, τέκμ χ ὢ l corr.; τέκμ del. l*; 372 ὃς, χερσὶ; 374 ἑλίκεσι, post spiritum aliquid erasum; 377 ἐπεξειργασμένοις l, ἐπ᾽ ἐξειργασμένοισ l*; 378 ταῦθ᾽, θ ex τ factum esse videtur; 380 λαερτίου; 383 ξὺν τῷ; κ᾽ὀδύρεται; 384 ἴδοιμί νιν; 386 δρᾷς, eraso ι subscripto, ἵν᾽ ἦι, η in ras.; 387 προπάτορ

εῖς

radendo ex προπάτωρ factum; 390 ὀλέσασ βασιλῆσ; 397 ἕλεσθέ μ᾽ ἕλεσθέ μ᾽

ως

οἰκήτορα; 400 ὄνησιν; 402 ἀλκίμη; 403 ὀλέθριον; 405 φίλοι | τοῖσ δ᾽ ὁμοῦ πέλασ; 406 μωραῖσ, supra ω aliquid erasum; 412 πόροι l, ὦπόροι l*; 415 ἀλλ᾽ οὐκ ἔτι

ἔ

μ᾽ οὐκ ἔτι | ἀμπνοὰσ; 417 ἰὼ; 422 ἴδηιτποσ; 424 ἐξερέω; 427 πρόκειται; 428 οὔθ᾽ ὅπως; 430 αἶ αἶ; ἐπώνυμον ex ἐπωνύμων factum; 434 ὅτου ex ὅτω factum;

436 ἦλθεν; 437 εἰσ; 443 κάρτος; 444 αὖ ἔμαρψεν l, αὖτ' ἔμαρψεν l*; 448 ἀπῆξαν; 450 ἀδάμαστος; 451 ἐπαντύνοντ'; 456 φύγοι γ' ἂν χ' ὦ, ω ex ο factum; 465 αὐτὸς στέφανον l, αὐτὸς ·/. στέφανον l* (ἔσχε superscr.); 466 δῆθ' ἰὼν; 473 χρήζειν; 482 τῆσ αὐτοῦ; 494 ἀξιώσῃς; 496 εἰ γὰρ θάνεις; τελευτήσεισ, ἀφῆσ, l, τελευτήσεισ, ἀφ' ἧσ, l corr.; 499 δούλιον; 506 λυγρῷ; 513 κεῖνωι; νέμεις; 515 ἤστωσας δορὶ; 516 ἀλλ' ἢ; φύσαντά τε l, φύσαντά τε l* (μ superscr.); 519 ἐν σοὶ πᾶσιν ἔγωγε σώιζομαι; 521 εἴ που τι πάθῃ; 527 πρὸς γοῦν παρ' ἐμοῦ; 532 τοῖς κασῖν l, τοῖς κασιν l* (κοῖ superscr.); 534 πρέπον γ' ἔτ' ἂν; 537 ἂν alterum om.; 543 λόγου l, λόγων l*; 544 ὅδ' ex ὧδ' factum esse videtur; 546 τοῦτόνδε πρὸσ, λεύσων; litterae δ, quam lineola delevit l*, superscriptum est γ, fortasse ab l corr.; 553 ἐπαισθάνῃι; 557 δείξῃισ; 558 πνεύμασι; 563 τροφῇ σᾶοκνον, post η et supra σα aliquid erasum; 565 εἰνάλιος; 569 δείξῃι; ἐριβοίαι; 572 ἀγωνάρχαι, α alterum ex ω factum; 574 αὐτό nisi fallor ex αὐτόν radendo factum; post παῖ duae litterae erasae; 579 δῶμ' ἀπάκτου; 582 ἐπωδὰσ; 585 δρασείεισ in δρασείῃσ mutatum esse videtur; 586 μὴ ἐξεταζε l, μὴ 'ξεταζε l*; 590 εἶμ'; 591 ἀκούουσι; 592 πείσῃ; 593 γὰν pro γὰρ; ξυνέρχασθ' l, ξυνέρξεσθ' l sec., deletis litteris χα et superscriptis ξε; 597 ἀλίπλαγκτοσ; 598 πᾶσι; 600 sqq. χρόνοσ | ἰδαίαι μίμνωι· | λειμωνίᾳ πόαι μήλων, | ἀνήριθμος αἰὲν εὐνόμᾳ. | ; 608 ἀίδαν; 610 ἔφεδρος· ἰώ μοι μοί μοι· | ; 614 οἰοβότασ; 615 εὕρηται; 616 χερσὶν, (χειρῶν superscr. l*) μέγι | στ' ἀρετᾶσ; 621 ἔπεσ' ἔπεσεν; 622 ἦ που παλαιᾶι, post ᾶ aliquid erasum, ι alterum add. l*; ἔντροφος ἀμέρᾳ; 624 λευκῶι δὲ γήραι, γ e duabus litteris factum; 626 ἀκούσῃι, inter η et ι aliquid erasum; 630 ἥσει l, ἄσει l sec., γρ. ἥ (h. e. ἥσει) superscr. l*; 632 χερόπληκτοι; 633 στέρνοις; 634 ἀμύγματα χαίτᾱς; 635 κρείσσων γὰρ ἅιδαι κεύθων ἢ νοσῶν μάτᾱν (ο superscr.); 636 γενεᾶσ, | ; λείπει τὸ ἄριστ. adscr. l*; 645 αἰὼν αἰακιδᾶν; 649 ὅρκος καὶ; 654 πὰρ ἀκτίουσ; 656 ἐξαλεύσωμαι; 657 μολῶντε; 672 αἰνῆσ; 673 φλέγειν, litterae λεγ in ras.; 674 ἐκοίμισε, ι alterum ex η factum; 678 ἐγώ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως ὅτι; 685 ἔσω; τέλουσ, supra ου aliquid erasum; 689 μέλλειν; δ' ὑμῶν ἅμα l, γρ. μέτα superscr. l*, in mg. γρ. ὑπὲρ μέγας l*; 690 ἐκεῖσε; 692 πύθοιτε in πύθοισθε mutatum; 693 ἀνεπτόμαν; 695 χιονοτύπτου; 698 χοροποιὲ; 699 νύσια (ι in lit.) κνώσια; 700 ὀρχήμ' ἀντοδαῆ (ατ superscr.); 704 εὔγνωτοσ; 706 ἔλυσεν αἰνὸν l, ἔλυσεν γὰρ αἰνὸν l sec.; 712 ἐξήνυσεν; 714 μαραίνει τὲ καὶ φλέγει· | κ' οὐδὲν; 715 ἀναύδητον φατίξαι | μ'; 718 θυμὸν ἀτρείδαις, ὃν in ras. pro ὧν, nisi fallor; 720 ἄπο; 724 ὀνείδεσσιν; 726 στρατοῦ; 727 ὥστ' οὐκ; 729 εἰσ; 737 ἰοὺ· ἰοὺ· ἰού.; 738 βραδεῖαν ἄρ' ἡμᾶσ ὁ; 741 ἀπήυδα, supra υ aliquid erasum; 742 τύχῃ.; 743 κέρδιον l, κέρδιστον l sec.; 744 καταλλαχθεῖ; 747 πράγματος πέρι; 751 εἰσ; 759 βαρείασ l, βαρείαισ l sec.; 761 βλαστῶν; 763 εὑρέθη; 764 δορὶ (κ superscr.); 768 καταστήσαιτ'; 772 ἤυδατ'; 776 τοιοῖσδε τοῖσ λόγοισιν; 778 τῇιδ' ἐν

ἡμέρᾳ; 780 τοιαῦϑ' ὁ μάντις εἶπεν· ὅδ'; 782 ἀπεστερήϑημεν; 784 τεκμησα l, τέκμησσα l corr.; 786 γὰρ supra versum adiectum; 789 εἰσάκοντ' ἀνδρὸσ.; ὥς, ω in lit. ut videtur; 791 φῇς ἄνϑρωπε; 794 φήσ; 799 ἐλπίζει φέρειν; 802 νῦν· ἧι τ' αὐτῶι l, νῦν· ἤ, τ' αὐτῶι l corr.; 803 οἴ' ἐγὼ; τύχασ; 805 οἴδ', utroque loco; 808 om. l, add. in mg. l*; 812 ϑέλοντας in ϑέλοντες mutatum; σπεύδει; 819 τρωάδι; 820 σιδηροβρῶτι in σιδηροβρώτηι mutatum; 825 λαβεῖν; 828 περι νεορράντωι supra ι vocis περι aliquid erasum; 829 τοῦ; 830 κυσὶ; 831 προτρέπω; 833 ἀσφαδάστωι, prius σ ex alia littera factum; 836 ἀεί δ'; 839 καί σφας, post φ aliquid erasum; 843 ἴτε; 850 ἢ in ἤ mutatum; 854 μολῶν; 859 ἱερὸν; 863 χαίρεϑ'; τροφεῖσ; 866 sq. φέρει. | πᾶ. πᾶ. πᾶ γὰρ; 868 ἔβαιν'; 877 βολῶν, ω ex η factum; 879 chori notam om. l, add. l*; τίς ἂν δήμοι τίσ; 881 ἔχων ἀΰπνους; 885 ποταμῶν ἴδρισ | τὸν; 866 λεύσων; 888 τῶν μακρῶν ἀλάταν | ; 890 λεύσειν; 891 ἰὼ ἰὼ μοί μοί; 894 δορίληπτον; 896 οὔχωκ'; 900 – 901 ἰώ μοι ἐμῶν νόστων· ἰώ μοι κατέπεφνες ἄναξ | τόνδε; 902—903 ἰὼ τάλας ἰὼ ταλαῖφρον γῦναι | ; 905 πότ' ἄρ ἔπραξε χειρὶ; 906 πρὸς αὐτοῦ; 909 ἰώ μοι ἐμᾶς; 910 ἄφρακτος; 912 ἄϊδρις; 912 πᾶι πᾶι; 913—914 ὁ δυστράπελος | ὁ δυσώνυμοσ; 925 ἔμελλες τάλασ ἰακὼσ ἐώκεισ ἄρα καὶ δῆλος ἦσ. | ἔμελλες χρόνῳ l, ἔμελλες τάλασ ἔμελλες χρόνῳ l*; 926 στερεόφρον· | ἄρ' ἐξανύσειν; 931 ὠμόφρον; 942 ταῦτ' ἔστ'; ἔστ in lit.; 945 νῶϊν; ib. σκοποὶ· οἱ ἀτρεῖδαι. | l, σκοποὶ· l*; 946 ὤιμοι; 951 ἄγανγ' ὑπερβριϑὲσ; 953 παλὰσ; 956 ἐφυβρίζει, ὁ πολύτλας ἀνήρ. | ; 957 γελᾶ δὲ τοῖς μαινομένοις; 959 βασιλῆεσ; 960 κλύοντεσ ἀτρείδαι· τὰ ἄχη κλύοντεσ. | l, κλύοντεσ ἀτρείδαι· l*; 961 οἴδ'; 963 δορός ex δουρός factum; 968 αὐτῷ ex αὐτῷ factum; 969 ἐπεγγελῶεν; 980 βαρείασ ἅμα τῆσ l, μ in ρ mut. l*; 984 τρωάδος 985 σκηναῖσι; 988 τοῖς ϑανοῦσί τοι; post τοι aliquid erasum; 994 ὁδῶν ἁπασῶν; 998 γάρ σοι, l, γάρ σου l*; 999 οὔχῃ; 1000 ἀγὼ, supra α aliquid erasum l, κἀγὼ l*; ἐκποδῶν μένων l, ἐκποδῶν μὲ'νῶν l*; 1006 εἰσ; 1008 ἢ που τελαμὼν; ἐμόσ τ' ἴσωσ; 1009 ἵλεως; 1011 ἵλεων; 1016 δόμους ἔχοιμι σούς l, γρ. νέμοιμι superscr. l*; 1019 ἀπορριφήσομαι, nihil inter φ et η erasum; 1022 παῦρα δ' ὠφελήσιμοι l, παῦροι δ' ὠφελήσιμοι l*; 1023 εὑρόμην; 1025 κνώδοντοσ, nisi fallor, ex κλώδοντοσ factum; 1026 εὐξέπνευσας; 1028 δυοῖν, υ ex οι factum esse videtur; 1029 δὴ τοῦτ'; 1031 ἔστ' ἀπέφυξε; 1035 κακεῖνον l, κἀκεῖνον l*; 1036 αἰεὶ; 1040 κρύψης; 1041 φράζω; χ' ὥτι, τ ex ο factum; μυϑήσῃ; 1043 ἃ δὴ; in mg. γρ! καὶ ἃ δ' ἂν l*; 1044 τίσ ἐστιν; ιν in lit.; 1049 ἀνήλωσασ; 1053 ἄξειν; σύμμαχον; 1054 ἐξεύρομεν; 1056 δορί; 1058 εἴληχε; 1060 ἐνήλλαξε; 1062 αὐτὸν, ὸν in ras. l; αὐτοῦ superscr. l*; 1063 τοιοῦτον; 1066 ἐξάρησ l, ἐξάρησ l*; 1068 ϑέλησ.; 1069 χερσὶ; 1070 λόγων τ' ἀκοῦσαι; 1074 φέροιτ' ἂν; 1083 ἐξουρίων; εἰσ; 1084 ἑστάτω l, ἀλλ' ἑστάτω l corr.; 1085 'ἂν, ut 1086; 1090 εἰσ ταφὰς πέσησ.; 1101 ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοϑεν; 1103 σοι ex σου factum; 1108 φῇσ; 1109 εἰσ; 1113 ἐπώμοτοσ; v. 1118 Menelao, v. 1119 Teucro datur; 1118 φιλῶι; 1120 οὐ σμικρὰ; 1125 ξὺν δικαίωι; ἔξεστι; 1127 δεινόν τ'; ζῇσ; 1131 ἐᾶσ; 1132 αὐτὸς αὐτοῦ;

1135 εὑρέθης; 1137 ἂν κακῶς; 1139 ἢ, spiritus et accentus in ras.; 1141 ἀντακούσηι τοῦτον ὦσ, supra ω aliquid erasum; 1142 inter εἶδον et ἄνδρ' aliquid erasum; γλώσσῃ; 1143 ναύτασ *l*, inter α et σ ab *l** ι additum; 1144 ἂν οὐκ ἂν εὗρεσ; κακῶ; 1145 κρυφθεὶς; 1151 ὃσ, inter spiritum et accentum aliquid erasum; 1152 κἀὐτὸν pro κᾆτ' αὐτὸν; in mg. καὶ εἶτα add. *l**; 1154 δρᾶι; 1158 ἠνιξάμην *l*, ᾐνιξάμην *l**; 1159 πείθοιτό; 1160 ὦ; παρῆ.; 1167 post τάφον aliquid
ε
erasum; 1170 περιστελοῦντες *l*, περιστελοῦντες *l**; 1174 σαυτοῦ, supra αυ aliquid erasum; 1175 ἱκετήριον; 1183 μόλω; 1184 μεληθεὶσ; 1187 δορυσσοήτων, η in ν mutatum; 1190 ἀνὰ τὰν εὐρώδη τροίαν; 1192 ὤφελε; 1195 ὃς στυγερῶν; 1196 ἕλλασι; 1197 ἰὼ πόνοι πρόγονοι πόνων; 1202 ἀυλῶν, spiritum add. *l**, supra υ aliquid erasum; ὄτοβον *l*, ὄττοβον *l**; 1203 post ἐννυχίαν aliquid erasum; 1205 ἐρώτων ἐρώτων δ' ἀπέπαυσεν ὤιμοι; 1211 μὲν ἐννυχίου; 1214 ἔγκειται *l*, ἀνα superscr. *l**; 1218 post πόντου aliquid erasum; 1225 μοῖστι; 1227 ἀνοιμωκτεὶ; 1229 ἤ που; 1230 ἐφρόνεις; 1232 ναυάρχας; 1236 κέκραγεσ; 1238 ἄρ'; 1243 ἤρεσκε; 1245 ἢ συν δόλω; 1247 οὐδ' ἑνὸς; 1248 ἔξω θήσομεν; 1249 εἰσ; 1253 ὑπὸ, πὸ in ras.; 1256 κατακτήσῃ; 1257 ἐόντος; 1265 σφῶϊν; 1268 οὐ σοῦ γ' ὅδ' ἀνὴρ; 1269 ἔτ' ἔχει; 1270 δορί; 1271 ἐριμμένα; 1274 ἡμᾶσ; ἐγκεκλεισμένους; 1276 ἐλθὼν, ὼν in ras.; 1277 ναυτικοῖς ἑδωλΐοις; 1278 εἰσ; 1279 τά-
ω
φρον; 1289 οὐκ'; 1293 ἔσπειρεν; 1295 ἐφ', ante ἐ aliquid erasum; 1296 φυτεύσας;
λ
1301 μητέρα; 1302 βασί *l*, εια post λ add. *l**; 1303 δώρημα, κείνῳ δῶκεν; 1305
ουσ
βλαστῶν; 1306 σὺ τοῖσδ' ἐν; 1307 ἐπαισχύνηι; 1310 ὑπερπονουμένῳ; 1311
σ
ὕπερ; 1312 τοῦ σοῦ θ' ὁμαίμονοσ λέγω; 1314 πημανεῖ *l*, πημανεῖ *l**; βουλήσηι; 1315 ἢ (quod ex ἧ factum est) ἐμοὶ, inter ἢ et ἐμοὶ aliquid erasum; 1321 τοῦδ' ὑπὲρ ἀνδρὸς; 1329 ξυνηρεμεῖν; 1330 εἶπ' ἤ γ' ἂν εἴην; 1339 οὐκ ἂν ἀτιμάσαιμ' ἂν; 1342 γ' om.; 1349 κέρδεσι; 1356 ποήσεις, η correctum esse videtur; αἰδῆι;
φρο
1357 γὰρ ἡ ἀρετή; 1358 τοιοῖδε μέν τε φῶτες; 1367 πονεῖν; 1368 ἄρα τοὖργον; 1369 ὦσ, supra σ aliquid erasum; ibid. πανταχῆι; ibid. χρηστὸς ἔσῃ; 1372 ἐμοί
σ
γ' ὅμως; 1373 ὃ, χρή.; 1374 ὅστισ'; 1375 μωρὸς ἔστ'; 1376 ἀγγέλομαι; 1377 ἐχθρὸς ἦν; φίλον in φίλοσ mutatum; 1379 ὅσον; 1380 ἀνδράσι; 1386 οὐ
ν
πΐβρόντητος; 1387 τε inter versus scriptum; 1390 ἐρινὺσ *l*; ἐρινὺσ *l**; 1395 πόῶ; 1396 ξύμπραττε; 1404 χερσῖν, σῖ in litura; ταχύνετε; 1410 θίγων; 1411
ῆ σ
τάσ δ' ἐπικούφιζε eadem manus in τάσ δ' ἐπικούφιζε (h. e. τῆσ δ' ἐπικούφιζε)
θ
mutavit; 1414 φησὶν; 1419 πρίν δ' ἰδεῖν οὐδεὶς; post versum 1420 in mg. ὑπό
ας
ἠλέκτρ.

Electra.

4 δὺ πόθεισ, ει ex ι factum; 11 φόνων; 13 κἀξέσωσα; 18 ἑῶα; 21 ἐνταῦθ'
δ'
ἐ$^{\sigma}$ μὲν; 26 ἐν τοῖσ; 28 ἡμᾶσ οτρύνεις; ἔπη; 33 μάθοιμι; 35 τοιαῦθ', θ ex τ factum videtur; πεύσηι; 42 γῆρα; 43 ὑποπτεύσουσιν μένον, in spatio vacuo
ϊ
nihil erasum *l*; ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον *l**; 44 τοιῶιδε ὅτε; 45 ἥκων *l*, ἥκων ὃ γὰρ *l**; 47 ὅρκω; 49 ἄθλοισιν; 50 κοιλισθεὶς; 54 ἠρμένοι; 55 οἶσθά ποῦ; 56 κλέποντες; 57 φέροιμεν; 61 μὲν ὡσ οὐδὲν ῥῆμα; 63 δόμους, post ου aliquid erasum; 64 αὖτίσ; 66 ὡσ; 75 νῶι; ἀνδράσι; 77 ἰώ μοι μοί· δύστηνοσ; 79 ὑπὸ στενούσης; αἴσθεσθαι; 87 ἰσόμοιρος; 90 πλαγὰσ; 91 ὁππότ' ἂν; 93 οἰκϊῶν; 99 φοινίωι; 102 ἀδίκωσ οἰκτρῶς; 105 ἂν λεύσσω παμφεγγεῖσ; 106 λεύσσω δὴ τὸ δ'; 109 προσφωνεῖν; 110 αἴδου; 113 θνήσκοντας; 121 ἰὼ παῖ; 124 ἀθωετάτᾱσ;
γ
129 γενναίων πατέρων· | ἥκετ'; 132 οὐ δ' αὖ θέλω; τόδε *l* τόδε *l sec.*; 133 στεναχεῖν; 137 ἄϊδα; spiritus asper factus esse videtur e leni; 139 οὔτε γόοισ οὔτε λιταῖσιν; 144 ἐφίη; 147 ἄραρε; 150 παντλάμων; 152 αἶ αἶ; 157 οἷα; v. 160 nota
'λ' ο ο
η praefixa; 163 μολῶντα; 164 Ἠλ. om.; ὃν ἔγωγ' ἀκάματα; 168 ὃ δ' ἐλάθεται; 169 ἔπαθεν; 171 αἰεὶ; 174 ἔστι μέγας ἐν οὐρανῶι; 180 κρίσαν *l*, κρίσσαν *l**; 181 βουνόμενον; 186 οὐδέ τ' ἀρκῶ; 189 ἅπερ εἴ τις; 190 οἰκονομῶι; 196 ὅτε σοι; 197 ἔρωσ; 205 εἶδε; 206 ἀεικεῖσ; χεροῖν; 213 πρόσω *l*, γρ. πόρσω superscr. *l**; 216 ἀεικῶς; 221 ἐν δεινοῖσ ἠναγκάσθην, ἐν δεινοῖσ; 226 ἂν om.; 231 ἀπὸπαύ-
ή
σομαι; 234 πιστα; 236 κακότατοσ, α alterum in η mutatum; 238 ἔβλαστεν; 241 ξυνναίοιμι; 257 σύγγωτε; 269 πὰρ' ἑστίουσ; 270 σπεύδοντα; 272 αὐτοφόντην *l*, γρ. αὐτοέντην in mg. *l**; 276 ἐρινῦν; 279 τὸν ἐμὸν ἐκ; 281 ἱερὰ; 283 κλαίω; 285 αὐτὴν; 295 αἰτίαι·, nisi fallor; 300 ταῦτα; 308 ἐν τοῖς κακοῖσ;
α
309 πολλή τ' ἀνάγκη; 313 θυραῖον *l*, θυραῖον *l sec.* aut *l**; 314 ἦ, δ' ἀν ἐγὼ; 325 φύσαν in φύσιν mutatum; 337 ἀλλὰ; πο εἶν, post ο aliquid erasum; 338-9 οὐχ' ἦ, 'γὼ λέγω. | ἀλλ' ἦ, σὺ, post utrumque η aliquid erasum; 354 ἐπαρκούν-
γων
